






IOAN.

BAPTISTAE MONTANI MEDICI VERONENSIS,

In artem paruam Galeni explanationes,

A Valentino Lublino Polono editæ.



LVGDVNI,
Apud Ioannem Frellonium,
1556.

ILLVSTRI, ET MAGNIFICO DOMINO DOmino Staniſlao Comiti à Thenzin Palatino Sendomirienſi &c. Domino ac patrono ſuo clementiſsimo,

Valentinus Lublinus Polonus felicitatem ſummam optat.



VPERIORIBVS proximis diebus, Palatine illuſtriſsime, cum tibi lucubrationes quaſdam Montani Veronenſis præceptoris mei doctiſsimi miſiſſem, monui meos vt me tibi de hoc munere exiguo excuſarent, perpetuámq; meã in tua amplitudine omnibus meis officijs colenda, tibi declararent voluntatem. Qui ſe id diligenter feciſſe, téque in optimam partem omnia accepiſſe, mihi reſcripſerunt. Indéque & animi tui in me propenſionem, & egregiam tuam cognoui ad optimas artes voluntatem: quæ mihi ſemper in te omni digna honore, & laude viſa eſt, eo magis quòd in tanta penuria & raritate eorum, qui nobilitatem cum virtute habeant coniunctam, tu vnus excellis, qui ita adeptus ſis, vt in tuis plurimis maximiſque ornamentis maior tamen multo vir-

tuti tuæ, quàm fortunæ gratia habenda sit. Itaque cum iam in comperto habeam, Palatine illustrissime, te miram voluptatem capere ex arte medica. Nam cum medicis (vt audio) libenter verseris, & frequenter cum eis de arte medica confers sermones, non putaui abs re me facturum si præsentem librum nominis tui amplissimi patrocinio munirem aduersus rabiem multorum sciolorum, ac ad te transmittendum curarem. Mitto ergo tibi explanationes doctissimas Montani Veronensis in artem Paruam Galeni. Librum sanè haud vulgarem, ac ab hominibus studiosis medicinæ apprimè desideratum, in quo quidem tota ars medendi, ceu tabella quadam depicta omnium oculis contemplanda subijcitur. Vnde facile quiuis percipiat temperaturam corporum, eorundem cõseruationem ac curationem, si à naturali temperamento lapsa fuerint. Et propterea non immerito ars medicinalis vocatur. Quæ omnia (ne longius epistolam protraham) vbi oculis subiecta, recta ratione perpẽsa fuerint, altius consilium datura sunt. Extremum est, vt te magnopere orem, vt me tui amantissimum, ac nominis tui studiosissimum, & diligas, & tuo patrocinio protegas ac tueare. Vale ac viue fœlix diutissimè Palatine illustrissime.

Datum Venetijs mense Septemb. 1554.

INDEX RERVM, QVAE IN IIS EXPLA- *nationibus continentur, sci- tu dignarum lo- cuples.*

Defi

H

Mors.

Ordo

Phasi

Sani

T

Vnio

IO. BAPTISTAE MONTANI EXPLANATIONES IN ARTEM

paruam Galeni à Ioan. Carolo Monneto emendatæ.

*



ON ſum docturus hodie tam ineptè viri præſtantiſsimi, vt omiſſo proprio negotio videar acceſsiſſe tanquam orator, cum nouerim vos acceſsiſſe hodierno die, vt medicos audiatis, & medicinam quoque diſcatis: nam noſtrum munus eſt, vt procedamus, ſicuti ſoliti ſumus, & ita procedamus, vt omiſsis aliis omnibus tantummodo duo capita proponamus, circa quæ totus ſermo verſabitur, primum autem caput eſt huiuſmodi, quod, vt patet è codice græco Galeni appellatur προλεγόμενον: à noſtris autem vocatur prælectio: ſecundum vero caput erit expoſitio verborum, & ipſius textus, primum enim caput, quod vt dixi vocatur prælectio, ſi bene, rectéq; fuerit excogitatum, expoſitúmve magnam affert vtilitatem & legentibus, & audientibus: confert enim auditori-

bus,quoniam præparantur animi auditorum cum magna attentione ad audiendũ, & qui secuti sunt diuisionem hanc præponendo duo capita hæc, hoc assumpserunt ab antiquis,quia & ipsi sic soliti erant procedere,& rectè. proponemus autem nos illa capita,quæ proponi solent in principio vniuscuiusque exordii, quorum primum tale est. Nũquid medicinæ ars diuidatur in partem theoricam, & in partem practicã? nam sic solet diuidi: videbimus modo etiã nos, vtrum ista sit bona diuisio nécne? secundum caput est subiectum ipsius,quid sit proprium subiectum artis medicinę? quod quidem multũ refert,vt habeatur,imò non tantùm pertractabimus de hoc subiecto quid sit,sed etiã demonstrabimus qua methodo,& qua via sic in aliis,vt & in hac acquiri debeat ipsum subiectum & circa quid versetur. tertium erit modo, quòd liber iste sit Galeni, & an tot libri attributi Gal. sint eiusdem,& quis etiam fuerit Galenus. quartum caput erit de titulo,cur ita inscribatur liber iste,vbi & multa scitu digna exponemus. quintum erit de proportione huius ad alios libros, quam proportionem habeat iste liber ad alios Galeni. sexto videbimus quísnam ordo doctrinæ erit in hoc libro. septimum caput est quænam sit vtilitas

litas. octauò & vltimò videbimus quẽ modum, & quem ordinem seruabimus. In hac arte docendi quantum ad primum vtrum ars medicinæ rectè possit diuidi in theoricam & practicam? ista quæstio quidem est vtilis, vt dixi, & ex parte auditorum, & ex parte legentium: quòd inseruiat auditoribus patet, quia iam ista consuetudo ita insueuit, vt medicina diuidatur in theoricam, & practicam, & ita ista est in mente omniũ auditorum, vt dum audiant theoricam ab his, qui legunt illam, tunc ex me nihil quęrunt de ipsa practica. vnde isti miseri nihil cogitantes de actionibus decipiuntur, in theorica parte tantũmodo versantur causa quæstionis Iacobi, & aliorum: & sic continuè occupantur in his non soliciti de vera arte, ita vt dum deueniunt post modum ad practicam, ab hísq; qui legunt illam, tunc nihil quærunt de vera practica, &, vt dixi, sic sunt assueti à theoricis audire practicam esse diuersam penitus theoricæ, vt abhorreant penitus ab ipsa, & tãtummodo quærant habere receptas, & præcepta, vel arcana: quia dum occupantur in quæstionibus illis vanis amittunt veram methodum medendi, & tantum sunt coacti habere illas receptas. quomodo hinc iam patet aliqua vtilitas ex dictis; si enim vidissent isti,

quænā esset pars theorica,& quæ pars practica semper eodem modo procederent,& cognoscerent,quod semper ars ista tendet ad vnum finem esse,quod est speculādum. dimtttentes autem quæ nō faciunt adfinem nostrum,quemadmodum dicit Galenus in primo de locis affectis,vanæ sunt quæstiones logicæ in arte, quæ non manu ducunt nos ad finem verum, nimirum ad sanitatē, nos ostendemus,quod nulla est theorica, quæ non habeat eundem finem cum ipsa practica. Itaque est valde vtilis dicere, an medicinæ sit vna pars, quæ meritò debeat dici theorica,& alia practica. præterea ex parte legētis est facilis ista quæstio nostra, si quis legens viderit quid intricatum in arte ista,& non docuerit id exprimēdo, quomodo sit intelligendum,ille quidem præuaricabitur:atque ne quoque sim præuaricator,declarabo hæc omnia in hac quæstione.procedemus autem ita nos, vt primum proponamus opinionem illam vulgatam,quod medicina diuidatur in theoricam,& practicam:deinde verò dabimus methodum veram discutiēdi omnes quæstiones secundum mentem Galeni. nam & ipse in libro an medicina ars,quæ est tuendæ sanitatis pertineat ad medicum, an ad gymnasticum, docet modum discutiendi

quæst

quæstiones. quantum ad primam partem proponemus opinionem Auic.quæ quidē erit instar aliarum:nam sicuti patet ex illo multi alii Arabes tenēt hoc,& maximè Auerroes.examinemus ergo primā opinionem Auic.qui huius sententiæ est,vt medica ars diuidatur in theoricam partem, & in partem practicam:cum quo etiam concordes fuerunt multi alii Arabes in diuidendo medicinam hoc pacto.Dicit ergo Auicen. medicinam diuidi in theoricam,& practicam,deinde statim subdiuidit hoc dictum. Nolo te intelligere,theoricam esse partem illam,in qua speculantur,& docētur theoremata,nec te intelligere practicam factionem ipsam , imò dicit Auicen.illa vocatur theorica, in qua speculamur, quid sit hoc, vel illud:idem dicit de practica, quod non sit operatio,ita vt insinuat ibi Auic.quod vtraque pars est scientia:non enim illa debet dici practica, vt quando accedimus ad ægros,quia tunc illa est operatio. Dicit itaque Auicenna,quando dicimus medicinam diuidi in theoricam, & practicam, remouendo à se errorem,quod vtraq; est sciētia: at hæ duæ partes differūt, quia theorica est scientia scientialis,practica verò est scientia operatiua,quia secundum Auic.medicina habebit duas scientias:vnam,quæ erit sciē-

tia sciẽtialis:alteram verò,quæ erit operatiua scientia,& si Auic.nõ declarasset, quid intelligere vellet per scientiam sciẽtialem: essétq; difficile tale dictum,quid intelligere vellet.Ideo se declarat inquiens, illa est scientia scientialis,quando quispiam speculatur aliqua principia non gratia operandi, sed vt sciens tantum:vt considerando contrarias temperaturas, & tria genera febriũ, quæ sunt principia artis medicinæ:nanque & si scierimus hæc,non ideo sciemus operari:sed quando speculabimur, quomodo sit occurrendum febri,considerando qualitatem operandi, & quomodo sit occurrendum morbis, & inflammationi in principio,& sic vocatur scientia operatiua, & practica:quia tenet Auic.quod medicina habeat duas partes ,theoricam, & practicam: theorica est quando speculamur principia artis non operando:practica verò est operatrix;quoniam tunc speculamur, vt operemur.Medicina ergo has habet duas partes:ista fuit opinio Auic.quam & multi alii post illũ asseuerarunt. examinemus modo an hoc dictũ Auic.sit verũ nécne;quo peracto deinde remouebimus ambiguitates omnes. Dicimus itaq; supponendo medicinam esse scientiam,quemadmodũ docet Auic.nam non opus est probare hoc, cum

res

res ista sit apertè clara apud Auic. tamen probo etiã per Gal. & per Arist. quod medicina est scientia, vt patet in sexto metaphysices primo, scientias omnes per essentiam diuidi in tres partes, & non solùm essentialiter impartiri, sed etiã inquit habere methodum, qua venari possumus scientias nõ diuidi posse nec in plures, nec pauciores tribus partibus. Diuiditur enim scientia in partem theoricam, & in practicam, & in actiuam: non enim alio modo diuiditur, nisi in partes tres; quoniam scientiarum diuisio sumitur ab ipso fine: & quot sunt fines in genere, tot etiam sunt scientiæ in genere: sed fines non sunt plures tribus: ergo nec scientiæ, quod autem diuisio ipsa sit essentialis, & non accidentalis, probatur: quia, vt dixi, sumitur à fine. Diuisio autem à fine omnis est essentialis, & vera: quod hoc sit verum videatis Arist. 2. phy. 11. & 12. & 9. metaphy. cap. 7. quod etiam Galen. affirmat in lib. de partibus medicinæ artis. vera ergo erit tantum diuisio essentialis à fine ipso: quod autem diuisio ista etiam fiat à fine scientiarum, patet per Auerroem sexto metaph. comm. 1. vbi ostendit diuisionem essentialem scientiarum non tantum sumi à fine, sed etiam ibi ostendit per viam methodi, quod tantum diuisio hæc per es-

ſentiam tres habet partes,& quod non poteſt eſſe in altero modorum,& inquit,cum omnis ſcientia verſetur circa aliquem finem:vel enim eſt circa ipſum finem, qui non operatur, nec operari poteſt, ſed tantum,vt ſpeculetur,& ſciat cauſas, effectus, & paſsiones illius ſcientiæ,quæ ſcientia talis appellatur, ſpeculatiua, vt eſt phyſica: non enim operatur,quoniam ſemper eadẽ eſt,ſicuti patet de naturalibus ſcientiis:in quibus tantum cauſas, motus, & affectus continuos,& cætera contenta, ſub ipſa ſcimus:non enim vt operetur illum motum, ſiue illas paſsiones, ſed vt ea tantum ſciamus.Ideo meritò ſpeculatiua dicitur iſta: vel verſatur ſcientia circa aliquem finem, vt tantum quærat habere aliquem habitum,quo poſsit operari ex conſequenti talem finem:quæ quidẽ operatio eſt duplex: vel enim operatio iſta eſt, vt ipſum faciamus per principium aliquod extrinſecus, talis ſcientia appellatur ſcientia, operatióque factiua;eo quia tunc facimus:vel operatio eſt, quia operamur habere finem, vt tantum habeamus habitum ipſius finis,per quem quod melius nobis videtur operemur cum ratione eligendo.in hac ergo operationenon quærimus,niſi habitum finis adipiſci cum ratione ipſa. iſtud autem

prin

principium προαίρεσις:& iſta erit ſcientia actiua. videtis ergo quomodo diuiſio iſta ſciẽtiarum ſit eſſentialis ratione finis. præterea patet quod eſt bona diuiſio, quia habet tantum tria membra cuius finis tãtum exiſtit in tribus membris:quia etiam præter Ariſto. poteſt etiam ratione ſufficientiæ huius diuiſionis comprobari : & quod nõ poteſt habere nec plures,nec pauciores partes,ſiue membra,quam tria,vt affirmat commentator in commento illo primo 6. metaphy.iſtis autẽ ſic ſtãtibus tu dices pro Auic.medicinam ſcientiam eſſe,& habere partem theoricam,& partem practicam; nunc modo Auic.quæro abs te an ſit theorica,an actiua,an factiua?licet poſſem dicere aliam rationem,poſſum tamen dicere,quod eſt practica,vt habetur in 6.metaphy.comm.3.ab Auerr.quod idem habetur à Gal.in lib.de conſtitutione artis medicinalis.præterea & Plato in Philebo hoc idem aſſerit;ſed ponamus nos, quod ſit etiam theorica,& practica,tantum idem finis ſemper erit,& hoc inconueniens ſequitur,quod cũ parte diuiditur ſciẽtia in theoricam & practicam;quod conuenit theoricæ modo conuenit practicæ,& contra,& ſic nihil habebis.Demus exemplũ pro iunioribus,vt eſt ſubſtantia animata corporea,

quæ diuidatur in ſenſibilem,& inſenſibilē: deinde dicat animal aliud ſenſibile, aliud inſenſibile,quod nullo pacto ſtare poteſt, nec apud intellectū poteſt imaginari:quia ſequeretur hoc inconueniens,quod differentia vna ſumpta à genere cōtradiſtincta alteri caderet ſub altero membro illius generis infimi ſiue ſubalterni, quod eſſe nequit vllo pacto. Quare medicina theorica, ſiue practica ſit nō poteſt recipere partes alterius membri,cum & theoricę,& practicæ idem ſit finis.ergo non rectè diuidi poteſt medicina in theoricam,& practicam:ideo ſatis patet error Auicen. Decipitur quoque Auic. dum reſpondet obiectioni factæ: ſi medicina eſt ſcientia practica:ergo non eſt ſcientia. Reſpondet Auic.& dicit medicina alia eſt theorica, alia practica : propterea quòd dicat ille hoc idē confirmari de philoſophia,cum alia ſit ſpeculatiua,alia practica. Dico quod verum dicit de ipſa philoſophia,cum alia ſit ſpeculatiua,alia practica:& cum philoſophia ſit genus vnum: ergo habet ſub ſe ſpecies:philoſophia nanque moralis,quæ dicitur actiua,eſt alia etiā ſpeculatiua,& dum dicit,ſic eſt de medicina,quod vna eſt theorica,alia practica non valet conſequentia,eo quia ſcientia medina,nō habet plures fines,vt habet philo-

ſoph

ſophia,ſed eſt vna ſciētia per vnum finem. quia ergo philoſophia habet plures fines, ſic habet plures partes:ſed medicina vnum tantum habent finem:ergo plures non habebit partes, nec plures ſpecies, nec plura genera:ſed eſt vna ſcientia indiuidua:nam ſicut practica non poſſet eſſe theorica:nec contrà. Ideò manifeſtè patet error Auic. de quo valde miror. præterea dicet quis inſtando ex malo intellectu, vt qui non verſetur circa rationem ipſam, & ignarus circa diuiſiones:nos autem inquantum poſſumus, verſamur circa rationem. Dicat itaque quis contra, mathematica ſcientia habet & practicam partem, & theoricā, vt in arithmeticam, in Aſtronomia,& in muſica,& in geometria. Reſpondetur ad hoc, quod iſti non viderunt has ſcientias mathematicas habere ſub ſe alias ſcientias ſibi inferiores:nam mathematicæ ſunt ſcientiæ ſpeculatiuæ, cum etiam habeant ſub ſe ſcientias ſpeculatiuas ſubalternas:ergo & diuerſos fines: nam ſcientia ſubalterna fit ex additione alicuius formæ. Demus exemplum, vt aſtronomia,quæ quidem theorica eſt,verſatur circa aſpectus, & coniunctiones, quæ ſeruando ſemper finem, vt operantur illi aſpectus in nos,eſt ſemper theorica vel ſpeculatiua : quandocunque autem ſubiecto

huic

huic addita fuerit aliqua differentia, tunc fiet alia species scientiæ subalternatiuæ, vt si motui siderum addatur quid, videlicet considerare, quomodo motus siderum agat circa hæc sublunaria. pari modo alia sciẽtia, quæ est subalterna, & scientia actiua per ipsum additamentum est. Ideo dicimus quod cognitio motus quatenus motus est, dicitur subiectum, vel obiectum astronomiæ. dum autem superatur tale subiectum per additamentum alicuius differentiæ fit alia scientia subalterna: & quod dico de vna, idẽ dico de aliis, vt de musica habente suos sonos, qui huius dicũtur passiones: quia dico quod mathematicæ sciẽtiæ sunt speculatiuæ, vt habetur in secũdo physicorũ 20. & 31. sed dicat quis, quomodo ex scientiis speculatiuis fiũt sciẽtiæ actiuæ? Dicit ibi ꝙ sciẽtiæ speculatiuæ fiunt actiuæ per additamẽtũ aliquod, vt dixi, & appellãtur subalternæ, quẽadmodũ docet Auer. in j. physi. commẽto primo, quod idem assignat Aristo. in libro de sensu, & sensato, inquiens, vbi desinit Philosophus, qui desinit à speciebus animalibus, incipit medicus determinans à forma etiam rationem. Vnde dico quod medicina subalternatur philosophiæ naturali per additamentum, eo quia additur corpori humano ipsa sanitas à medico:

dico: quod corpus vt corpus humanum tantum erat ſubſtantia in philoſophia: ſed medicus habet conſiderare corpus humanum ſanabile, quatenus ſanabile eſt. Quare patet etiam quomodo medicina ſit ſcientia, & quomodo theorica, & practica ſimul. hæc ſatis ſint dicta de his: reſtat modo, vt videamus quomodo Auic. intellexerit theoricam, quando verſatur circa principia, & hoc difficile: inquit Auic. quod eſt illa theorica, dum verſatur circa principia artis, circa cognitionem principiorum: ſimiliter dicit illa dicitur practica, quando docemus operari, quid reſpondebit ad hoc? ſtetis attenti: nã tametſi ſemper magni feci Auic. tamen in hoc dicã, quid ſentiam. Dico, & valde miror de tanto viro, cur nõ aduertit quomodo in omnibus ſcientiis ſpeculatiuis, & in artibus ſit via reſolutiua, & ſi ipſe ſe exercuiſſet in reſolutione, vt fecit Galenus quidem, & ipſe vidiſſet hoc. proponamus pro iunioribus exemplũ, vt complexionem, temperaturas, & tria genera febrium, vt ipſe proponit, vos ſcitis, vt colligitur ex ſecundo metaphy. quod nulla eſt ars actiua, nec factiua ſine ſpeculatione, & quæ non incipiat à notione finis: nam ſemper in omnibus incipimus à reſolutione, & à notione finis: vt volo inducere ſanitatem,

nitatem, iſte eſt meus finis intentus. cum igitur velim ſanitatem habere, non potero ſcire, quomodo corpus humanum ſit ſuſceptibile contrariorum, niſi prius cognouero, ex quibus confectum ſit partibus: non enim poſſum habere ſanitatem, niſi prius habeam temperamenta, & miſtiones ipſius corporis, & complexionem, & compoſitionem, & vnionem, & alia in eo neceſſaria ad hoc, quia quidem volo operari: quę omnia iñ eo conſiderata reducuntur ad finem practicæ, & non theoricæ. vnde Philoſophus bene dixit in ſecundo ethicorum ſecundo, & quarto quod in ſcientiis actiuis, & factiuis quidem ſpeculamur, ſed non ſpeculamur ſpeculationis gratia, ſed vt operemur. Ideo ſpeculatio iſta eſt tota practica: ſic etiã dicit Auer. 2. metaph. com. 3. Quãquam medicina ſpeculatur, nõ tamen ſpeculatur, vt ſciẽtia ſpeculatiua, ſed vt practica: à fine enim ſumitur denominatio ipſa. cúmq; ſpeculationes iſtę omnes ordinãtur ad finem: quia finis eſt practicus, erunt ſpeculationes practicæ: ergo & medicina erit ſcientia practica. videatis Galenum in libro de optima ſecta ad Traſibulum, vbi dicit quod illa non ſunt vera theoremata, & conſona medicinæ, niſi tria habeant: quorum vnum eſt, quod referantur ad finem

nem theoremata: ſicq́ue nunquam erunt in medicina vera, niſi referantur ad finem artis, inquit autor definitionum: theoremata vera ſunt, quæ ſe habent conſequenter ad finem artis. quare ſpeculantur principia, & temperaturæ, & omnia contenta in corpore, & tria genera febrium prout referuntur ad finem artis, & vt medici, non autem vt philoſophi. Debemus itaque ſpeculari in medicina propter ipſum finem, vt operari poſsimus, & quomodo ſit curandum corpus, & iſte vocatur intellectus non ſpeculatiuus, ſed practicus, quia in medicina non reperitur intellectus ſpeculatiuus, vt ſpeculatiuus eſt, ſed ille eſt practicus: & nulla eſt alia differentia inter intelllectũ theoreticum, & practicum, niſi vna: nam ambo cõueniunt in hoc, quia ita practicus, vt theoricus ſyllogiſmus habet ſuas præmiſſas, & generalem maiorem, & minorem: minor autem propinquior concluſioni maiore ipſa in vtroque. vnde dicit Ariſto. ſecundo phyſicorum. 89. ſyllogiſmi practici habent actionem: non enim verſantur circa temperaturas, niſi ratione finis artis. Quare dico quod ſic conſiderando temperaturam arte tantum diſtat, conſideratióque temperaturæ à ſua curatione, & ſyllogiſmus theoricus tantum diſtat, quantum maior

maior propoſitio à minori ad concluſionem in ſyllogiſmo practico. Nam quemadmodum minor proximior eſt concluſioni ipſa maiori: ſic curatio eſt proximior ipſi fini, quam conſideratio illius temperaturæ. nam ambæ ſunt præmiſſæ, temperatura, & etiam curatio in ipſo ſyllogiſmo: ſicque temperatura, & curatio ſunt in arte, ſed vna eſt propinquior fini intento altera. Quare neſcio quomodo Auic. ita fuerit inductus errare, propterea non parum de eo miror, cum & Ariſtoteles dicat, quod ſemper ſpeculamur in ſcientiis ſpeculatiuis de neceſſario, & omnes ſpeculationes in arte denominantur ab ipſo fine, quia ad ipſum reducuntur, & dicuntur ſpeculationes practicę: iſta ſint ſatis pro impugnatione opinionis Auic. reſtat modo ſecũda pars, in qua aliter procedemus, vt veritatem habeamus.

Aggrediamur igitur ſecundam partem: dixi alias & ſæpe quod via vera indagandarum quæſtionum erat incipere ab ipſa natura rei, & eſt qua bene cognita, & perſpecta, omnes paſsiones, & omnia accidentia ſub ipſa cognoſcentur. Itaque ſi volumus nos habere veritatem huius rei, opus eſt, vt habeamus naturam huius ſcientiæ, nempe ſcire & prędicata, & ſubiecta quemadmodum etiam obſeruauit Gale. in quæ-

ſtione

ſtione illa num ars tuendæ ſanitatis attineat ad medicum, an ad gymnaſticum: ibi enim docet quomodo quæſtiones ſeruandæ ſint: & hæc eſt vera methodus: huius enim quæſtio eſt, an medicina diuidatur in theoricam partem, & partem practicam? ſed primum ſi velimus habere veritatem huius quæſtionis, dico quod primum oportet ſcire, quid theorica ſit, & quid practica: deinde vero oportet etiam ſcire, an idem ſit theorica ſcientia practica in medicina, & an idem ſit theorica, & praxis, & eadem ſit medicina diuiſa in theoricã, & practicam, pòſt eſt videndum quid dicatur, cùm diuiditur in theoricam, & practicam de diuiſione: quoniam diuiſio eſt multiplex: nam alia dicitur diuiſio eſſentialis, alia accidentalis. Diuerſus enim conceptus eſt harum diuiſionũ, & niſi hæc ſcieritis, non poſſetis contradicere de diuiſione, quod nos loquamur de ea diuiſione per accidens, quoniam intelligamus de eſſentiali: vel quando loquimur de eſſentiali, diceret ille nos loqui de accidentali, ſic poſſet inſtare, quãdo loquimur de termino theorico, quod loquimur de practico, & quando loquimur de practico, quod intelligimus de theorico termino. Nemini dubium eſt, vt dixi, quod quando diximus ſcientiam theoricam, & practicam

nihil aliud intelligimus per hos terminos, vel per hæc nomina, nisi quosdã habitus intellectus, qui sunt circa determinatum genus ad aliquem finem: vnde dicuntur vel termini theorici, vel practici termini secundum finem illum, quem intendimus. quod probauimus supra videlicet sciẽtias omnes diuidi prope fines suos: & denominatio omnis sumitur à fine. Nam scientia, quæ quærit tantum scire in fine suo, & non velle operari illa dicitur speculatiua: & si volumus operari in illo fine, tunc dicitur scientia aut actiua, aut factiua: vocatur scientia actiua quando effectio ipsa est principium actionis, & dicitur factiua, quod facimus, & operamur aliquod extrinsecus per habitũ, vt diximus supra, talis est conceptus theoricæ partis, & practicæ: theorica autem, quæ à latinis speculatio vocatur, & praxis, quam latini vocant factionem, aliud sane longe aliter significãt ista, quàm theorica, & practica: quoniam speculatio est discursus intellectus tam theoricus, quam practicus nihil differt: quando discurrit in quæstione, quam sitis intẽtam ad speculandũ aliquid: ille intellectus vt speculatiuus quærit finẽ, vt sciat: & quia tamen cognoscit, ideo dicitur speculatiuus. aliquando autem speculatur, vt operetur: quærit enim operatio finem

nem ſuum, vt operari poſsit: ſed ſpeculatio fit circa effectiones, vt in motu circa paſsiones eius, & cauſas: practicus autem, vel factiuus, vel actiuus ſicuti eſt medicus, qui quærit quomodo ſit curanda febris: talis enim ſpeculatio eſt eadẽ in vtraq; parte & in theorica, & in practica: ſed habet iſta ſpeculatio diuerſa nomina ꝓpter fines varios, & iſta ſpeculatio efficit quandam formã in intellectu, quæ poteſt fieri propter formam illam in intellectu practico. efficit ergo formam aut quia agat, aut quia tantum ſpeculetur, ſiue cognoſcat, & ſic ſecundo modo dicitur intellectus ſpeculatiuus in arte primò practicus, ideo ſpeculatur intellectus in arte medica, vt agat: vnde dicit Ariſt. ſecundo meta. ſpeculatur ſpeculatione practica pro fine, primum eſt ſpeculatio, incipit deinde quærere, vt acquirat formã, per quam poſsit agere, vt ædificator domus in primis ſpeculatur, quales debeant eſſe partes eius, vt domus ipſa poſsit rectè conſtrui: deinde operatur circa ſuas ſpeculationes. In hoc ergo modo ſpeculatur artifex, & ſic quæcunque ars, & medicina quoque habet ſpeculari hoc modo, & etiam operari: & quidem verum eſt id, quod artifex prius conſiderat quid agendum, poſt agit, & ſic vbicunq; definimus ſpeculari, ibi incipit actio:

& contra vbi desinit actio, ibi incipit speculatio, non simul tamen possunt fieri ista duo speculatio, & operatio: nam primo consideramus quid sit ægritudo, deinde agimus. Vnde dicimus vbi desinit speculatio, ibi incipit actio: sic contra in scientiis factiuis: & conclusio in syllogismo practico est ipsa actio, vt benedicebat Aristo. secundo metaph. textu ij. absurdum est quærere scientiam, & modum sciendi, & loquitur ibi de scientiis speculatiuis, quod dictum melius apparet in scientiis factiuis. nam ars est habitus cum ratione factiuus: non enim possumus agere sine tali habitu, & sine ratione: & ideo videatis an sit procedendum sine methodo, & via rationali nécne? primum est habenda ipsa methodus: præterea est habendus habitus pro illa. nam malè faciunt citharœdi, qui peiorem habuerunt habitum. habitus itaque tali conceptu, quod sciētia theorica, & practica sint eiusdem habitus intellectus, vt iam dictum est: vnde scimus quod theorica, & praxis, vel actio, & speculatio distinguntur à theorica, & practica? Dicam modo in præsentia de diuisione ipsa, quæ est multiplex, & omne multiplex est distinguendum, sed diuisio diuidenda, quod manifestum est, alia est essentialis, alia vero accidendalis: essen

eſſentialis eſt, quæ fit per ſuas cauſas eſſentiales,& proprias: diuiſio vera accidentalis eſt, quæ acquiritur per accidentia contingentia, & cauſas accidentales illius indiuidui. Diuiſio ergo eſſentialis ſumpta eſt à cauſis eſſentialibus materia, & forma: eſt autem quæſtio an à cauſis efficientibus, & finalibus poſsit fieri diuiſio eſſentialis? vt ſi dicatur animaliũalia fiũt ex putri materia, alia generantur à ſemine, an diuiſio iſta ſit eſſentialis nécne? habẽt enim differentiam eſſentialem, ſed nunc dimitto hanc, an in cauſis efficientibus ſumatur diuiſio eſſentialis, forte credo quod non: nam diuiſio eſſentialis vel ſumitur à materia, quod dicit Galen. in libro de medicinæ artis partibus, vel à forma quæ eſt finis. iſta ergo eſt diuiſio eſſentialis: ſcientiæ enim diuiduntur & à forma, & à materia tantum: in ſcientia eſt ſubiectum terminatum: forma vero eſt finis determinans, & intentus. Dicet autem quis non intelligo: in quæſtione de ſubiecto medicinæ dicã melius hoc ſubiectum terminabile eſt, vt corpus humanum ſanabile in arte medica: vt tametſi corpus humanum ſimpliciter dictum ſit terminatum, non tamen ita eſt in medicina: ſed finis eſt illud, quod determinatum eſt, vt oſtendam, vt corpus ſanabile eſt, & ægro-

tabile. Nam forma, quæ est finis, vt sanitas in medicina est, quę determinat. Quare sumetur diuisio essentialis & à subiecto, & à fine: subiectum est indeterminatum, terminatur autem forma: finis vero est forma, nimirum ipsa sanitas, quæ determinat. Habetis ergo diuisionem & à subiectis, & à finibus: si enim esset vnum subiectum tantum in medicina, ita vt non esset differentia subiecti, nulla esset facienda diuisio: propterea quia diuisio fit circa multiplicitatem, debetque in medicina fieri diuisio circa subiectum medicinæ, quod non est: si est aut est vnum, aut plura: dico quod est esse vnũ corpus humanum arte sanabile, à quo medicina suscipit denominationẽ, quia corpus humanũ est subiectũ præcipuè in medicina: finis vero medicinæ est ipsa sanitas, quæ fluit ab essentia subiecti, humani corporis, & sic denominatio finis refertur ad subiectũ ipsum. sed notate quod sanitas analogicè secundum prius, & posterius refertur ad alia subiecta, præterquam ad corpus humanũ: refertur enim ad causas efficientes, vt cum vocamus causas sanas, quia inducunt sanitatem, & hoc est secundum subiectum: habent enim talem denominationẽ, modo quia sanitas propria fluit à corpore, quia faciunt ipsam. est &

tertium

tertium ſubiectum recipiens ſanitatem, vt ſunt ſigna in eo, quòd indicant ſanitatem, dicuntur ſanitas,& ita ſigna talia tertio modo dicuntur ſubiectum in medicina: propterea quod dicuntur recipere ſubiectū medicinæ. Itaque eſt ſubiectum in medicina corpus humanum in eo, quod ſanabile: cauſæ efficientes ſanitatem, & ſigna, in eo quod conducāt ad ſanitatem: & iſta materia, quæ dicitur ſubiectum in arte medica facit triplicem ipſius diuiſionem: nam alia eſt pars medicinæ, quæ ſumpta eſt à cauſis, à noſtriſque dicitur actiua à græcis αἰτιολογική, quaſi quod agat de cauſis: altera eſt pars, & eſt ſecūda quæ verſatur circa ſubiectum ſignum, vocaturque σημειωτική ſignificatiua de ſignis: tertia vocatur φυσιολογική cōſideratio corporis humani, quæ verſatur circa ſubiectum, & dicitur contemplatrix in ipſa natura corporis humani. ſunt ergo tres partes medicinæ ſumptæ à materia, & à ſubiectis, de quibus hoc anno tractabimus. Hanc etiam diuiſionem fecit Gale. in libro de par. medicamento. quæ diuiſio eſt eſſentialis à ſubiecto: & eſt alia diuiſio ſumpta à fine eſſentialis finis in medicina, & eſt ſanitas: ab hoc enim fine habetur diuiſio iſta, ſi ſanitas in corpore, vno modo ſe habe

ret,nõ esse habenda de ipsa sanitate diuisio aliqua,sed quia sanitas in corpore est varia, ideo de ea habenda est diuisio,quæ est essentialis.& dicamus sanitas vel adest, vel non adest in corpore:si adest facit vnam partem medicinæ,quæ est de tuenda sanitate:si non adest facit aliam partem curatiuam.Quare medicina diuiditur penes finem in partẽ de tuenda sanitate, & in partem curandi: vnaq́ue erit conseruanda,& alia restauratiua,quæ partes habent fines suos particulares,de quibus posteà agemus.porrò iste partes subdiuiduntur semper applicando omnia ad finem vnum:iste est discursus diuisionum,quarum alia ex iam dictis pendet à subiectis, alia verò à fine:estq́ue proxima alia diuisio proueniens ab operationibus sumptis à forma: Vnde & ipsa medicina etiam diuiditur secundum operationes,quę operationes sunt in triplici differentia : vel enim operatur medicina per pharmaciam & potionem,vel per diætam,vel per chirurgiam.sunt itaque tres diuisiones in medicina:prima fuit ratione subiectorum: secunda fuit à fine,quoniam medicinæ alia pars erat sanatiua,alia conseruatiua,& alia erat curatiua:tertia etia diuisio habetur ab operationibus,& ista diuidebatur in tria membra,vt vidimus.quæ omnes diuisiones sunt essen

essentiales,vt diuisio,quę est generis in species & vocum in sua significata, & totius in partes, dico de diuisione totius in partes, quæ est essentialis,sed ista reducitur ad diuisionem per formam & materiam. Quan do tu instas de diuisione vocis in sua significata,dico quod nos loquimur de entibus re bus,& nostræ diuisiones sunt reales.cũ ergo diuisio medicinæ data in partem theoricã, & in partem practicam non sit essentialis, videamus modo inquirendo cum lucerna huc,& illuc si diuisio ista medicinæ in theo ricam,& in partem practicam reperiatur in diuisionibus per accidens : propterea quòd quispiam posset dicere,est diuisio per accidens diuidẽdo eam in partem theoricam, & in partem practicam. dicereque posset etiam aliquis,quod est essentialis : quia põt sumi ab operationibus,quoniam cum speculamur tunc dicitur theorica, cum vero operamur appellatur practica:aliud enim est speculari,& aliud operari : qui vult hoc dicere non intelligit,quod diximus. Dico, quod si memoria tenetis, dixique per Galenum,& per Aristotelem,quod vnaqueque speculatio in medicina, & in aliis scientiis factiuis est quando speculatur quid,dirigen do tamen illam speculationem semper ad finem propter operationem:& si inuenietis

vnquam ſpeculationẽ aliquam in arte medicandi non dirigi ad finem, nimirum ad ſanitatem,& ad operationem,tunc ero cum illis,& dicam illa eſt vera theorica:ſed hoc nihil faceret,nec poſſet pro arte:& quia iſti non bene animaduertunt conſiderando, & nouem temperaturas,& tria genera febriũ, non tamen vt ad finem id eſt,ad ſanitatem reducũtur,ideo nihil mirum;ſi decepti fuerunt.omnia ergo principia in medicina diriguntur ad finem id eſt,ad ſanitatem:nam optimi medici,vt ſunt Hippocrates,& Galenus conſiderant omnia in medicina propter ipſam operationem, quatenus medici ſunt,& non ſicuti philoſophi. conſideranda ſunt itaque omnia in medicina ratione finis,quem quærimus conſeruare,ſi adeſt,aut recuperare ſi fuerit deperditus: quia quod iſta diuiſio medicinæ in theoricam, & in practicam non ſumatur ab operationibus, & quod hoc ſit verum patet per ipſum Aui cen.quoniam Auicen.loquens de elementis inuehitur contra Galenum loquentem de elementis inquiens,quod recedit ipſe Galenus à conſideratione propria, & proprio fine, veluti quod non ſpectet tractatio de elementis ad medicum:quod quidem ratio oſtendit cõtra ipſum Galenum,quaſi quod carpat Galenum,vt qui ſit locutus de elementis

mentis secūdum speculationem,& qui hoc non deberet facere:quia videtur talis consideratio non spectare ad medicum. contra vero ipse Auic. facit diuisionem medicinæ hanc etiam,quæ est in theoricam,& in practicam:& arguit postea illo in loco Gale. nunquid sibi cōtradicit Auic. Sed dicamus nos pro Gal.qui vsus est ibi officio philosophi:& nihil refert si medici quandoque fungi officio volunt philosophi, proximaque omnia principia sunt habenda à medico pro ipso fine,nondum tamen habemus medicinam per se diuidi in theoricam, & in practicam. Videamus modo,an diuisio ista sit accidentalis,ex qua possit hoc verū esse: sed dico quod medicinæ diuisio non est accidentalis.at quisquam obiiciet dicens medicinam posse diuidi per aliquod accidens, & quando speculamur aliquid est per accidens:& similiter de eo possumus operari. ergo vna pars præcedit aliam. Dico quod non est aliqua differentia inter has partes: nam etiamsi speculemur principia in arte, tamen speculamur ea prout referuntur ad finem:semper enim debemus considerare eundem finem,& hoc dicere est idem,vt de præmissis,& de conclusione:nam & si minor sit proximior maiore conclusioni tamen & maior,& minor considerantur propter

pter conclusionem:sicque dum consideramus,quomodo curantur febres, & deinde eas curamus,omnia ista sunt propter finem nimirũ propter sanitatẽ. semper ergo speculatiuus intellectus in arte medica erit practicus,& ita dicemus, quoniã scientia medica est tota practica,& sic secundum Auice. non diuiditur in theoricam partem,& practicam partem.& notate quod si velitis diuidere medicinam,vt diuisit Auic.tuntum hoc fit quod diuidatur,non tamen erit vera,nec bona diuisio,dummodo vos habeatis ipsum conceptum communem. etenim medicinæ pars,quæ appellatur speculatio, est vna pars,alia pars dicitur actio:nam medicus aliud facit,dum speculatur ipsa theoremata:aliud verò dũ operatur illa. Vnde speculatio,& actio sunt variæ & diuersæ nostræ:tamen est vnus totus syllogismus practicus:nam sicuti syllogismus speculatiuus est totus speculatiuus,ita est practicus syllogismus,vt cum conclusio non sit pars syllogismi,nec ponatur in definitione eius, etsi ex præmissis ipsis sequitur conclusio.Similiter dico quod in definitione medicinæ nõ ponitur actio:nam medicina est sciẽtia corporum sanorum,ægrorum, & neutrorum, cum enim est actio, non est medicina aliquomodo, sed medicina speculatio est, & tota

tota medicina à principio vſque ad finem dicitur ſpeculatio : finis vero medicinæ eſt actio,ſeu praxis græcè,quia dum diuidi debet in ſpeculationem , & actionem , ſeu in praxin,& non in theoricam , & practicam. vnde ſolum Auicen.fuit cauſa huius erroris:nam Arabes ante illum bene diuiſerunt ipſam medicinam:ipſe autem eos arguit, dum vult practicam non dici actionem arguendo ipſos antiquos:ſed dicit ille practicam debere intelligi operationem.Et ideo male dicit de antiquis,verum eſt bene,vt dictum eſt ſuprà,medicinam non eſſe ſcientiam ſpeculatiuam , ſed practicam.quare male fecit Auicen.diuidendo eam in theoricam,& practicam:& dico ſic ſe habere ſpeculationem,& actionem ad medicinam,vti pręmiſſas in ſyllogiſmo ad concluſionem, quæ præmiſſæ ſunt aliæ,& ſeparatæ à concluſione in ſyllogiſmo, qui quidem ſyllogiſmus diuiditur in præmiſſas, & in concluſionem:nam,vt dixi,concluſio ſequitur pręmiſſas,quæ non ſunt partes cõcluſionis, ſed ſunt cauſæ illius.ſic itaque medicina diuiditur in ſpeculationem,& in actionem : ſpeculatio quidem ſe habet,vt pręmiſſæ in ſyllogiſmo,actio verò vt concluſio , habentq; hanc proportionem inter ſe:atque vt conſideratio reſpicit præmiſſas,ſic actio reſpicit

ſpecu

ſpeculationem. Ideo in medicina conſideratio vel ſyllogiſmus aliud à præmiſsis idest, à ſpeculatione exiſtit: quod autem eſt ſyllogiſmus eſt oratio, vt aſſerit Philoſophus in primo priorum, in qua quibuſdam poſitis, & conceſsis aliqua concluduntur per ea, quæ poſita ſunt. ecce præmiſſæ hic non cadũt in definitionem ſyllogiſmi ſiue concluſionis, ſed ſunt vt principia: ſic eſt dicendum de medicina, quæ eſt ſcientia ſalubrium, & inſalubrium, & cur poſsit diuidi in ſpeculationem, & praxim ſiue actionẽ? dicas propterea quòd iſta inter ſe habere proportionem medicinæ: vnamque partẽ eſſe ſpeculationem, aliam actionem atque ex errore Auicen. oriuntur alii infiniti errores in arte iſta, præcipuè in docendo: nam dum iſti tenent theoricam aliud eſſe, quàm practicam illi, qui legunt theoricam, remittunt dubia ſoluenda ad practicos, ſic econuerſo practici ad theoricos: & ita in his fit ſecundum iſtos, vt fit de pilæ luſu. quod aũt id, quod diximus ita ſe habeat, audiatis quæſo: vobis ſic demonſtro: accipiamus inflammationem, quæ fit in pectore, dicunt iſti ignari, hoc quidem ſpectat ad practicũ, non autem ad theoricum: quod falſiſsimũ eſt: ſed pertinet ad totam medicinam. vnde dico ſi vultis procedere in curationibus ſecundum

cundum viam Galeni, & Hipp. certum est quod non poterit curari inflammatio, nisi prius fiat resolutio circa eã: oportet etenim prius eam cognoscere, alioqui non poterit curari, sed ignorabitur quænam sit, & cuius naturæ, & quot sint genera inflammationum, & partes eius: deinde habere quænam sit inflammatio illa, quæ est pars significatiua habita per signa prognostica, deinde habere locum affectum, & quantitatem lapsus, & quis locus fuerit affectus: quod non poterit haberi rectè, nisi per cognitionem anatomes, & corporis: deinde accedere ad curationem, quæ si debet curari, oportet incipere à particulari, & ascendere ad vniuersale resoluendo: sicque debet fieri per speculationem vsque ad finem intentum: deinde accedere vsque ad curationem, si volumus eam recte curare. Qua via processimus nos anno elapso à particularibus ad vniuersalia, hoc autem anno procedemus ab vniuersalibus ad particularia per diffinitionẽ, docentes medicinam per gyrum, siue per rotam. Dicendum est itaque medicinam non debere diuidi in partem theoricam, & in partem practicam: sed bene, & rectè diuidi debere in speculatiuam partem, quam græci nominant theoriam, & in actionem nuncupatam à græcis πρᾶξιν: tota est medicina, debet

debetq́ue dici practica, vt supra ostensum est, quoniam illud est finis medici, sanitas, à quo capitur denominatio scientiæ, vel artis, siue actiuus curando sanitatem recuperare amissam, siue eam habitam cõseruare.

Nunc verò caput 2. explicandum est, vt citius ad rem nostram accedamus. in quæstione de subiecto medicinæ facta legi, & audiui multos declarantes quæstionẽ hanc, nunquam tamen potui habere, nec intelligere quid dicerent: & hoc erat in causa, quoniam erant ita confusi, ita obscuri in legendo, vt nec meo iudicio intelligerẽt seipsos: & cum ego magis intricarer in vanis illis nugis, volui tandem inquirere, vnde prouenires hoc, an ex mea culpa, an illorum? cognoui tandem, & scio hoc prouenire ex malo conceptu nominis subiecti ipsius. Nam errarunt omnes noui circa nomen: qui si sciuissent distinguere, certè non errassent imaginantes sibi multa errata, nec dixissent de subiecto attributionis, quæ dicta nunc sunt partim vera, partim falsa. & ideo omnes intricati sunt circa hoc in hac materia. Nos autem quærentes primum rectos conceptus nominis subiecti, & quot modis capiatur apud bonos autores, deinde quæremus nun quid hoc subiectum, de quo intelligimus, sit subiectum, quod capiatur à recentibus: deinde

deinde apponemus causas erroris: quarto dabimus modum, viam, & methodũ, quomodo debet inquiri subiectum in medicina: postremò videbimus quomodo de subiecto præsupponatur quid, & quia, multáq; Auic. dicta non adhuc intellecta explicabimus. Quod autem ad primũ, quod de conceptu nominis subiecti existit, inuenio Arist. sibi constantem in omnibus & in nomine, & in re, tres esse modos ipsius subiecti: apud aliquos bonos alios autores reperio quatuor modis subiectum posse capi secundum Arist. primus modus subiecti est subiectum prædicationis, secundus modus est subiectum denominationis, tertius modus est subiectum naturæ: ista sunt tria subiecta distincta, quæ reperiũtur apud Arist. non sunt nisi tria, nec plura, nec pauciora inueniuntur his. De subicto primo modo sumpto philosophus agit in libro topicorum primo, in quo loco ostendit, quod de tali subiecto prædicatur genus, & quæ cadunt in genere, & species prædicantur, & differentiæ, vel proprium, vel accidens, vt patet ex his de genere: vt omnis homo est animal: de specie, quod species prædicatur de omnibus sub genere, tale est subiectum prædicationis, de quo hæc omnia prædicantur, ideo dicitur subiectum prædicationis.

Eſt & aliud ſubiectum demonſtrationis, quod tale eſt quando in quæſito ſupponimus aliquid, & de eo dubitamus, an ſit paſſio in eo nécne? & tunc vtimur medio demonſtrando paſsionem ineſſe in eo, de quo ſubiecto habere in primo poſteriorum, & de hoc ſupponitur quid, & quia, nã neceſſe eſt ſi definitio eſt medium in demonſtratione, quod præſupponatur quid, & quia, quemadmodum, vt dixi, habere in primo poſteriorum de ſubiecto demonſtrationis. quanuis iſti recentiores vſurpauerunt hanc propoſitionem veram eſſe de omni ſubiecto: vnde ex hoc errore in multos alios etiã inciderunt non dicentes de quo ſubiecto loquuntur. pręſupponimus enim quid, & quia de ſubiecto demõſtrationis tantum. & ideo iſti nõ diſtinguentes in errores magnos deuenerunt. tertio modo capitur ſubiectum apud Ariſt. & eſt ſubiectum naturæ, de quo ait in primo phyſicorum, vt ſubiectũ mutationis, vt eſt ſubiectum materia prima, & ait in libro de cœlo ſubiectum eſt motus localis: iſta ſunt ſubiecta, quia ſubiiciũtur alicui mutationi naturali ſiue ſit accidẽtalis mutatio, ſiue eſſentialis : iſta ſunt tria genera ſubiectorum, & apud alios vt Themiſtium, vt commentatorem reperitur, & quartum genus ſubiecti, vt patet in primo de ani

de anima commẽto primo,vt eſt ſubiectũ ibi, ratione cuius conſideratur anima in ſcientia,& circa quod verſatur ſcientia:& licet Ariſto.non explicat tale ſubiectum in textu,tamen quoniam dicit vnam ſcientiã eſſe nobiliorem altera duobus modis vel propter exquiſitam notionem, vel propter nobilitatem rei,de qua quæritur. hoc ergo nomen ſubiecti quarto modo ſumpſit à principali,quod erit in ipſa ſcientia, cũ dicatur ſcientia vna eſſe nobilior altera vel certitudine demonſtrandi, vel ratione nobilitatis ſubiecti,quod ſubiectũ erit in hoc quarto numero, quod quidem ſubiectum etiam cõmentator ibi vſurpauit in eo commento, & vſus eſt hoc nomine ſubiecti, quod ſumpſit à Themiſtio:& commẽtator ſic locutus ibi dedit cauſam nouis errandi, tamen cõmentator eſt excuſandus,qui non errauit in conceptu ſuo, bene errauerunt ipſi,cum nõ perceperunt commentatorem ipſum.ſunt ergo quatuor ſubiecti ſignificata:& notate, à natura rei diuiſio ſumpta eſt,quæ ſoluit omnia ambigua,& ſi aliter diuideremus,alioquin diuiſio ſolueret dubia.vtamur itaque hac diuiſione à natura rei,ſi volumus rectè ſcire,& intelligere,quã Plato in philebo ita magnifecit inquiens, quod qui bene ſcit diuidere,eſt exiſtimãdus

diuinus:nulla enim est methodus aptior pro veritate assequenda, quàm methodus diuidendi, qua & ipse Aristo.vtitur sæpe: etiamsi ei proposuerit resolutionem, cũ aliter procedat in operibus.examinemus modo nos hæc quatuor subiecti significata, manifestum est, si accipimus subiectũ illis primis modis nullam scientiam esse, quæ non supponat subiectum, & quærat aliquod aliud à subiecto, ac de subiecto prædicationis, vt homo supponitur : hoc an est hoc? nulla est quæstio; sed quæstio fit de prædicato ratione subiecti: neque vero inquisitio fit de subiecto siue subiectum fit accidentale, siue essentiale, siue proportionatũ, sempérque ratione prædicati in subiecto prædicationis fit quæstio. in subiecto etiam demonstrationis, in quo supponitur quid, & quia, si debet esse medium in demonstratione, non fit quæstio: habemus enim subiectum: sed quærimus pasionem. sic etiã dicitur de subiecto naturæ, quod supponitur: quoniam dicit potentiam, & rationem cognitionis. nam intellectus semper dirigit se ad aliquam formam intelligendam per subiectũ verum, formã postea inquirit, quia subiectũ se habet per relationẽ ad formã. quid moueatur intellectus ad cognoscẽdũ ratione alicuius formæ? nõ moueretur ratione

tione subiecti,& si bene consideremus subiectũ naturæ,ratio materiæ intellectus est ratiõe subiecti in arte,vt cognoscat:sed ratione formæ mouetur,quæ forma non habetur,nisi per viã mutationis:per eã enim deuenimus in cognitionem huius subiecti. Quare intellectus cùm mouetur ad cognoscendum mouetur ratione formæ:quia nõ fit quæstio de subiecto in demonstratione, sed de passione.Itaq; videtis,quod hæc tria subiecta non quæruntur in arte. Est modo & quartum subiectũ,quod ponitur à Themistio,quod nõ verè debet dici subiectum, vt superiora tria, sed potius est æquiuocè subiectum,& debet dici obiectũ:nõ enim habet rationem subiecti,sed ita nuncupatum est. Dico hoc quartum subiectum nõ esse verè subiectum,ratione cuius quæcunque in arte pertractantur, considerantur:& proprie debemus dicere obiectũ,quod græci vocant proportionẽ,vel propositum, vel intentionem , ratione cuius mouetur artifex,vt assequatur id, quod in arte inquirit: & iste scopus,siue subiectum est tantæ nobilitatis in scientiis,vt distinguat eas ratione finis intenti:est enim vt forma scientiarum,& est etiam finis ratione cuius mouentur isti,vt inquirãt, quod optant. Itaque in sciẽtia nihil est charius hoc obiecto,vt hoc

fine,quod quidem patet ratione:nã ſcientię omnes,& omnis actio ſunt ratione finis boni,& finis debet eſſe bonus cum ratione illius artifex,& ſciens agat,quæcunque agit. videatis autem primo ethicorum Ariſto. qui dicit omnem artem appetere bonum, largo tamen modo ibi loquitur:quoniam capitur bonum ibi & pro vero:bonum tamen,& verum aliquo modo differũt:quoniam verum dicitur de ſcientiis ſpeculatiuis,bonum autem prædicatur de ſcientiis factiuis.mouetur ergo ſciens ad finem ratione boni:ex quo cõfirmatur illud dictũ, omnis homo naturaliter ſcire deſiderat:nã in ſpeculatiuis à deſiderio mouetur,vt ſciat; in factiuis, vt agat : & hoc modo dicitur proprius finis diuidens ſcientias omnes; quod ſubiectum non conuenit cum aliis tribus ſubiectis primis,quoniã capiendo hoc ſubiectum quarto modo accipitur pro fine,ſeu intentione,vel pro ſcopo; nomẽ vero hoc ſubiecti non erit verè nomen ſubiecti,ſed potius æquiuocum,& tantummodo aſsimilatur illis tribus primis in nomine, de quo ſubiecto, vel obiecto ſic dicto in quarto modo quandoque non ſupponitur eſſe de eo,nec quid ſit, ſed quæritur an ſit; vt in tractatu de prouidẽtia,in quo quæritur de ipſo toto,finis intẽtus ibi eſt ſcire an
ſit

sit prouidentia; quo autem scito, tunc cessat ipsa inquisitio, de ea primus conceptus est an sit prouidentia, secundus conceptus debet habere, vt omnia referantur ad illam, quia est finis, & subiectũ. præterea aliquando de subiecto nõ supponitur esse, sed quæritur: quo cognito cessat inquisitio talis. nam de eo quæritur primum an sit, deinde subiectum in quarto modo sumptum quandóque accidit, vt nõ supponatur si sit: quandóque etiam supponitur quod sit, sed quæritur quid sit, quemadmodum fit in libro de anima, supponimus animam esse: quærimus autem subiectum, & eius passiones. quærit etenim in primis Arist. ibi quid sit anima: præterea inquirit eius passiones. De hoc autem subiecto quarto modo primum fit, quod non præsupponatur, nec si sit, nec quid sit: quandóque quid sit tantum, & alia quærunt: quandóque etiam præsupponitur quòd sit, & quid sit: vtputa quod sit, & tantum tunc quærimus aliquam qualitatem, vt quando probamus adulatores esse impudentes, & malos: præterea supponuntur illa tria quæsita, vel tantummodo passio, & proprietas illa, & sic istis variis modis potest præsupponi hoc quartum subiectũ, quod quidem est verum subiectum in omni arte, & finis intentus, & conceptus pro-

prius:hoc enim eſt id, quod propoſueramus,& erat ſecundum quomodo intelligatur nomen ſubiecti quarto modo. tertium erat propoſitum, qua arte,& qua methodo inueniri poſsit ſubiectum in ſcientia? Notate certum eſſe, ſi bene aduertatis, nullam artem, neque aliquam ſcientiam, præterquam vnam, quæ eſt philoſophia diuina, inquirere aliud, quàm paſsiones, & ſupponere ſubiectum. probemus hoc, & incipiamus à mathematicis:nulla enim harũ eſt, quæ inquirat aliquid, niſi paſsiones,& accidentia, & affectus, vt arithmetica quærit numeros, geometria vnitates, muſica ſonos, aſtronomia motus, aſpectúſq;,& communicationes, quæ ſunt paſsiones veræ. ſimili quoq; rationis modo in philoſophia naturali quærimus paſsiones, ſic ſi ad ſcientias actiuas accedamus non quærimus, niſi paſsiones:ad ſcientias factiuas deueniamus, quarum eſt medicina, quætimus paſsiones, affectus,& qualitates medicinæ, vt ſanitatem,& operationes, quæ ſunt accidentia in ipſa ſcientia factiua:verſamur enim in ea circa morbos,& circa qualitates. Nam patet omnes ſciẽtias, quæ ſunt in genere tres, prout ſunt tres fines, quærere paſsiones tantum,& non ſubiecta ſola, vt dixi, ſcientia diuina excepta, quæ ſibi ſubiicit ſiue ſubalter

alternat omnes alias ſcientias, quæ ſcientia quærit ſubiectum, quod eſt ſimplex ens, & ſua ſubiecta ſine additione, nec quærit illa paſsiones, ſed rationem entis inquantum ens. & ideo dicitur merito prima philoſophia, & ſimplex propter ſimplicitatem ſui ſubiecti, quæ ſciẽtia prima inquirit ſubiectum, & ſubſtantiam ſuam tantum, non paſsiones: quicquid autem ſit eius ſubiectũ an Deus, an verum ens, an ſubſtantia, non curemus de hoc nunc, tantum quærit nunc verum ens, & veram ſubſtãtiam, quantum ens eſt ens, & ſubſtantia: quoniam eius ſcopus eſt tantum quærere, & ſcire hoc. Itaque dicitur ſcientia ſimplicisſima, quia ſubiectum eius eſt ſimplicisſimum: iſta ergo prima ſcientia eſt ſimplex, & diuina, & habet ſuum ſubiectum tale, vt ſit ſubiectũ & obiectum, & perfectio perfectibilis eius nullam habens aliquo modo additionem, vno ſubiectum ſuum eſt ſimplicisſimum, ita vt ſit ipſamet perfectio. Ideo dicitur ſcientia ſimplex ſibi ſubalternans alias ſcientias, & aliæ omnes conſiderant ſubiectum cum additione. nam conſiderant paſsiones entis ſubiecti, quæ ſcientiæ reuera ſunt aliæ in ſe, quando quærunt tantum habere ipſas paſsiones, quibus habitis, & acquiſitis non vlterius inquirunt. Quapropter iſtæ dicun-

tur ſubalternatæ primæ ſcientiæ:quia dum conſiderantur paſsiones, & paſsiones non poſſunt eſſe,nec ſtare ſine ſubiecto,ob eam rem fuit neceſſarium addere eius etiam ſubiectum, in quo exiſtunt iſtæ paſsiones; nec enim poteſt haberi paſsio aliqua, niſi prius ſubiectum ſit acquiſitum;& licet philoſophus naturalis de ſe non curat materiam primam, tamen omnes mutationes; & ſi poſſet eas habere ſine cognitione primæ materiæ faceret: ſed quia non poteſt hoc,ideo conſiderat etiam de materia prima.cùm itaque ſcientiæ non inquirant,niſi paſsiones, quæ haberi nequeunt abſque ſubiecto,ob id hæc omnes ſcientias oportet inquirere ſubiectum ſui affectus; quod hoc ſit verum, patet quia omnis ſcientia accipit finem ſuum à ſuo ſubiecto, quem finem cum ſuo ſubiecto capit propoſitio, & facit eum cum ſubiecto ſuo proprio, & immediatè:atque illi videntur benedicere corpus mobile eſſe ſubiectum in philoſophia naturali, & non ens mobile; quia corpus eſt magis immediatè motui, quàm ens in philoſophia naturali. ſcientiæ ergo excepta metaphyſica habēt hoc proprium, vt quærant paſsiones,quamuis hoc non poſſint ſine ſubiecti additione. Vnde aliud eſt habere ſubiectum,vt perfectio eſt,& aliud

habe

habere ſubiectum cum adiunctione.ex quo primo philoſophia valde diſtat ab aliis ſcientiis. Do exemplum: philoſophia naturalis cum accedit ad philoſophiam diuinam,quomodo procedit, & quem finem habet?motum, quia quæcunque ſpeculatur, ſpeculatur propter motum, & quare hæc omnia inferiora moueantur. vult ergo perquirere motum,qui tamen non poteſt haberi ſine ſubiecto primæ philoſophiæ,quo tandem habito ceſſat neceſſario omnis inquiſitio philoſophi naturalis:quoniam omnia conſiderata ſunt à naturali pro motu. Et ideo facimus ſubiectum philoſophiæ naturalis corpus mobile, & hoc eſt ſubiectum in philoſophia naturali, quarto modo ſumptum. ſed motus quia mouetur non ſtat ſine corpore, itaque ponimus ſubiectum eſſe corpus mobile ſimul vnitum, ſed quærimus ne aliquid de corpore, vt corpus eſt?minimè:quærimus tantum de fine intēto,de motu:nō de corpore, vt corpus eſt non quæritur ibi quicquid à philoſopho naturali,ſed vt mobile;tamen corpus,& ſi quid de corpore quærimus, id fit,vt habemus relationem ad motū, id eſt ad paſsionem, quæ eſt finis, propter quam omnia in ſcientiis conſiderantur, imò ſi quæreret philoſophus naturalis de corpore,qua

re, quatenus corpus eſt, hoc ſumeret à diuino, ſed non conſiderat (vt dictum eſt) de corpore quatenus corpus, niſi per accidens, & vt habet paſsionem. ſic facit Ariſt. in lib. de generatione, vbi corpus mobile quæritur à philoſopho naturali, quatenus eſt generabile, & corruptibile, & ſic acquiritur hæc ſcientia, vt & aliæ per aliquam additionē, quia aliquid additur principali ſubiecto. nam in libro de generatione additur corpori generabile, & corruptibile, & idem quod habet perficere tale ſubiectum, hoc idem dicetur de ſubiecto in libro de cælo: propterea quod ſubiectum eſt corpus mobile ad locum, & ratione motus localis fit inquiſitio ibi à philoſopho, quatenus corpus eſt mobile: non enim inquirit in libro de cælo aliud, ſed ſi philoſophus quæreret corpus mobile illic, ſumeret id à philoſopho naturali, id eſt, phyſico. conſiderat ergo philoſophus ibi primò motum localem, vel corpus mobile ad locum, & iſta eſt vltima differentia, quæ determinat ſubiectum, & ſi bene notetis patet, quod quanto magis deuenimus ad particulares ſcientias, tanto magis ſemper fit aliqua additio ſubiecto quarto, quæ additio eſt, qua ſcientia vna diſtinguatur ab altera, & omnes tamen ſubalternantur primæ, diuinæque ſcientiæ,

quæ

quæ omnes fiunt per additamentum præterquam prima, quo additamento ſcientia vna diſtinguitur ab alia, & omnes tamen ſubalternantur primæ, ac diuinæ ſcientiæ, quæ omnes fiunt per additamẽtum, quod quidem dicitur eſſe quartum ſubiectum à nobis declaratum ſecundum Themiſtium, & Auer. & dicebamus nos in prima lectione per Auer. in procemio phyſicorum, omnes ſcientias factiuas fieri à ſpeculatione per additamentũ, & ſic dicebamus idem de mathematicis, & in naturalibus, & de actiuis, vt eſt medicina, quæ oritur à philoſophia naturali, in qua arte quæcunque conſideramus, per ea tandem deuenimus ad vnum, id eſt, ad corpus humanum ſanabile, ad quod omnia in arte referũtur. Quod autem medicicina ſubalternetur philoſophiæ naturali, patet: quia Ariſt. in libro de ſenſu, & ſenſato dicit, habitis omnibus rationibus corporis humani tunc philoſophus ceſſat, & ibi ad eam ſequitur alia ſcientia ſubalterna, quæ eſt medicina: vbi enim deſinit philoſophus, ibi incipit elegans medicus. Nã Ariſt. in lib. de ſenſu & ſenſili inceperat loqui de rebus attinẽtibus valde ad medicum, nimirum de ſenſibus: & in libro de longitudine, & breuitate vitæ, de cauſis vitæ, quæ ſunt valde annexa medici-

næ. Itaque dixit ibi incipit medicus, vbi desinit philosophus: & bene dixit elegans propter medicos empiricos, qui non debent dici elegantes: qui non procedunt ratione, sed experientia, & obseruationibus: dogmatici autem sunt veri medici & elegantes: quod etiam medicina subalternetur philosophiæ videatis: nam corpus humanum est sumptum pro vltimo in philosophia naturali: si vero corpori humano addatur aliud, & dicatur corpus humanum sanabile, vel ægrotabile fit alia sciẽtia subalternata, quæ est medicina. vnde dico, quòd sanitas est finis medicinæ, quia omnia considerat medicus in medicina propter sanitatem, & est tota practica, quia omnia in ea considerata sunt propter sanitatem, gratia cuius mouetur medicus: qua habita cessat tunc omnis operatio, & medicus operari. Quocirca subiectum medicinæ est sanitas, dico subiectum quarto modo, quia sanitas est quidem affectus, & quędam passio, quæ non potest stare sine subiecto, sicq; est habendum subiectum proprium, & adæquatum sanitati: hoc autem est corpus humanum, quod suscepit sanitatem, & non aliud corpus: propterea quòd medicina non considerat corpora brutorum. solum ergo corpus humanum adæquatum

erit sanitati. Et ideo dicimus corpus humanum, & sanabile esse subiectum proprium in medicina, & ita esse subiectũ, vt sublata sanitate ipsa ab ipso corpore humano non sit amplius subiectum medicinæ, quia medicus non quærit aliquid in corpore humano, nisi sanitatem, quæ est principalis scopus, & vbi discesserit ab hoc scopo, de quo toties vobis dixi, semper errabit: nam propter ipsum scopum omnia agit medicus in arte: vnde scopus est ille, qui diuidit scientiam: vel enim medicina ex consideratione scopi dicitur theorica, vel dicitur practica. Bene aduertatis, ne decipiamini: dico quandocunq; consideratio fit de corpore humano sine sanitate, nec cõsideramus, quæ sunt in corpore humano ad sanitatem spectantia vt temperaturas, & similia non pro sanitate, sed quę sint, & quomodo, vt facit Arist. in libris de generatione animaliũ, hęc consideratio, vel speculatio pertinet ad philosophum naturalem, & non ad medicum: sed quandocunq; consideratur corpus humanum, & quæ sunt in corpore humano, vt temperaturæ, referendo omnia ad sanitatem, vt facit Galenus, propter quem finem mouetur artifex considerans omnia ratione illius finis, tunc illa consideratio spectat ad medicum: propterea quòd talis

consideratio tota refertur ad sanitatem, quę sanitas est finis intentus, qui mouet medicum ad operandum. At corpus humanum non mouet medicum ex se ad artem, sed mouetur ipse medicus propter sanitatẽ (vt dixi) habendam. vnde considerat medicus temperaturas, compositiones, & qualitates: quoniam qualitas cõsistit in temperaturis, & in quadam debita proportione, vnde habenda sunt omnia hæc propter sanitatem. Quare dico in quacunque scientia, præterquam in prima, eáque diuina, quæ dicitur prima, & simplex, quæque considerat simplex subiectum, quod est ens, subiectũ esse per additamentum, & omnes scientię ex tali additione subalternantur illi primæ. Itaque modo patet non tantùm in medicina posse inueniri subiectum, sed in omni scientia: & manifestum est etiam, quod sit subiectum terminatũ illis primis tribus modis, vt ponitur ab Arist. & deinde est aliud quartum subiectum, quod est æquiuocè subiectum, seu potius obiectum, quod deseruit omnibus scientiis, quia omnes cõsiderant passiones, sicq; habentur scientię subalternæ: quoniam fiunt per additamentũ: & ratio huius est, quod passiones non possunt stare per se, & sine subiecto: & sic fiunt ipsæ cum additione: vt tantum sola prima philosop

losophia habet ſubiectum verum, proprium, & adæquatum ſine aliquà adiunctione. Vnde ſi vultis cognoſcere, & inuenire ſubiectum alicui ſcientię, debetis videre, qui affectus, & paſsiones conueniant illi ſubiecto, vt de ſanitate in corpore humano: illi enim conuenit ſanitas, ob eámque qualitatem, ac proprietatẽ eſt verum ſubiectum in medicina: proptereaquod omnia in ea conſiderabũtur ratione finis illius, ac illius ſubiecti cum fine: non autem ratione corporis humani tantum. Nunc caput tertium eſt exponẽdum, quod eſt an liber iſte ſit Galeni, qui liber inſcribitur μικρωτεχνὴ, aut ars parua medicinalis: & quis fuerit Galenus, qui hæc cõſcripſit: hæc omnia declarabo vobis. & dico conſtare duos fuiſſe Galenos viros inſignes, quorũ nomina etiam à me dicentur: vnus cognomine vocabatur Praphraſtes filius Menodoti vir quidã magnus, & peritus, & fuit maximus ſophiſta, & ſcripſit iſte multos libros, quorum vnus fuit introductorius de hortatione, qui liber dicitur autor Paraphraſtes, & ſcripſit librũ de rerum affect. (quod autem fecerit hos libros, patet ex ſuo ſtylo laudabili) & alium librum, qui inſcribitur ad bonas artes diſcendas exhortatio: qui libri ponuntur in principio noſtri Galeni, & attribuuntur ei,

tamen non ſunt ſui, ſed hoc nihil refert.
Alius fuit Gal. & ſecũdus vir quidã magnus
valde, ac peritiſsimus, & à nobis amplexan
dus: cuius labores ferè omnes habemus, iſte
Gal. fuit filius Nicolai Geometræ, qui Gal.
floruit tẽpore Antonini Imperatoris, & vi-
xit vltra annum octogeſimũ: fuitq; voca-
tus Romam ab Antonino Imperatore, vt
duceretur in Germaniã. Dum autem An-
toninus in Germania bellũ gereret, reman-
ſit Gale. Romæ per ſex annos, vbi ſcripſit
tot libros: non enim laudabo ipſum, cũ per
ſe eluceſcat. nã ſatius eſt, quod clarũ eſt, ſi-
lere, quã diminuté id exaggerare. Hæc ſint
dicta, quantum ſpectat ad noſtrum Galen.
& hæc de tertio propoſito ſatis. quartũ ca-
put eſt de titulo, quod eſt vtile valde: quiſ-
nam ſit titulus huius libri, habetur duplex:
nam aliqui, vt ſunt Græci, inſcribunt τέ-
χνη ἰατρική. i. ars medẽdi ſiue medicinalis:
alij autem inſcribunt μικροτέχνη. i. ars par-
ua, quantum ad primum nõ nego, quin ars
medicinalis dici poſſit, ſed etiam alij libri
ſic dicuntur: titulus quidem verus in ſe eſt,
ſed nimis generalis: propterea quod multi
alij libri dicuntur medicinales, & introdu-
ctorij, vt iſte. itaque iſta inſcriptio magis
propriè huic libro cõuenit, quæ erat μικρο-
τέχνη, quem titulum ſiue inſcriptionem
etiam

etiam Arabes ponunt, qui quidem fuerunt magis propinqui, & adhærentes meth. Galeni, quàm nos: fuerunt enim viri præstantissimi, & floruerunt per quoddam tempus in literis optimis, vt ostendi vobis cum legebam Rasim ad Mansorem, qui Mansor fuit vir potens, & maximus tam in bello, quàm in omni genere virtutum, & vsque ad oceanum Hispanicum, & totam Aphricam occupauit, ad quem per successionem ciuitas illa, quæ Marochus appellabatur, maxima omnium ciuitatum Aphricæ, quæ prope montem Atlantem sita est, deuenit à Mahommeti filio condita anno quingentesimo, 24. sui Imperij. Incepit autem Regnum Mahommetis 594. anno, hanc etiam exornauit literis, monumentísque, & templa quàm plurima construxit, centumque bibliotecas, atq; omnes illuc conduxit insignes in omni genere virtutum, & scientiarum, inter quos primus fuit Rasis inter omnes Arabes, cui successit Auenzoar, Auempacem, Auicenna, Auerroes post. 142. annos gymnasia omnia destructa fuere, floruerúntque apud Arabes per ea tempora. à Christianis autem occupata, & obsessa ciuitate cum toto regno deducta fuere gymnasia in Galliam, & Italiam, & iam sunt quingenti anni, in qui-

bus floruerunt, & habuerunt illi Arabes omnia bona Galeni quare fuerunt viri egregij in multis, & non solùm Galeni, sed etiam Aristotelis. Itaque cum etiam Arabes imponāt hunc titulum huic libro, debemus dicere quod titulus proprius μικροτεχνή, & vsurpatur etiam à multis. nam appellatur ars parua à latinis: sed dicetis quomodo vertitur μικροτεχνὴ in artem paruam, nunc videbitis paupertatem linguæ latinæ, & vbertatem Græcorum in literis: latini vertunt illud μικροτεχνὴν, & dicunt artem paruam: sed vertendo dicunt titulum ex Græco in latinum, aliud est dicere μικροτεχνὴν & aliud est dicere artem paruam: non enim debet dici ars parua, quia sit imperfecta, & mutila, & breuis ars, imò dico, quod est ars perfectißima, vt ostendam, omnium, & talis, vt in ea tota medicina contineatur, & absolutè traditur tota medicina in hoc libro. verum nescio, quare dicatur sic ars parua? an quia paucis dicatur verbis, an magna ars, quia plurimis proferatur: non enim dicitur ars parua, & magna propter quantitatem, vel paucitatem verborum, sed debet dici sic bonitatis gratia, & perfectionis sicut dicitur febris magna, quæ est intensa: sic est ista magna, quia etiam magnum, & paruum referun

referuntur ad qualitatem intensam: neque ergo debet dici ars parua, quia paucis verbis explicetur, neque maior illa, quia plurima contineat verba: solummodo continet ista pars totam medicinam in perfectione. non ergo debet verti illud μικροτέχνη in artem paruam, sed hoc dictum fuit defectu, & inopia linguæ latinæ, propterea quod nesciuit interpres aliter vertere sermonem: & dico quod illud μικρότεχνη non possumus latinè dicere rectè, nisi circunscribendo, vt quæ in paucis verbis contineatur tota ars medicina, & in paruo volumine tota includatur. Itaque dicitur μικροτέχνη, quemadmodum, & μίκροκοσμος, id est, paruus locus, vel paruus mundus. est enim tabella, quæ continet totum orbem descriptum, sic dicitur μικροτέχνη, id est, tota medicinæ ars in paucis verbis inclusa, & perfecta, & hæc quantum ad inscriptionem. quintò quęritur quænám sit proportio huius libri ad alios libris Galeni? quibus libris Galeni debent præponi, & quibus postponi? & vt videatis vtilitatem huius quæsiti, oportet vos scire ex cunctis libris Galeni tres extare ordines, siue gradus. Nam nonnulli sunt libri Galeni extra artem, qui non faciunt ad artem medicinã, qui pertractant de rebus sophis-

maticis per artem medendi, quæ res nulla est ars medica, nec pars artis medicinæ: alii autem libri sunt in nostra arte, qui sunt, vt partes medicinæ tantum, & isti referuntur ad totum, imò multi sunt libri Galeni, vt partes medicinæ, quibus tamen simul sumptis omnibus fit ars magna tota. tertius est ordo librorum Galeni, estque eorũ, in quibus continetur tota ars medicinæ, & isti dicuntur introductorii libri, siue modo sint particulares, siue sint vniuersales: isti enim appellantur introductorii, in quibus continetur totum id, de quo vult autor dicere: vel enim est particularis introductorius, vt liber de pulsibus est introductorius, de natura illa particulari, quia totam illam continet: sic liber de ossibus est introductorius illius materiæ particularis. quantum attinet ad illam particularem materiam, vnusquisque eorum, de quibus diximus, est vniuersalis: particularis vero ad totam medicinam: appellatur autem liber de pulsibus introductorius, sed particularis: quia in eo breuius, & in breuibus admodum verbis tota colligitur materia de pulsibus, & erudiũtur mentes. alii porrò sunt introductorii vniuersales ad totam artem, vt est iste liber artis paruæ, in quo tota medicina per capita habetur: in cæteris libris habetur diffuse.

Notate

Notate, fuit ſemper mos Gale. ante, quàm
exquiſitè diceret de re aliqua ponere illius
rei introductionem, vt apparet. ſunt itaque
tres ordines librorum Galeni, vel tres gra-
dus, quæritur modo in quo loco, in quo ordi
ne iſte liber, quem præ manibus habemus,
ſit colocandus? non enim debet reponi inter
libros primi ordinis, quoniam in hoc non
pertractatur ſophiſma, neque ſophiſticæ
quæſtiones, quæ non deſeruiunt arti medici
næ, ſed in illis libris ſoluuntur tantũ omnes
ambiguitates pro maiore declaratione ar-
tis, vt eſt liber ille de moribus animi: non
enim ille medicinæ, ſed potius philoſophię
naturali deſeruit. ſimiliter liber de hiſtoria
philoſophorum, & alii ſimiles, qui nõ ſunt
nec medicinæ pars, nec tota medicina: licet
enim in ſe ſint pulcherrimi, non tamẽ ſunt
partes medicinæ: ſunt & alii, & eſt duplex
ordo librorum, qui ſunt partes medicinæ, &
referuntur ad totam medicinã, ſicut omnia
membra corporis humani referuntur ad to
tum corpus, & ſunt quemadmodum liber
de elementis, de tẽperaturis, lib. de fac. nat.
li. de locis affectis, de methodo medendi, de
anatome, de adminiſtrationibus anatomi-
cis, & libri de vtilitate partiũ, qui libri ſunt
partes artis medicinæ, & tota ars integra-
tur ab illis. at hic clariſsimus μικροτεχνῂ

non est reponendus, nec inter hos libros, quia in hoc libro non tractatur nisi de tota arte medicinæ: in partibus autem illis continentur partes medicinæ, & non tota: quia pars dicitur, quæ facit ad integrationem totius: sed hic traditur tota ars græcorum: nec interponendus est in libris introductoriis particularibus, quia pertractatur materia particularis totius medicinæ, vniuersalis vero in se: hic autem habetur tota medicina in se, vt in respectu ad ipsam medicinam de numero non debet reponi in primo ordine, nec in secundo, nec partim in tertio, nec partim tantum in tertio ordine: sed erit liber introductorius vniuersalis ad totam artem medicinæ contra opinionem nonnullorum negantium hunc esse introductoriũ quod hoc sit verum, patet per autoritatem ipsius Galeni in fine tertii libri huius, qui vult esse introductorium, vbi recenset hos omnes locos, qui dum fecisset librum de cõstitutione artis medicinæ, qui sunt introductorii, & illi libri sunt necessarii cum hoc libro, de quo nunc pertractat, & vult istos libros enumeratos esse cũ hoc libro, ab aliis libris remouendos, in quibus aliis explicauit diffuse totam artem medicinæ. vult itaque quod separentur isti ab aliis, & recenset hunc inter introductorios: ergo erit per Galenum

lenum liber iste introductorius: vnde bene facerunt Arabes, qui instituerunt ordinem legendi libros, & quod iste esset introductorius. Nam ista, quæ in hoc libro continentur, sunt vt compendium totius artis, & introductiones: sicque sunt legendi, & hoc patet per Galenum in tertio de causis pulsuũ in procemio, & in procemio de ordine libri vbi inquit, quod semper proponere debemus auditoribus quædam introductoria, ne fiat aliqua confusio, quibus introductoriis adhæreant tãquam scopo, & hoc erat quintum propositum. sextum propositum est ordo doctrinæ, quisnam ordo doctrinæ sit in hoc libro. certum est quod hic ordo definitiuus est, vt patet per Galenum: quot aũt sint ordines, hic non ostendemus: nam in textu agemus de his optime: nunc supponatis hunc ordinem esse definitiuum. septimum erat propositum, quænam sit vtilitas huius libri: maximè enim facit scire vtilitatem ad excitandas mentes, & animos auditorum. si enim consideremus hunc librũ, vt communiter solet legi, nullius erit vtilitatis: quoniam sic legendo ipsum non patet tota medicina, & tamen in eo tota continetur medicina, & quicunque rectè caluerit hunc librum, ille habebit quidem totam medicinam. quare dicimus esse vtilem li-

brum propter duo: quemadmodum dicit etiam Galenus in textu in principio, quia in hoc libro continentur omnia capita artis, & summæ. deinde vtilis est, quia maximè facit ad memoriam: illi enim habēt totam medicinam, quibus erunt in memoria omnia ista capita huius libri, ita vt quando explicabit diffusius materiam, de ea habebit memoriam maximam. oportet itaque videre primùm, quomodo iste liber amplectatur totã artem? si memoria tenetis, nulla res à nobis dicta frustra est: dixi diuisiones medicinę quomodo fiant, totum enim & constat, & fit ex suis partibus, & ex suis partibus acquiritur totũ. Dicebamus quod diuisio medicinæ dupliciter sumebatur vel ab ipsa essentia, & non ab accidentibus, & hæc est vera diuisio. essentia autem constat ex duobus, materia, & forma: & diuisio, quæ sumitur à materia, & forma essentialis est. Diximus materiam medicinæ esse corpus humanum præcipue: finem verò ipsam sanitatem, quæ fluit ab essentia subiecti: sed quia sanitas refertur etiam ad alia subiecta secundum prius, & posterius: refertur enim & ad causas, & ad signa, & ad corpora, ex quo fit ista materia, quæ est subiectum in arte vestra, facit triplicem diuisionem medicinæ: nã alia est pars medicinæ, quæ sumpta

pta eſt à cauſis,& conſiderat cauſas: alia eſt
pars,quæ verſatur circa ſubiectum ſignorũ,
agit enim de ſignis,& eſt ſecunda:eſt & ter-
tia quæ conſiderat ſanitatem præſentem,&
futuram corporis humani: verſatur enim
circa ſubiectum.ſunt enim tres partes me-
dicinæ ſumptæ à materia,& à ſubiectis, de
quibus hoc anno pertractabimus. Alia eſt
diuiſio medicinæ, quæ ſumitur penes for-
mam,quæ forma eſt ipſa ſanitas,quæ conſi
derari poteſt dupliciter: vel conſideratur ſa
nitas,vt adeſt,vel vt abeſt.ex qua conſide-
ratione ſumitur diuiſio medicinæ in partes
duas,quarum vna dicitur ſanatiua, altera
conſeruatiua: vnde partes duæ erunt medi-
cinæ formales, quæ à fine proueniunt: vel
enim conſideramus ſanitatem, quomodo
eam conſeruare poſſumus, vel poſſumus
eam recuperare: vel conſideratur ſanitas,
quando conſiderantur cauſæ ſuæ conſerua-
tiuæ,vt conſeruent ſanitatem: vel cauſæ de-
ſtructiuæ,quibus tollitur ſanitas, conſidera
tur ob eam rem vt reſtauretur.deinde conſi
derantur diſpoſitiones corporis humani tã
naturales,à quibus fluunt ſigna omnia in-
dicantia vel ſalubritatem, vel inſalubrita-
tem,& ea conſideramus,ſiue præſentia,ſiue
futura,ſiue præterita: tradũtur enim omnes
cauſæ etiam deſtructiuæ ſanitatis,ſicut con

ſerua

seruatiuæ etiam:& signa omnia,& dispositiones omnes. In hoc itaque libro tota habetur ars medicinæ:si sic quis dicit hunc librum non esse in se vtilissimum? Et ideo propter duo dicitur valde vtilis: primum quia includit totam artem per capita; deinde est vtilis cum per hũc librum quodcunq; potest paruo tempore,& pauco admodum labore addisci, & hoc gratius cuicunque, quàm discere longo tempore,& summo labore:& cum in hoc libro facilius,breuiorique tempore medicina acquiritur,liber iste erit vtilissimus,vt apparet. quod autem ad memoriam,dico vtilem esse:est enim vtilissimus ad memoriam,vt patet:nam quid est memoria? Memoria,vt describit Aristo. in lib. de memoria,& reminiscentia est habitus phantasticus,quo conferunt vnam imaginem,prout referunt ad exteriora,& ad cõceptum:si sic est quis dubitat, quot quanto erunt pauciora phantasmata, tanto facilius retinebuntur,quàm si fuerint multa in ipsa imaginatiua: & vt docet Galenus hoc. vbi ergo in hoc vestro sacrario fuerint pauciores imagines,tanto facilius continebuntur, & si deperduntur, facilius etiam recuperabuntur,quàm si fuerint multæ, properteà quòd in memoria conseruantur cum meditatione,quemadmodum dicit philosophus

in libro illo de memoria, qui vult ſeruare ea, oportet ipſa phantaſmata meditari: hæc enim meditatione conſeruantur in memoria, per meditationem conſeruatur quidem memoria, quę meditatio nihil aliud eſt niſi repertio imaginum: ſi per perceptionẽ imaginum habetur memoria, & per receptionẽ melius quidem habitis per pauciores, quàm per plures. Sed hic tota ars per pauciora phantaſmata traditur. Eſt itaque vtilis valde liber iſte ad memoriam, quoniam per ipſum facile conſeruatur memoria ipſa. prę terea facit liber iſte ad reminiſcentiam, quoniam ſi quicquam traditur extra mentem, tunc facilius poterit ad mentem redigi per pauca verba, quàm ſi per multa traderetur: facilius enim redit ad memoriam, quod in compendio habetur, quàm quod in magno pelago, inque mari vaſto pertractatur: ſi enim fit reminiſcentia, dũ recuperatur vna imago prius altera imagine præterita, ſic ſtatim fit rememoratio præteritæ imaginis vt verbi gratia ſit Plato Cytharœdus, video Platonem Cytharizare: deinde hoc excedat à mente mea, vbi video alium, puta Socratem cum cythara propter illam affinitatẽ, quam habet cythara Socratis cum Platone cytharœdo, ſtatim reminiſcor de Platone cytharizante: & hoc eſt, vt dixi, per affinita-
tem

tem imaginum : vbi enim eſt vna imago, etiam & alia ab illa dependet. Sic quoque dico hunc eſſe vtilem librum quoad reminiſcentiam, quoniã in hoc ſunt imagines electæ medicinæ, quæ facillimè reminiſcũtur. Et ideo etiam hanc ob cauſam liber iſte eſt amplexandus valde: nam & nautæ licet in arte ſua ſint periti, & docti, qui nauigant in mari per longum temporis ſpacium, habẽt tamen ſua inſtrumenta ſiue tabulam ſuam, & ſuas lineas, vt ſi in magna tempeſtate neſciuerint in qua parte impulſi fuerint, ſtatim recurrunt ad ſuam tabulam, quoniam ex ea fit ſubita reminiſcentia, & cognoſcunt tunc, qua in parte orbis reperiantur: ſimiliter eſt de illis, qui volunt ſtatuere aliquod magnum ædificium, habent ante, quàm aliquid agant ſuum archetypum id eſt, compendium ſuum vniuerſale, quo bene commemorantur omnia, & cuncta ſcitè & rectè operantur tali compendio, ſic & vos debetis facere in hoc libro. debet enim vobis iſte liber eſſe archetypus, & compendium, & tabella, in qua inſpicere debetis omnia in arte: quo habito omnia etiam erunt facilia; propterea quòd ſunt ibi collecta. Quare videtis miram vtilitatem huius libri ad adipiſcendam medicinam. vltimò proponebatur, quiſnam modus ſit ſeruandus in

hoc anno exponendo hunc librum? ſciatis nos facturos, vt mercatores, qui vendunt expectantibus merces ſuas, eas exponunt ante ſuas & officinas, & cauponas, vt qui emere velint emant, ſi bonæ ſunt: ſi autem malæ, minimè: volo enim proponere bona, & pulchra vos docere, poſt mala decipiendo vos. Vnde dico modum docendi meum fore talem in exponendo hunc librum: quoniam video duo exponētium extrema: ſunt enim quidam, qui dum legunt proponūt omnes quæſtiones Iacobi, quæ ſunt fermè 300. modo eſt ſtatutum, quod debeat legi vanus homo: ſed ſummopere errant ipſi. primū non poſſunt expediri omnes iſtæ quæſtiones in quatuor annis, quia nihil profectò faciunt pro medicina, eſtque reuera totum tempus conterere in illis monſtris Iacobi, & cognoui ego multos ſcholaſticos, quibus dū propoſitæ fuerint tales quæſtiones videntes eas ita abſurdas putantes etiam medicinam veram adeò eſſe abſurdam reliquerūt ipſam. ars noſtra cum iucundiſsima ad diſcēdum, & pulcherrima pars philoſophiæ, tum abſtinebimus ab illis portentis deuaſtantibus ipſam medicinam. Alius eſt extremus modus profitendi, & iſti penitus fugiunt, & abhorrent à quæſtionibus vanis, & futilibus. & legūt iſti tantum textum ex aliis libris

colli

colligentes sua dicta, & hoc est nimis tenue, & squalidum, nec faciunt ad auditorum vsum. Nos autem mediam eligemus viam, nec erimus ita ieiuni, tenuesque vt illi, nec multum versabimur circa quæstiones vanas, nisi quando opus erit: sed erimus medii parum tangentes quæstiones illas, & ita patebunt quæstiones illæ, & omnes difficultates, & multum processum faciemus docentes multa bona in paruo tempore: propterea quòd multitudo docendi in longo tempore fit ex malo intellectu. Hæc fuerunt octo capita illa à nobis proposita, & demũ explicata. Debemus modo accedere ad textum, & videbitis, quàm clarè declarabitur vobis textus Gal. sed vsque ad partem illã (medicina est scientia sanorum &c.) erimus potius logici, quàm medici, & de necessario etiam ista pars prima, & totũ procemium postulat. Dicemus quidem pulcherrima, & vtilia. Accedamus ad artem nostrã diuidendo ipsam. Itaq; parate vos interim: expecto enim vos ad hanc artem discendam, vt magnanimos. dixi talem esse medicum, qualis est logicus, neque posse esse bonum medicum quenquam nisi & bonus logicus sit. Vnde multi medici ignorantia logices decepti sunt in multis: & Galenus vbique clamat contra Erasistratum, qui sę-

pe in logica deceptus fuerit:& causa suorũ errorum fuit ignorantia logices. Quare non est contemnenda logica vllo pacto,& de his satis:nunc modo dicam, & reliqua de subiecto huius libri. Debetis scire, proposita fuerat quæstio de subiecto, & dixi quæ fuerint causæ dissidiorum, & dubitationum de subiecto, quod quidem oriebatur à mala diuisione. Diuisimus autem nos subiectum quatuor modis, tribus tantum modis secundum Aristo.& addimus quartum subiectum,seu obiectũ quod erat subiectum æquiuocè dictum:& istud quartum erat positum à Themistio, & à commentatore explicitè.& quoniam possetis errare, quia in primo post. Arist. vbi loquitur de subiectis scientiarum dicit scientiam esse vnius generis subiecti subalternati:sed dicet in hoc quis, illud subiectum est ne quarto modo dictum? Dico, vt etiam dixi non reperiri hoc subiectum apud Arist. quarto modo dictum:sed Aristo. semper id, quod nos quarto modo dicimus subiectum dicit esse vnum genus, vt supra circa numerum, & subiectum, in medicina quarto modo dictum:atq; Themistius addidit ὑποχείμενον id est obiectum:vnde latini in hoc modo non aduertentes errauerunt, qui dixerunt genus, cum dicit philosophus subiectũ. Di-

xíque omnes ſcientias præterquam primã, quærere accidentia entium,& habere ſuum finem id eſt paſsionem entis. At prima philoſophia quærit non accidentia, ſed ſubiectum entis. contradicet aliquis, etiã in aliis ſcientiis quæritur ſubiectum præter paſsiones,& in libris de anima ſpeculamur eſſentiam animæ. Dico dum in libris de Anima ſpeculamur eſſentiam animæ, illam partẽ de eſſentia animæ eſſe potius methodum animæ,& vt partem primæ philoſophiæ, & mediam partem inter naturalem ſcientiam,& diuinam:atq; de anima naturalem ibi habere ſermonem, déque ſuis paſsionibus,& illas pertinere ad naturalẽ. ſed quando in tertio libro loquitur de quiditate animæ, certè ſecundum Alexandrum,& Themiſtium & Simplicium pars illa ſpectat potius ad metaphyſicum, propterea quòd abſtrahit à materia. præterea diximus omnes artes verſari circa aliquem affectum primi entis,& ſic haberent omnes ſubiectũ ſuum cum additione, vt in philoſophia naturali eſt ſubiectum corpus mobile, motus verò eſt finis illius ſcientiæ, qui finis non poteſt haberi ſine corpore, & ſine ſubiecto, quod eſt corpus. ſícque dicimus corpus humanum arte ſanabile eſſe ſubiectum in medicina; finem autem ipſam ſanitatem,
quæ

quæ nec ipsa potest haberi sine suo subiecto. Quare sunt etiam aliæ sciẽtiæ præterquam prima philosophia, quæ considerant de simplici subiecto, vt arithmetica de numero? Dico verum esse eam cõsiderare de numero, & sic scientiam considerare passiones, quando numerus est passio; & magnitudo; sícque non est subiectũ, sed passio. Vnde quando possumus habere in aliqua scientia passionem sine subiecto, tunc de subiecto nihil quærimus: subiectum enim arithmetices est numerus, qui est passio. Ideo potest considerari, & consideratur illa scientia sine subiecto.

Tres sunt omnes doctrinæ.

ISte liber diuiditur in duas partes: prima pars continet præfationem: secũda pars est tractatus. In primis illam partem declarabimus, deinde ad alteram accedemus diuidendo, & interpretando eam. In hac præfatione facit Galenus, quod docti viri, proponítque in hac parte materiam ad opera, vt faciat, & seruet auditorem docilem, beneuolum, & attentum: cum attentio, & docilitas in principio vniuscuiusque rei maximè reddenda: & docilitas est proponenda in principiis quemadmodum dicit Aristo. in tertio Rhetoricorum ad Theode. cap. 10. loquens de præfatione, quod docu-

mentũ ipſemet philoſophus ſeruauit vbiq; locorum in ſuis libris.quomodo autẽ proponatur docilitas,videte Ariſto.eo in loco, qui dicit cum proponimus finem,circa quẽ ſit agendum,& de quo in ſermone ſit tractandum,tunc fit docilitas magna:nã proponitur finis, gratia cuius totus ſermo eſt habendus vobiſcum, vt bene rectéque diſcere poſsitis:hæc enim debent ſeruari ab illo,qui præfationem docet.Videndũ modo eſt nunquid Gal. ſeruet? Maximè:quoniam proponit ſe docere artem medicinæ per ordinem,& doctrinam definitiuam,& vt ſitis attenti magis,& magis dociles, dicit quæ ſit iſta doctrina.Et inquit eſt doctrina definitiua,& quam vtilitatem habeat, hæc omnia declarat in prooemio,& vt hæc ſciatis optimè diſtinguere, Galenus proponit reliquas doctrinas, & omnes ordines, quicunque poſſunt obſeruari in tradenda medicina diſciplina,vt per ſuas differentias diſcernatis omnes ordines:hoc enim facit Galenus in textu in prooemio:legamus modo textum declarantes nonnulla dubia, quæ ſolent accidere ex malo intellectu verborum.Tres ſunt omnes doctrinæ : quamuis doctrina variis modis capiatur ab expoſitoribus,qui ſe confundunt,quandoq; enim capitur pro modo docendi,quandoque pro inſtru

in ſtrumento, & quandoque per ordinem, tamen ſumendo doctrinā pro doctrina du pliciter poteſt intelligi & cōſiderari, vt col ligitur ab Ariſtotele primo de partibus ani malium ca.1.vbi dicit doctrinam omnem duplici modo poſſe haberi:vel per exquiſitam cognitionem ſuarum cauſarum habendo omnes cauſas. nam eorum, quæ cau ſas habent,vt habetur in primo phſicorum non fit cognitio,niſi cognitis cauſis hæc enim eſt vera doctrina, quæ facit hominem ſcientem,& veram ſcientiam,& eſt nobiliſ ſima doctrina hæc. Alia eſt doctrina quæ non traditur ſic per ſuas cauſas ad inferendos ſuos effectus, & contra per effectus ad ſuas cauſas:ſed iſta fit ex præceptis quēadmodum iuriſconſultorum:vt enim leges dicunt,ita faciunt.ſunt enim leges illæ præcepta,ex quibus fiunt canones,vel regulæ:ex quibus deinde canonibus faciunt artem:& bene dicit Galenus, quòd doctrina iſta eſt doctrina tyranni:cum ars,& doctrina hæc conſtet tantum ex præceptis, & tamen ex iſta dicuntur præcepta,& canones; éſtque iſte duplex modus doctrinę capiendo ipſam pro propria doctrina,deinde alia eſt doctrina,quæ traditur ex ordine,vel do ctrina aphoriſtica & eſt hiſtoria.ſed inquit Ariſto.hæ doctrinæ non ſunt veræ,ſed po-

tius sunt peritia quædam, qua tantum potest indicari aliquid de illis: & ideo dicunt illi periti per historiam, vt tantummodo sciunt aliquid, sed non habent ipsas causas. vnde bene dixit Aristote. illam esse doctrinam veram, quæ traditur, & acquiritur per suam causam, & habet suum esse scientificum: quæ verò per historiam, vt tantummodo sciant per canones, eam appellare debemus peritiam. His modo sic dictis, dum inquit, tres sunt omnes doctrinæ, intelligit tantum de doctrina primo modo dicta: propterea quod debemus nos abhorrere à talibus peritiis, atq; discere scientias ipsas per suam causam, & per methodum ipsam, & per viam rationalem, quemadmodum nos docet Galenus vbique in suis lib. circa hanc intelligentiam habito rectè conceptu omnium dictorum debetis animaduertere eum, qui vult propriam, & veram doctrinam subiectis aliis docere, debere tria in se habere: primum est, vt habeat modum docendi: deinde bona intellecta, cum quibus doceat: tum ordinem docendi: hæc tria debemus habere, quicunque volumus docere rectè. nam qui carebit aliquo istorum trium, non poterit bene docere. sicuti vero optimus faber in arte sua vtitur plurimis intellectis: quādoque enim

vtitur

vtitur vno, quandoque alio secundum variam materiam, circa quam operatur: ita debemus facere, qui docemus discipulos nostros: sempérque seruabo ordinem, cum ordo sit summè necessarius. nam & Aristotel. dixit naturam constare ex ordine ipso, & summoperè esse ordinem in ea institutum, seu insitum, & omnem scientiam constare ex tribus iam dictis. Hęc ergo tria debent à me, & à vobis seruari, si vultis bene doceri, rectéque addiscere. talis nanque acquiritur doctrina, qualis docetur, cum doctrina sit productio quædam emanans à doctore in discipulum. si enim à doctore bona fluet doctrina, bonam etiam addiscetis: & ea tantum scietis, quæ à vobis ipsis ediscetis. Modum itaque docẽdi debemus attendere, qui primò fit à progressu doctoris, secundò sumitur ex parte auditorũ, tertiò ex rebus, quæ docentur. primum ergo debet seruari à nobis modus progrediendi, qui quidem est, vt tantum incipiamus à notioribus nobis ad ignotiora, & hoc fecit Aristot. in docendo ipsam philosophiam, quemadmodum patet, in prooemio physicorum, vbi inquit, innata est nobis via à notioribus nobis ad ignotiora, naturæ verò notiora: & hoc est ei perpetuum. nam sicuti bene docebat Arist. in 1. post cognitio ne-

ſtra fit ex præexiſtenti cognitione neceſſario, propterea quòd notum debet præcedere ignotum, & ſic à notioribus nobis incipiendum eſt: & ratio omnium rationum eſt, dicit Galen. quod ſunt duo indicatoria tradita à natura, per quæ ſciamus, quæcunque ſcimus, quorum vnum dicitur *Διάνοια* id eſt diſcurſus: alterũ eſt ſenſus, per quem procedimus à notioribus nobis ad ignota. ſenſus enim nunquam decipitur circa obiectum: diſcurſus habet in ſe principia, & primordia iudicandi propria obiecta, vt de quocunque verum eſt affirmare & negare: quod idem facit ipſe ſenſus. videtur etiam natura dare quædam, quæ primo intuitu cognoſcũtur: ſic & nos à notis incipere debemus ad ignota ſequẽtes ipſam naturam. alio modo ſumitur modus ex auditoribus in docendo: & notate dictum Ariſt. ſecundo metaphy. quinto non omnes eſſe aptos, vt doceant vno modo, nec æqualiter: ſunt enim quidam, qui videntur ita, qui per ſenſum percipere rationẽ, nec doceri poſſunt: contra ſunt alii, qui optimè diſcurrunt, & optimè imaginantur, & ratiocinantur, & ibi dicit Ariſtote. magnam eſſe differentiam inter hos, & oportet obſeruare quomodo auditores ſint bene parati ad diſcendum, vt ſciamus quibus debemus procedere

cedere

cedere in docendo, vel per syllogismum, vel per theoremata, cum omnes non sint æquali ingenio in discendo. tertio est seruandus iste modus ex parte rei: nam secundum ipsas res omnia non sunt æqualiter docenda: quia mathematica scientia melius, & facilius docetur per causam formalem: quæ est sua causa. Qui docent scientiam diuinam melius per causam efficientem, & formalem: quā per alias causas: qui autem docent philosophiam naturalem, magis occupantur circa causam materialē, quoniam facilius per eam docentur naturalia, cum sit causa motus, & eius principiū. vnde etiam medici optimè docent per causam materialem, quoniam medicina cedit & subiicitur philosophiæ naturali. vt videbitis postea. philosophia verò moralis magis versatur circa causam finalem: propterea quod agit, quicquid agit ratione eligibilium, quæ sunt ratione finis: videtísne quomodo sit varius modus docendi etiam ex parte rerum? & ideo omnes non eodē modo docendi, eodémq; calopodio calceandi vtūtur. oportet itaq;, qui vult docere rectè, vt seruet tria: primum est modus progrediendi in docendo à notioribus nobis ad ignota: secundum est, vt habeatur ratio eorum, qui audiunt: sunt enim docēdi eodem

modo,quo sunt parati:tertiũ est, vt doctor doceat prout exigit natura rei, & per propriam suam naturam. si quis enim vellet docere Anatomen per syllogismum, ille quidem malè doceret,quoniam est docenda per incisionem:certè idem est dicendum de aliis scientiis,quia omnia nõ sunt æqualiter docenda.secũda pars quæ est respectu docentis,est intellectũ bonũ:quando enim quis vult docere, debet habere opportuna intellecta,sicuti & habent omnes boni artifices parati ad operandũ:súntq; illi artifices rationales,qui vtuntur propriis intellectis, & debitis mediis. sunt ergo habenda propria intellecta artis cuiuscunque. Hæc autẽ in genere sunt quatuor, vt videbimus nũc:quorum primum dicitur intellectum vniuersale vulgò,vel dicitur methodus,vel via rationalis:vel via diuisiua:primũ ergo intellectũ potest capi vno horũ nominum: secundum intellectum est ipsa resolutiua methodus:tertium est definitiua:quartum est demonstratiua,quæ sic habebũt omnia hic à nobis, & ab aliis, qui docent per causam.Quod ad primum intellectum id est, ad diuisionem spectat, valde vtilis his, qui docent:nam sæpe nobis occurrerunt plura,quæ apparent vnum,& tamen sunt multa, & si non sciet doctor distinguere, errabit:

rabit: & propterea neceſſarium fuit, vt haberemus viam, ac etiam modum, quo ſciremus oſtendere nunquid id, quod occurrit ſit vnum an plura? quam viam diuiſiuam inuenit ingenium humanum, & hanc docuerunt nos antiqui, & per quam ipſi habuerunt cognitionem rectam entium, quia quicquid nõ eſt vnum: ſed ideo propter hoc eſt inuenta ipſa diuiſio, & nos ita procedemus in hac via: & procedemus eſſentialiter, & ſecundum materiam: vt verbi gratia quando habemus cõceptum de ſubſtantia, & volumus de ea tractare, non poſſumus rectè dicere, quid ſit vera ſubſtantia, cum ſit multiplex, niſi primũ ſciamus quid de ſubſtantiis dicẽdum ſit, cum ſit multiplex iſta ſubſtantia. oportet ergo vt diſtinguamus ipſam, & eam acquiramus per diuiſionem: nam ſi loquimur de ſubſtãtia eſt ſciendum de qua loquamur: & dicemus ita ſubſtãtiarum alia eſt corporea, alia incorporea: ſi loqui volumus de corporea, quia eſt multiplex, adhuc eſt diſtinguendũ: nam alię ſunt ſubſtantię incorporeę animatæ, alię inanimatæ: ſi volo loqui de animata ſubſtantia corporea adhuc eſt diſtinguendum, cum ſubſtantiarum corporearum animatarum aliæ ſint rationales, alię irrationales: ſi ſubſtantia illa ſit animal rationale, de quo vo-

lo

lo loqui, quia adhuc est multiplex, est distinguendũ: animaliũ enim rationalium alia sunt mortalia, alia immortalia: si de mortali animali rationali, ergo de homine, & tunc sistemus. Ideóque nunquam fit quies vsque quo deuenimus diuidendo ad istud particulare: quo acquisito tunc non amplius diuidimus. vnde bene dicebat Plato esse, quiescendum in diuisione, quando descendimus ad species indiuiduas, vsque quiescimus tunc, & disputamus de eo certo modo, & sic ex diuisione ipsa habemus, quod non laboramus in æquiuocis: & hoc est suum officium, suúmue munus. Resolutio vero in toto est opposita ipsi diuisioni: nanq; resolutio sumit, quod est multiplex, & tamen, id est, vnum in sua propria natura, vt puta homo: video enim hic tot homines, & volo habere cognitionem horũ hominum singulorum, sed non potest haberi in particulari, quia singulariũ non est scientia: & ego dico in vniuersali abstrahẽdo, in his est vna cõmunis natura, vt puta humanitas, vel mortalitas cum rationalitate primum video, quod sunt animalia, pòst rationalia, & mortalia, & in hoc conceptu video hoc, quod dico rationale mortale euenire in omnibus hominibus. vnde ex hoc discursu deprehendo solum hanc naturam

particu

particularem, id eſt, omnem naturam totius orbis in vno conceptu, & ſic video quomodò ex particularibus habeo vnũ commune: apparebit enim multiplex hoc, ſed tantum in ſe eſt vnum, vt homo, ſed adhuc eſt noua inquiſitio, quia volo inuenire vnũ ſimplex: nam cum his omnibus & rationalitas, & mortalitas eſt quiddam ſimplex, tamen ſi remoueo mortalitatem, tunc recedo ab homine, & tamen remanet rationale: & hoc eſt vnũ magis ſimplex, quàm primũ, quod erat mortalitas cũ rationalitate: quia procedo reſoluendo, & acquiro formã magis ſimplicem, quæ eſt animal rationale. adhuc autem animal rationale habet conceptum magis ſimplicem, & ego reſoluendo rurſus rationale, & tantummodò remanet animal, & quia in animali eſt cõpoſitio quædam, quæ eſt animata ſubſtãtia, vbi ego cõcepero hoc, quòd eſt animal animatum remota rationalitate, adhuc remoueo animatum, & remanebit tantum ſubſtãtia corporea inanimata, & iſta ſubſtantia, aut eſt corporea, aut incorporea: ſi remouebis adhuc corporeum, remanebit ſubſtantia ipſa, quod ſummum eſt cauſa omnium, & ſic patet quomodò reſolutio ſe habet oppoſito modo penitus diuiſioni: cum per id, quod particulare eſt deuenimus ad vniuer-

ſale.

ſale,& hac duce via, ſeu reſolutione, & diuiſione vtimur in acquirenda ſcientia, quod Plato dixit in Philebo, qui ſcit reſoluere, & bene diuidere, rectè ſapit, & eſt diuinus, & quidem ſciet omnia ſolũ per has duas vias: atque Galenus quoq; dixit omnes artes fieri, & conſtare ipſa diuiſione, & reſolutione. nam procedere ab vniuerſalibus ad particularia & contrà à particularibus ad vniuerſalia nulla eſt res, quæ poſsit latere per diuiſionis, & reſolutionis modũ: quid enim eſt, quod faciet omnia cognoſcere, & ſcire? eſt diſcurſus, qui fit ab vniuerſalibus ad particularia, & à particularibus ad vniuerſalia: quo diſcurſu omnia æqualia, & inæqualia: conuenientia, & repugnantia cognoſcuntur. quare omnes artes, & omnes ſcientiæ ex his duabus viis conquiruntur. Vnde hortor vos, vt præ manibus habeatis, quantum poteſt fieri, has duas vias, & in his exerceatis, cum per has videbitis etiam alia duo inſtrumenta vobis parata: comparabitis enim & definitionem, & demonſtrationem. ſemper itaque viam diuiſionis, & reſolutionis habeatis, propterea quòd debetis procedere ab vniuerſalibus ad particularia, & ſi vos ſic facietis, duo primum ſcietis colligere, quæ ſunt meliora in re medica: ſcietis deinde in collegiis reſpondere, &

ſoluere

ſoluere omnia quæſita, facietíſque alios ſilere: & ne erretis in æquiuocis hæc methodus reſoluendi appellatur à Galeno compoſitiua, & etiam à Platone, & meritò debet dici compoſitiua etiam à Platone: vnde videatis Galen. in nono de placitis, vbi oſtendit, quomodò ex diuiſione ab vniuerſis ad ſingulas res proficiſcimur: ſunt enim optimæ doctrinę compoſitiuæ, & via compoſitiua, quoniam via compoſitiua procedit à particularibus ad vniuerſalia, ordo compoſitiuus ab vniuerſalibus ad particularia. Hæc ſatis dicta ſint de his duabus methodis: ſunt modo duo alia inſtrumenta, ſiue aliæ duæ viæ definitiua, & demonſtratiua, quæ non ſunt contemnendæ. Definitio eſt, quæ circunſcribit totam differentiam, & ſubſtantiam rei breuiſsime. Sed logici ipſi tantummodò vtuntur iſtis duobus relicta diuiſione, & reſolutione, & habent has duas tanquam portenta in arte. Definitio eſt ergo, quæ circunſcribit totam ſubſtantiam rei: nolo enim immorari in his, nec omnes partes definitionis repetere, quia nolo docere logicam, cum hoc ſit munus logici, ſed tamen dicam de demonſtratiua, quæ nihil aliud eſt, niſi demonſtrare paſsionem aliquam ineſſe ſubiecto per medium, quod eſt definitio: & illa eſt optima

demonſt

demonstratio, quando eius medium est definitio. at quia non semper habemus verum medium, tunc deuenimus ad causam, quæ sit immediata, & facimus demonstrationē: si verò nec immediatam habere possumus, & quærenda causa mediata, donec id, quod quærimus habeamus. Et ideo quia intentio mea est docere vos tantum necessaria hic, ideo omittam hęc logica. Debetis autē aduertere vnum errorem recentiorum, qui dicunt esse habitudinē ordinis inter has vias, quod est falsum, dico vnamquanq; harum habere suum finem per se, & esse distinctas propria natura, & vnam non ordinari in aliam: sunt enim diuersæ partes penes materiam suam, quoniam sunt factę gratia sui ipsius: bene verum est vnā posse seruire alteri, tamen vnaquæq; per se stat: vnde quod est multiplex, ad distinguendum illud sufficit ipsa diuisio, sicut ad resoluendum satis est resolutio, sic ad definiendum sufficit definitio, & ad demonstrandū demonstratio. Quare vnaquęq; per se stat, & per aliquam harum, quam rem quęrimus, possumus habere: nec enim definitio requiritur in demonstratione, imò definitio est nobilior ipsa demonstratione. Necessarióque intellectus noster vel occupatur circa substantiam, vel circa passiones: dum enim

quærit

quęrit scire substantiam, tunc ei sufficit ipsa definitio: si passionem, oportet demonstrare. sed ipsa definitio non potest haberi, nisi quæratur genus, & differentia: quæ autem viæ faciunt hoc, est ipsa diuisio. Itaque tunc vtimur diuisione, quæ docet inuenire genus, & species specialissimas, vt quando egemus genere inferiori, si autem egemus genere superiori: tunc vtimur resolutione, quę deseruit definitioni ad inueniendas differentias. Vnde quandoque vtimur vna, quando vtimur alia via: quando etiam volumus cognoscere affectum, an sit passio in tali subiecto, tūc vtimur demonstratione, vt bene dicūt Hippocrates & Erasistratus, à quibus quoque commentator furatus est, qui dicunt quatuor tantum esse vias, & non plures, propterea quòd vel intellectus occupatur circa substātiam, & tunc vtimur definitione, vel occupatur circa passionem, & tunc vtimur demonstratione. habitis ergo quęsitis istis vias quatuor esse, & quam ipsæ habitudinem inter se habeant, patet.

Restat nunc, vt agamus de tertio necessario, seu ordine vtilissimo. Itaque pro declaratione procemij requiritur etiam ordo necessariò in doctore, & de ordine in doctrina, quàm sit necessarius pro doctrina habenda secundum rationem, & hoc pa-

tet manifestè, quia non habito ordine in doctrina, tunc oritur confusio maxima in ea: sine hoc licet alia adsunt, tota tamen doctrina confusa erit. Et ideo cum ordo sit proportio, & ratio in rebus, & cum scientia sit proportio in via cum ratione necessariò requiritur ad sciẽtiam adipiscendam, conuenítq; in doctrina, & in scientia, quem tantum ipse Plato magnifecit, quod dixit ordinem esse sciẽtiam, & causam omnium rerum, ac omnium bonorum: quod etiam ipsemet asserit Aristote. secundo physicorum. est ergo summè necessarius ordo, oportétque modo vobis ostendere, quomodo inueniatur ordo in doctrina ipsa, & antequam ostendamus hoc primum docebo, quid sit ordo in vniuersali, pòst quid sit ordo in doctrina ipsa: & hoc quia cognitio vniuersalis præcedit particularem. quid est ergo ordo? ordo est in prædicamento ad aliquid, quemadmodum probauit Galenus in libro de differentiis pulsuum, & Aristote. in octauo physicorum. Ordo est ratio, & proprietas in rebus. Sed adhuc ordinis non est vera essentia: nam dicere hoc tantummodo, nihil est docere: quia est nimis vniuersalis locutio ad ordinem acquirendum, cum hoc conueniat etiam aliis: non enim circunscribit essentiam:

tiam rei. nanque & duplum, & triplum, & quadruplum ad aliud referunt, & non sunt ordines. Itaque est addenda alia prioris & posterioris, & idem variis in locis dicit. cum ergo quandoque doctrina pro modo vsurpetur, quæritur modo, dum Galen. dicit tres esse omnes doctrinas, an de doctrina pro varia docendi forma intelligat, an de doctrina pro viis, vel methodis: nam omnes ferè ponunt doctrinas pro viis vel demonstratiua, vel resolutiua, vel definitiua: quod tamen quandoque dicit Galenus. quæritur an hic intelligat de eo ordine per doctrinam, qui dum dicit tres esse omnes doctrinas, intelligat de tribus ordinibus in docendo: oportet hoc bene examinare, & videre quid intelligat per doctrinam, quoniam hoc habito cætera omnia facile patebunt vobis. assero Galenum non intelligere per doctrinã modum: nam modus est qualitas docendi; cũ sit qualitas, est in prædicamẽto qualitatis: at ordo est in prædicamẽto ad aliquid: cúmq; modus sit separatus ab ordine, modus non conueniet ordini. ergo non capit hic doctrinam pro modo, bene verum est, quod modus hæret ordini, vt dictum est. An modo sit doctrina pro via methodi, aut via hærens ordini, ita dicunt isti doctrinas esse tres, pri-

mam reſolutiuam, ſecundam compoſitiuam, tertiam definitiuam. Ego quidem non eſſe capiẽdam hic doctrinam pro viis, aut inſtrumentis: nam dicant mihi, vbi viderint vnquam librum vnum compoſitiuum, in quo tantummo vno inſtrumento vtatur, & vna via nec reſolutiua tantum, nec definitiua etiam: ſed in quolibet lib. multis vtimur inſtrumentis & reſolutiuo, & diuiſiuo, & compoſitiuo, & diffinitiuo. Hoc enim facit, & ſeruat Gale. in libro de conſtit. artis, & in aliis lib. & in hoc, & in vnoquoque libro ordines ſunt varij: nullus enim eſt liber, qui tantum vna vtatur via, & vno inſtrumento: ſed omnibus his vtimur, quandocunque egemus diuiſione, vtimur diuiſione: quando egemus reſolutione, vtimur ea. non poteſt itaque oſtendere pro doctrinis vias, & inſtrumenta intelligenda eſſe. Dixi ſuperius vnamquanque harum habere ſuum finem ſeparatum, & quamlibet iſtarum ſeparatam eſſe ab alia, ita vt habeant finem ſuum diſtinctum: etſi verum eſt vnam quandoque inſeruire alteri, ſunt tamen ſeparatæ per eſſentiam, & ſecundum rationem. ſi igitur per illa verba Galen. tres ſunt doctrinæ omnes, non debemus intelligere nec modum docendi, nec vias rationales, nec inſtrumenta, ſed debent

bent intelligi pro aliquo alio. Relinquitur igitur, vt capiatur doctrina, vt doctrina vera est, vt est habitus quidam, & productio simplex fluens ab intellectu doctoris in discipulum. sensus ergo horum verborum talis erit, tres sunt doctrinæ scientiæ, vel tres productiones scientiæ emanantes à docente in discipulum: nec enim sunt plures, nec pauciores his tribus essentialiter: nam non potest doceri aliqua scientia productione alia, quàm his tribus. quare intelligo doctrinam pro vera doctrina essentialiter nō potest doceri, nisi aliquo trium eorum ordinum, nisi per aliquam harum doctrinarum, quæ hærent ordini: est semper vna ex his tribus vel compositiua, vel resolutiua, vel definitiua: vnde quando isti loquuntur de doctrinis loquuntur ęquiuocè. Quare clarè apparet, scientias intelligendo doctrinam, prout est emanatio proueniens ab intellectu docentis in discipulum, non posse doceri vniuersaliter, quàm per ordinem definitiuum, vel compositiuum, vel resolutiuum: & sic loquendo de doctrina essentialiter docetur tantummodo tertius ordinum dictorum essentialiter, aliter fiet, quando non essentialiter docebitur. si appellabitur doctrina dicta operatiua, sciet quidem discipulus operari eo modo, quo

docebitur:ſed non ratione,eget tantum prę ceptis,& archanis.docetur ergo tantummo do ſciētia eſſentialis cum vna ex his tribus: dicuntur autem,& denominantur doctrinæ eſſentialiter vel reſolutiua, vel compoſitiua,vel definitiua, quæ ſumunt denominationem à fine proprio ſuo accidente exiſten te in reipſa. Ideo aliquando dicitur ſcientia reſolutiua,quia ordo eſt reſolutiuus: aliquā do ſcientia compoſitiua, vel demonſtratiua,quia ordo eius eſt compoſitiuus: quandoque etiam definitiua,quia ordo eſt definitiuus. Reſtat modo nunc docere in ſpeciali, quid ſit ordo reſolutiuus, quid cōpoſitiuus, & quid definitiuus. Dico ordinē reſolutiuū eſſe,quando quis doctor docere vult,vel inuenire artem,vel ſcientiam, nam ad inueniendum quamlibet artem, facit multum ordo reſolutiuus: proponit ſibi finem, vel ſubiectum quarto modo dictum, & ſumptum,quod etiam dicitur obiectum,vt dicimus intentum in ſua arte, quam vult docere:quemadmodum in arte ipſa medicina volumus docere nos artem medicam per reſolutionem,proponimus ſanitatem, quæ eſt finis intentus in arte medica, qui finis dū adiungitur ſubiecto corpori humano facit totum ſubiectum medicinæ integrū, qod appellatur corpus humanum arte ſanabile,

Volumus modo ſanitatem inducere, quid
facimus? primum cõcipimus ipſum finem
ſanitatem, poſt incipimus inuenire ſanita-
tem ipſam, quam volumus inducere. Sed
quomodo inducemus, ſi non cognoſcitur
adhuc ipſa ſanitas? oportet prius cognoſce-
re quid ſit ipſa ſanitas. Incipiam à notiori-
bus in ſua principia tendens: ſanitas actu eſt
proportio, vel ratio, vel habitus quidam in
corpore humano naturalis, ratione cuius
operationes, quæ in illo exiſtunt ſunt ſecun
dum numerum, & dicitur hoc de neceſſa-
rio eſſe: vnde vocamus hominem ſanum,
quia operationes ſuæ ſunt naturales, & dici
mus etiam ſic, homo eſt ſanæ mentis: nam
ſanitas tam poteſt de anima, quàm de cor-
pore dici, dummodo operantes in corpore
ſint naturales: vnde conceptus eſt, quod ſani
tas eſt habitus naturalis in corpore huma-
no à notioribus procedendo, qui habitus bo
nus non poteſt eſſe in corpore, niſi ſit cum
opportuna proportione. hoc autem habito
quid facimus? incipimus venari, & quærere
cauſas, quæ faciunt corpus proportionatũ,
& quærendo videmus primum in corpore
humano eſſe miſtionem quatuor elemen-
torum. quo quidem acquiſito, videte quæſo
reſolutionem corporis in ſua principia: pri
mum enim corpus conſtat ex quatuor ele-

mentis.cum artifex intelligat proportionē requiri ad ſanitatem in corpore humano, debet concipere eſſe proportionem in quatuor elementis pro ſanitate ipſa, & temperatura (quod poſtea conſiderat) quæ reſultat ex hac miſtione elementorum, quæque temperatura appellatur, κρᾶσις ad differentiam alterius miſtionis, nō temperata. nam quando miſcemus aquam cum vino, iſta quidem eſt miſtio, ſed alia ab ea, quam nos intelligimus, quoniam iſta miſtio elementorum facta in corpore eſt temperatura, & ipſa dicitur κρᾶσις. dum enim fit talis miſcella, fit vna κρᾶσις, vel temperatura vna ex debita miſtione dicta: ex qua cum ratione proueniente naſcitur ſanitas, & ad eam ſequitur: & quoniam contrariorum eadem eſt diſciplina, ac intemperatura etiam, cui opponitur tēperatura ipſa, ſequitur, ipſamque ægritudo. deinde ſunt & alia intellecta conſideranda ad habendam ſanitatem, quę ſunt ipſius corporis, & quæ, & quot ſint mēbra in corpore, quæ ſi fuerint ſana, & debita, tot etiam erunt operationes cū quadam armonia, quæ membra ſecundum naturam operantia, vt ſimus bene operantur, vt pes etiam operatur, faciuntque ad ſanitatem ipſam. Quare ad ſanitatem ipſam organica ipſa debent ſimul correſpondere: vnde

fit

ſit in corpore illud, prout quidem dicitur. compoſitio ipſa bona, ſi debet eſſe ſanitas in corpore ad ſanitatem. ergo requiritur etiam bona compoſitio. deinde oportet videre, quod eſt neceſſarium primitus illorũ membrorum naturam cognoſcere, vt quod totum corpus rectè vnitum ſit, & quomodo ſe habeat: an bene operetur, nec ne? quoniã ſi non poterit bene dilatari, vel conſtringi, tunc non poteſt operari naturaliter, tunc non eſt ſanitas in eo. præterea qui reſoluit, ſi vult rectè cognoſcere, & exquiſitè ſanitatem in tali corpore ab illo habendæ ſunt cauſæ etiam, quæ conſeruant ſanitatẽ: ſunt enim materiæ, & hæ ſunt vel intrinſecus, vel extrinſecus aduenientes, vt cibus & potus: cauſæ etiam efficientes internæ ſunt habendæ, quoniam ſæpe oportet nos curare ægritudinem. ideo ſunt etiam habendę cauſæ facientes vel ægritudinem, vel ſanitatẽ ipſam. ſed quia ſæpe ipſæ cauſæ nos latent, ſi eas volumus cognoſcere, ſunt neceſſaria ipſa ſigna, vt habeamus, quæ nam cauſæ faciunt ſanitatem, & quæ non, & non tantùm ſunt habendæ à medico cauſæ facientes ſanitatem, & quæ non: ſed etiam quæ præſentem, & quæ futuram, imò de his præſentibus, & de futuris debet medicus cognitionem habere, atque etiã de præteritis. quare

resolutionem habetis per ordinem resolutiuum, ipsam sanitatem, & tantummodo capita rerum per quę tota ars docetur rectè, si ea rectè explicétur: nam si vellem omnia percunctari, essem nimis prolixus. Ordo autem compositiuus se habet contrario modo ad resolutiuum, quemadmodum dicit Galenus in libro de constitutione artis, quod compositiuus ordo est oppositus resolutiuo, vt via Roma Venetias, & cōtra Venetiis Romam: iste enim ordo cōpositiuus resumit, quod fuit resolutum in plures partes per resolutionem: est enim eadem habitudo inter hos ordines, differunt modo ratione, non subiecto: at ordo resolutiuus melius facit pro peritis, compositiuus verò pro rudibus, & nouis, vt scitis in sanitate habita per ordinem resolutiuum. primum quod inuentum fuit in corpore humano ab ipso resoluente erant elementa quatuor, videbamus ibi elementorum mistionem debere esse pro sanitate: deinde quomodo se habere debeant omnia membra in corpore perfecto: deinde & totum corpus videbamus ex operationibus, quæ debent esse naturales: videbamus & causas debere esse necessarias ad conseruandam sanitatem. vnde docet primum differentias operationum naturalium? deinde causæ naturales conser-

uantes

uantes ipſam ſanitatem præſentem conſi-ſtunt in libro de tuenda ſanitate, qui liber in hac parte videndus eſt. deinde docentur cauſæ præternaturales, & componentur lib. de ſimpl. & de compoſitione pharmacorum, & non deſinam quouſque ad ſanitatẽ ipſam deuenero: poſtremò quia cauſæ ſæpe latent, danda ſunt ſigna: & ſic tota traditur ars curandi: talis enim eſt ordo compoſitiuus, & eſt, vt operator, ſiue ædificator, qui vult conſtruere domum. oportet enim eum prius partes omnes ad domum faciendam præparare, quibus præparatis & poſitis poſt compoſitionem facit: ſicque facit ille, qui docet, quoad ordinem reſolutiuum incipit à fine ſoluere, deinde incipit componere ab illis partibus, in quas iam deſinit reſoluere. at qui ſunt ingenioſi & ſolertes vno tantum vtuntur ordine ad acquirendam ſcientiam, nimirum ordine reſolutiuo. vnde qui docti ſunt, ſolent appellari homines reſoluti, eo quia ſemper vtuntur reſolutione: hæc de ordine compoſitiuo, & de reſolutiuo ordine diffuſius diximus ſuprà. ordo definitiuus eſt quandocunque ſumpta definitione aliqua partimur ipſam in ſuas partes, & ſi eſt aliquid ęquiuocum diuidimus: in hoc enim ordine procedimus demonſtrando, reſoluendo, diuidendo. hæc ſanè omnia inſer-

uiunt ordini definitiuo,non multum nunc immorabimur in his: quia hoc toto anno de hoc ordine definitiuo acturus sum, & comparabimus hos ordines inter se: ista sint dicta quantum ad ipsos ordines, deest tantum vnum dicendum cur tantummodo tres sint ordines,nec plures, nec pauciores ad docendum veram scientiam sunt? aduertatis hoc sumi à natura rei,non esse nisi tres ordines:si vultis docere à natura rei, inquit Aristote.12. metaphy.capitu.10. quod coordinatio entium est duplex, vel dicitur coordinatio,quoniam aliquid secundum rationem superioris, & inferioris ordinatur: iste enim vnus ordo coordinationis est,quia ordinatur superius,& inferius: alia est coordinatio,vt quando habemus vnum principium,ad quod cætera referuntur, & ordinantur.duplex ergo est,vel est coordinatio secundum habitudinem prioris, & posterioris, vel quando est bonum principium, ad quod reliqua referantur.at dicat aliquis non intelligo hoc: declaro primum coordinatio entium est, vt causa & causatum: causa habet rationem prioritatis,causatum verò posterioritatis. secundum etiam declaro,verbi gratia,si sit rex, & primus sit, quis finis omnium in ciuitate sua ratione cuius regis omnia conseruantur in tali ciuitate:

tate: habet enim ciuitas ſuos magiſtratus, ſua officia,& ſuos gradus:populusque Romæ inſeruit ipſi regi, & omnes habent relationem ad illum.vnde fit talis ſecunda coordinatio ſicut etiam dicitur de duce militum,qui ſub ſe habet multos, & omnes milites,& omnia neceſſaria ad bellum, & cuncta ad illum referuntur, & reducuntur, vt ad ſuum principale caput: non enim aliæ ſunt coordinationes quàm hæ duæ. cùm itaque natura non ſint,niſi hæ duæ, applicetis modo, dico ſic eſſe in ordine ſcientiarum:vbi conſideramus, vel comparamus habitudinem ſuperioris ad inferius,vel contra, vel habitudo principii ad principiatum,vt ita dicam,vel contra:ſi enim habemus habitudinem, & reſpectum huius ad principium,tunc vtimur ordine reſolutiuo ſeruando habitudinem poſterioris ad primum:quãdo verò vtimur habitudine prioris ad poſterius incipientes à principiis ad principiata,tunc vtimur ordine compoſitiuo.quare iam patet differẽtia horum duorum ordinum reſolutiui, & compoſitiui.at quando ordinamus rem aliquam,ita vt nulla ſit habitudo prioris, & poſterioris, ſed tantum vnum ſit ens, ad quod cætera referuntur, tunc ille dicitur ordo definitiuus, vt de exercitu militum, & omnibus, quæ

perti

pertinent ad militiam, habentia respectum ad ipsum ducem. vnde dico, quod cum expleuerimus ordinem definitiuum tota ars manifesta erit medicinæ: ordo enim definitiuus in hac arte habet rationem principis, & sic cum non sint, nisi tres ordines in natura non plures, nec pauciores, & duæ tantum coordinationes Simili quoque rationis modo nec in scientiis, nec in artibus erunt plures nec pauciores, his duobus coordinationibus, propterea quod vel erit ordo superioris ad inferius, vel inferioris ad superius, vel alicuius principis ad cætera inferiora sua.

Nam quando vultis docere per ordinem essentialem, vel enim incipitis à causis & à principiis deueniendo ad causata, & ad conflata ex principiis, vel incipitis contra à causatis, & à principiatis ad causas, & ad principia procedendo: nullum enim aliud possumus imaginari in doctrina scientifica: si enim procedimus primo modo à causis ad causata, & ab vniuersalibus ad particularia, tunc vtimur ordine compositiuo, componimus tunc accipiendo vniuersalia, & deueniendo ad particularia, & ad indiuidua in ipso: est autem compositiuus iste primus ordo dictus. vel enim incipitis à conflatis ex principiis, & tenditis ad sua principia opposito modo procedentes, & iste ordo di-

citur

citur resolutiuus oppositus cōpositiuo: vel vobis proponitis vnum præcipuum, & caput ad quod omnia cætera debēt referri, & hic dicitur ordo definitiuus: proponitis primum omnia referendo ad primum, deinde diuiditis singulas partes. videtis ergo quomodo sunt tres ordines inhærentes ipsi doctrinæ per emanationem, nec possunt esse plures, nec pauciores: & dixi superius ex 12. metaphy. 10. per Aristo. coordinationem entium esse duplicem, quarum vna subdiuidebatur: vnde fiebant isti tres ordines tantum, qui ordines sunt amplectendi, ad hoc, vt fiat doctrina id est, emanatio intellectus fluens à doctore in discipulum, & si modo non bene percipitis hos ordines, intelligatis, & audiatis methodum nostram, quoniā multa ibi diximus de ordinibus, & ibi agebatur de ordine resolutiuo, hic verò de definitiuo, quos comparare inuicem multum confert. Quare cum Galen. dixit tres esse ordines siue doctrinas ordini inhærentes, non intelligit habitus diuersos, sed in vnoquoq; istorum ordinum semper idem est habitus, vt in medicina siue procedas vtendo ordine resolutiuo, siue ordine definitiuo, vt nunc facimus, siue ordine compositiuo, vt facit Auicen. semper idem est habitus: & vnusquisque horum ordinum est essentia-
lis,

lis,vt eſt de ordine compoſitiuo, quo vſus eſt Ariſt.in philoſophia docenda.ſed videamus modo an verba hæc bene ſonant, tres ſunt omnes doctrinæ:quicunque non calet literas græcas,non põt ſic intelligere verba iſta,quemadmodum intelligunt græci: inter multitudinem errantium,qui verterunt contextum.Leonicenus minus errauit, tamẽ nec ipſe potuit attingere ſcopum.Nam textus Leoniceni dicit inhærentes ordines: quocunque modo docebimus, ſemper egemus aliquo ordine iſtius emanationis intellectus fluentis à doctore in diſcipulum. Namque textus græcus dicit τάξεως ἐχομένως,quæ verba Leonicenus tranſtulit ordini inhærentes,quod ad habendam doctrinã ſcientialẽ ſemper aliquo horũ ordinum egemus,ſed errat,quia iſtud verbũ ἔχω apud græcos conſtruitur cũ accuſatiuo, vt habeo hoc penes me,habeo librũ hũc, quia habeo aliquod externũ: ſed dũ dicitur ἔχωτον τῶν tunc dicitur habeo intrinſecus aliquã rem: vnde illud ἔχω cũ genitiuo ſemper dicit intrinſecus rẽ quãdã habere,vt ἔχωμαι habeo intrinſecus,quod nec alio modo poſſumus vertere verba rectè,& bene dicit Gal.τάξεως qui ſequatur emanationẽ: vnde nec Leonicenus omnino verũ dicit.quare ſenſus eſt talis,ſicuti dedi in his verbis,tres ſunt oẽs do-

ctrinæ,est tanta confusio,tantáque intricatio nouorum,vt nihil supra.nam hoc nomen doctrinæ decipit illos,ex quo est necessarium insistere semper his verbis:prius aliqui intellexerunt per doctrinam demonstrationem propter quid,& isti hallucinati sunt,vt patet.Alii autem post illos dixerũt doctrinam capi pro tribus instrumentis ordini inhærentibus,sed nesciũt quomodo inhæreant;dicebant enim, quod Gale.intelligit,tres sunt omnes doctrinæ &c.ordine inhærentes,nõ autem ordini;& quod habent ordinem essentialem inter se, ita vt vna erat prima,alia secũda,& decepti sunt. nam primo peccant,cum hæ doctrinæ non dependeant vna ab altera, propterea quia & definitiuam habere possumus sine resolutione,vel resolutiua doctrina:deinde peccant quia Gal.non loquitur de instrumentis particularibus:tertio dicit,tres sunt omnes doctrinæ,ex quibus perficitur doctrina. Quare omnes antiqui, & noui omnes hoc in loco decepti sunt ; ideo fui parum prolixus circa hæc declaranda , quæ sunt necessaria, & non intellecta ab vllo, & sic patent omnia.de his auté vnum aliud verbum dicam vobis,quæ sit differentia inter ordinem resolutiuum,& viam resolutiuã, quoniam quis dicere posset ignoro horum

differentiam, quum vterque incipiat à notione finis, & resoluat in sua principia: dico viam resolutiuam distare valde ab ordine resolutiuo: nam via resolutiua, & si nihil habeat notionis, fit vbicunque in natura, quod est in quo est multiplicitas, nec id multiplex potest cognosci, nec sciri, nisi resoluatur. Itaque tunc vtimur via, & methodo resolutiua, vt diximus de homine, considerãdo hominẽ, in ipso est rationalitas, & mortalitas accidentalis substantia, si velimus videre, quid sit homo resoluimus illum, & videmus, quòd rationale est, & quod est animal, & substantia corporea, & sic resoluimus hominem, nimirum speciem specialissimam in sua principia vsque ad substantiam, considerando quid sit mortalitas in se, & quid rationalitas, & etiam quomodo ista omnia hæreant homini vsque ad substantiam simplicem, & iste est tantum vnus progressus, via resolutiua. Vnde notate, anno elapso dicebã, quòd methodus compositiua erat species resolutiuæ, & dicebam potius debere dici, quod esset omnino eadem, quoniam methodus compositiua nihil aliud est, quàm resolutio ipsa, loquendo proprio modo, & non de ordine. Vnde & Galen. in nono, vel sexto de placitis voluit compositiuam esse appellandam à resolu

ſolutiua,quòd reſolutiua eſſet compoſititiua,quia dicit Gal.omnia in artibus conſtare compoſitiõe,& reſolutione, quoniam quod eſt multiplex,debet reſolui.Sed quare dicitur eſſe compoſitio? quoniã omnia inhærent in vno,& ratione alicuius multiplicis reſoluitur in vnum. vnde fit compoſitio omnium in vnione:quod ibi dicebat Gale.in ſexto de placitis,tamen dicit hoc ex mente Platonis, non ex ſeipſo: debetis etiam notare vnum aliud in methodo noſtra data anno elapſo,in qua de vno retracto,& non eſt malum aliquando retractare de aliquo errato:nam non adhuc videram, quæ hoc anno dixi. Dicebam enim anno elapſo in methodo illa vniuerſali, quod erat quædam via compoſitiua ſeparata, & diſtincta à via reſolutiua, de qua retracto; quoniam eadem eſt prorſus via reſolutiua cum compoſitiua:non enim adhuc diſtinxeram ordinem compoſitiuum à via compoſitiua,quod feci hoc anno,quæ via compoſitiua potius eſt eadem cum reſolutiua: non nego tamen, quòd quando vultis reſoluere aliquid, vt puta hominem in ſua principia, poſſe fieri retrouerſionem, ſed hoc fit per diuiſionem: non enim poteſt tunc fieri in via compoſitiua,quia nõ poſſum à ſubſtantia deuenire ad alia, niſi per

diuisionem. si enim parte practica, vbi fit ipsa resolutio, quando ibi vultis componere, compositio ibi dicitur actio, vt puta volo inducere sanitatem, Socrates patitur febrem, quæ vt dixi toties est calor extraneus, aduentitius versus ad igneum: si est talis calor, oportet refrigerare. primum oportet inuenire etiam instrumenta opportuna ad hoc: vbi enim fuerunt inuenta talia, facio deinde compositionem ex his, quæ compositio non est scientia, quoniam est cum operatione, sed tantum dicitur actio, quemadmodum qui facit domum, incipit à notione finis, & videt domum construendã, multáque necessariò requiri, vt tegmentum, parietes, ligna, calcem lateréſque, quibus omnibus inuentis tunc operatur artifex: dum autem componit non amplius considerat. Quare dico compositionem in praxi appellari actionẽ, non autem esse scientiam, & sic iam habetis, quid sit via, vel methodus resolutiua: dixi supra me ponere differentiam inter viam resolutiuam, siue methodum, & inter ordinem resolutiuum, quæ via resolutiua est progressus vnus simplex accipiendo, quod est multiplex, & resoluendo id in sua principia: ordo autem resolutiuus habet quidem magnam similitudinem cum via resolutiua: nam sicuti

via

via incipit à notione finis, & soluit in sua principia: sic etiam fit ordo resolutiuus, sed in aliquo differunt. Differũt autem in hoc, quoniam via resolutiua non est multiplex, sed simplex, & proponit sibi finem particularem in scientia: at ordo est multiplex, & non proponit sibi finem particularem in scientia, sed vniuersalem: vt quando quis proponit finem in arte medicina, qui finis est sanitas, & est finis vniuersalis: deinde ille diuidit eam in sua principia diuidendo & materiam, & formam. In partibus, & diuisionibus omnibus fiunt & multæ resolutiones, & multæ etiam diuisiones, & multæ definitiones, multæque demonstrationes, ideo estote attenti: quoniam oportet habere multas resolutiones, quæ visæ sunt necessariæ, & sunt quatuor. dico esse necessarias omnes in quocunque ordine, & non possum vti aliquo ordine cum his quatuor instrumentis, vel viis. Quare iam patet aliud esse ordinem resolutiuum, & aliud viam resolutiuam: nam via resolutiua est simplex resolutio in sua principia sine diuisione cũ vno ordine tãtum. At ordo resolutiuus est multiplex, quia incipit à fine diuidendo, & subdiuidit multa membra, quæ membra deinde resoluit: resoluit etiam, quod simplex est, ordo iste non vno ordine,

ſed multis: nam modo vtitur diuiſione, modo definitione, modo demonſtratione, & ſic ordo reſolutiuus eſt compoſitus, in quo ordine tota habetur ſcientia: via enim eſt admodum ſimplex, quare diſtant inter ſe? quia ordo eſt multiplex, & ex quatuor viis conſtat: ſic patet quid ſit ordo reſolutiuus, & quid via. Dicat autem quis, aut ordo compoſitiuus eſt compoſitus, & multiplex, via autem reſolutiua minimè? Dico quod quando reſoluitis hominem, ſtatim habetis quid ſit homo, & tunc non egemus compoſitione, & ſi vultis poſteà operari, operamini. At de ordinibus vniuerſaliter eſt dicendum, quoniam quando reſoluitis membra diuiſionis, oportet poſteà colligere ipſa per compoſitionem, ſi vultis ea bene ſcire: inueniuntur enim omnia in arte per reſolutionem, quibus inuentis deinde docentur per compoſitionem, quia artifex accipit vnam partem, deinde aliam, & componit, vt ſi ego reſoluo ſanitatem in corpore humano, reſoluo primùm corpus humanum in ſua principia, deinde reſoluo compoſitionem membrorum vſque ad ipſa elementa, quibus perceptis vtor poſtea compoſitione, & incipio demonſtrare, quæ ſint elementa, & quare faciant miſtionem, & quæ ſit latitudo horum. deinde demon

monstro temperaturas, & video, quæ sint, & quot sint harum gradus: deinde deuenio ad membra, & video horum ordinem, numerum, & eorum substantiam, situm, figurámque per compositionem ipsam, quæ omnia tantummodo per resolutionem ipsam faciunt mutationem, & per compositionem omnia melius cognoscuntur. Vnde Gal. in libro de constitu. artis, prius docet omnia per resolutionem, deinde agit de compositione incipiendo ab vltimis tendens sursum per compositionem, quæ primum dixit per resolutionem, pòst dicit per compositionem. Quo ordine vsus est Auicen. & Arabes, & Hali. quemadmodum facit faber in constituenda domo: primum proponit situm, deinde considerat per resolutionem omnia vsque ad principia, tum componit explicando omnia in actione: propterea quòd ordo compositiuus in domibus est actio, & operatio: sic fecit Aristo. antequam doceret ipsam philosophiam in arte: primum quidem per resolutionem eam considerauit speculando omnia vsque ad principia ipsa: deinde composuit eam, & redegit in artem explicando omnia, quia scientiæ omnes, & artes dicuntur fieri per compositionem: licet inueniantur per resolutionem. Itaque Plato bene dicebat o-

mnia constare compositione, & resolutione:credo autem vobis hæc sufficere. Tres sunt omnes doctrinæ:prima est à notione finis,& est ipsa resolutio,secunda est compositio:prima enim videlicet primus ordo est à notione finis resoluendo eam in sua principia:secunda est compositio,& secunda doctrina est compositiua , & est contraria resolutiuæ,quia in hac secunda incipimus ab elementis, deinde à temperaturis sursum ascendēdo per compositionem, quod iam fuit resolutum:tertia ex definitionis dissolutione.de hac autem tertia intendimus tractare,quæ etiam dicitur, & est pro rebus segregatio ; resolutio est magis artificiosa. Vnde etiam definitio resoluitur, & dicitur etiam explanatio , quod idem est. Nam alii ante eum tractauerunt de tali ordine, inter quos multum nominat Herophilum,qui fuit antiquus,& optimus medicus,& fuit etiam Aemulus Erasistrati,qui fuit ipsius Aristotelis gener,& fuit Aristotelicus,quem Erasistratum præter alios Gale.in libro de sectione venæ præfert in multis,& maximè in anatome: postea ei succesit Herophilus contra , vt dixi,Erasistratum.Galen.autem in quarto de dignoscendis pulsibus appellat hos sophistas , & debetis scire tempore Galeni

fuisse

fuisse vnum Heraclidem Tarentinum virum empiricum, qui tamen fuerat prius dogmaticus, deinde recessit à tali doctrina: quia audiuit geometriam, euasit empiricus, de quo Gal. loquitur in secũdo κατ' ἀ-γένης, & in sexto de simpli. medica. quem Gal. dicit in cognoscendis simplicibus valde expertum fuisse, qui arguebat contra aliquos docentes simplicia, quos assimilabat præconibus, qui docent asinum amissum per signa: etiamsi prȩco inuenerit, non vniuersaliter tamen cognoscit eum: nam non aliter dicebat ille, eos qui docebant simplicia, ea docere, quam præconem asinum perditũ. Alius autem fuit Erythreus, qui fuit dogmaticus, de quo Gale. hic memoriam facit. Erasistratus autem fuit maximus medicus, & auditor Chrysipi, & conatus est hanc viam medicinæ docere, & ipsum Gal. appellat rudem, fuit gener Aristo. nam duxit eius filiam in vxorem, & fuit medicus Seleuci regis. Attaleus fuit insignis medicus, de quo vide in primo de definitione febrium quem Galen. præponit aliis: Attalia autem fuit ciuitas Capadociæ: NEMINEM TAMEN &c. Dicit quòd multi docuerunt medicinã per compositionem, sed inquit nullus ante me docuit eam per resolutionẽ. solus Gal. docuit

artem medendi per resolutionem, vt apparet in libro de constitutione artis: qui vbique vsus est via resolutiua, nam & via, & ordo maximè fuerunt familiares Galeno, & in docendo problemata: vtitur etiam tali ordine resolutiuo. Dicit itaque neminem ante se, sicuti reuera patet in nono de placitis Hippocraticis, & Platonis, & medicina, & omnes constituuntur ex ordine resolutiuo.

Dicebat Galen. vt suprà ostensum est, multos ante ipsum egisse de ordine compositiuo, & definitiuo, neminem tamen de ordine resolutiuo: solus enim ipse docuit medicinam per resolutionem, & reuera, si velitis indagare autores omnes siue Græcos, siue Latinos, neminē inuenietis, qui egerit de tali ordine, & si rectè intellexistis hos ordines omnes, videbitis vos neminē quidem docuisse scientiam hoc ordine resolutiuo, nisi solum Galenū: videte ipsum manifestum in libro de constitutione artis, vbi vtitur resolutione incipiendo à notione finis resoluendo in sua principia: quod nemo alius fecit. Quare patet, quod nullus ante ipsum vsus est huiusmodi ordine resolutiuo. & ideo Gal. in hoc verum dicit, & consequenter dicit in hoc libro, nos docebimus medicinam hoc ordine resolutiuo,

vt idem sit conceptus, eundémq; ordinem habeatis variis ordinibus eiusdem sciẽtiæ, eáq; magis elucescat. vnde magna auditorum emerget vtilitas. & si vno quoq; ordine vtemini, euaditis docti: quantum enim superat definitiuum ordinem scientia resoluendi dignitate, docendíq; via, & ratione, tantum superatur compendio artis, ac memoria ab eodem definitiuo. Dum proponeret Gale. se tractaturum medicinam artem per ordinem definitiuũ, vt faceret vos dociles, & attentos, proponit vtilitatem huius ordinis definitiui, & inquit, quamuis ordo resolutiuus præstat definitiuo ordini dignitate, & via docendi, tamen ordo definitiuus duobus præcellit ordinem resolutiuum: præcedit enim illum quoad memoriam, & quoad compendium. primum dicit ordinem resolutiuum præstare dignitate, & ordine, & ordine docendi definitiuo ordini: hîc est insistendum, quoniam si consideremus hæc verba, vt sonant, est totum oppositum, & falsum, quod dicimus. Non enim verum videtur ordinem resolutiuum præstare ordini definitiuo dignitate, & via docendi imò definitiuus ordo debet præstare resolutiuo, vt videbimus, quoniã ordo definitiuus in docẽdo est melior, digniórque. At notum est prius multipliciter capi,

pi, quemadmodum habetur in quinto metaphysices capite de priori: aut enim dicitur prius genere, aut simpliciter, aut aliter prius natura, aut prius vt aliquid, aut prius loco, & tempore, vel in motu: & si fuerit motu prior, vel prior ordine, vel dignitate: sempérque in his est comparatio vnius ad aliud. cum ergo dicit Galen. ordinem resolutiuum esse priorem dignitate definitiuo ordine, est ne prior, quia sit magis propinquus prioritati, vt dicit Aristo. in loco allegato, quàm resolutiuus, vt dicatur prior definitiuo? dico non esse verum, quoniam omnes isti oriuntur, & proueniunt à demonstratione. Quis ordinum horum est prior in demonstratione alio? an resolutiuus, an diffinitiuus? dico ordinē definitiuū esse priorem in ea: nam in scientiis speculatiuis ipsum verum dicitur prius. vnde dico illum ordinem priorem esse dignitate altero, qui magis propinquus priori: in scientiis autem actiuis ipsum bonum dicitur prius, propterea quòd in scientiis actiuis magis est propinquum bonum ipsum, quod definitur in illis vt prius cæteris: sic in speculatiuis ipsum verum, quod definitur ibi, vt prius aliis omnibus. Itaque definitio præcedit dignitate omnes alios: & ordo resolutiuus oritur à resolutione, & definitiuus
à defin

à definitione : reſolutio verò dum reſoluit inueſtigat ipſum verum, ibi definitio dum definitur, habet pro vero tanquam clarum ipſum verum, ibi definitio ideo eſt melior, & propinquior, quoniam aggregat ſcientiam, definitióque ipſa dignitate præcedit omnes alios ordines : illa etiam reſolutio præcedit definitionem ordine, & via docendi : quoniam ſi conſideremus ordinem talem aut eſt æqualis ordo definitiuus reſolutiuo, aut minor: dico ſimilem, quamuis reſolutio ipſa ſit ordinata, quæ eſt minor : & nobilior ordo diffinitiuus, & eſt ordo exquiſitiſsimus, quoniam in ordine definitiuo incipimus à particularibus diuidendo, vt videbimus. Quare dico reſolutiuum ordinem nec dignitate, nec ordine docendi præcedere ordinem definitiuum : vnde eſt aduertendum ad verba Leoniceni, qui fuit vir quidem peritus, non tamen tetigit verum in hoc. videnda enim ſunt verba Græca, quid dicant: dico Galen. aſſerere ordinẽ reſolutiuum præcedere axiomate, & methodo definitiuũ. Nam ἀξιώματι aliud ſignificat, quã ἀξία dignitate ἀξίωμα dicitur Græcè, cum eſt aliquid in magna æſtimatione, vt dicitur aliquis eſſe in axiomate, cũ illi creditur : axioma in dialectica dicitur propoſitio, quam multi opinantur ita eſſe,

vt

vt ſonat. ſed aliud eſt dicere, quod ſit dignum vero, & propius primo alicui. & ideo erat ponderandum verbum illud: fatemur enim nos ordinem reſolutiuum per axiomata, & per exiſtimationem eſſe priorem definitione, quoniam, vt Plato, & omnes alij Platonici in docẽdo præpoſuerunt ordinem reſolutiuum aliis diuidendo, & componendo: nam componendo reſoluebant, & diuidendo etiam reſoluebant, vt diximus ſuprà. Et ideo ordo reſolutiuus fuit magis vulgatus, & magis æſtimatus apud antiquos in inueniendis ſcientiis: non tamen in veritate ſic ſe habet, tametſi reſolutio proponitur definitioni per axioma: quia credo reſolutiuum eſſe magis vulgatum, non tamẽ reſolutio præſtat definitioni in ipſo axiomate. i. dignitate: ſed axiomate tantum, & reputatione. ſi enim Galc. dixiſſet ἀξία bene Leonicenus tranſtuliſſet dignitate: ſed dixit ἀξιώματι: ergo errauit Leonicenus. præterea dixit Gal. etiam methodum reſolutiuam. præcedere definitionem non ordine docẽdi: nam aliud eſt ordo docendi, & aliud eſt methodus, vt dicit Manardus. per methodum autem intelligimus progreſſum artificioſum factum ab vno ad aliud: ſic enim progreſſus eſt longè magis artificioſus, vt dignior per reſo-

lutionem procedendo,quàm definiendo,vt patet resoluentibus aliquid.at definitio est tota integra, & in ea tantum egemus diuisione ipsa:resolutio verò est magis artificiosa. vnde ordo resolutiuus præstat definitiuo, & methodo, & artificioso progressu.

ET SIC SECVNDVM VERAM OPINIONEM RESOLVTIO PRAECEDIT DEFINITIONEM, ET AXIOMATE, ET METHODO ARTIFICIOSA: NON AVTEM DIGNITATE, ET ORDINE DOCENDI, TANTVM SVPERAT COMPENDIO ARTIS &c.

Declarat quomodò ordo definitiuus sit præstantior ordine resolutiuo,& dicit quod tanto est præstantior ad compendium artis,& ad memoriam, quanto resolutio est dignior illa definitione axiomate, & methodo artificiosa. primò enim quoad compendium definitio est dignior,cōpendium Græcè dicitur synopsis, & ab istis dicitur totius compēdium synopsis: tamen synopsis aliud est à compendio in se, est petitio rei. synopsis est, quando intuemur in vno intuitu simul per totam rem per diuisionem, & hoc patebit in pagellis nostris primis super libro primo huius, in quibus nihil

hil dicemus, nisi quæ faciunt pro arte nostra, & pro latitudine corporis cum applicatione sanitatis, & videbitis quantum refert hoc vobis: redeundo ad rem dico, quod hoc verbum synopsis non potest à verbo latino bene exprimi, ideo dicimus transferendo ad compẽdium totius. ergo multum in hoc valet ordo definitiuus, quoniam postea definitione diuiditur, & fit etiam subdiuisio, vt videbitis, & ad singulorũ memoriam. quãto enim vna res est breuior, & exposita per pauciora capita, tãto melius colligitur in memoria. nam memoria est conseruatio imaginum, & quantò imagines erunt pauciores, tanto faciliuscõseruabuntur in memoria, hęc est vna ratio: est etiam alia ratio, quia dicit AD SINGVLORVM &c. Quoniam explicatione diuisionis ars facilius percipitur: nam cum diuisio pẽdeat ex definitione artis, cum diuidimus, etiam recordamur eorũ, quæ in definitione dicta sunt, quia dicit Gal. ex definitione facilè omnia habẽtur in arte, cum totius artis sit definitio. & notate quomodo optima definitio complectatur totius artis capita omnia: nam cum definitio artis, vel scientiæ sit bona, & optima, quæ traditur per omnes suas causas intrinsecas, & extrinsecas, vt habetur septimo metaphy. & secundo

cundo posterio. in qua definitione habetur proprius finis, per illam scimus substãtiam rei,& nobis quoque affert notitiam passionum, quæ in substãtia sunt: si sic, ergo optimè per definitionẽ tradita erit ars:& quoniam definitio hic tradita sic facit, nã continet omnia capita medicinæ, ideo nobis dat omnẽ rem cognoscere,& omnem conceptum passionum in ipsa arte. vnde Arist. decimo metaphy. dicit quemadmodum se habent partes rei ad rem totã, sic se habent partes definitionis ad totam definitionem. Quare ex hac definitione vera habentur omnia capita artis. Et ideo Auer. in 4. physicorum 21. in omni bona definitione duo necessaria requiri affirmat, primum vt soluamus omnes ambiguitates, quæ possunt contingere in illa re definita: secũdũ necessarium, vt omnia accidentia essentialia appareãt in illa definitione. quare omnes veræ definitiones debent habere hæc duo vtilia propter se ipsas. Idem dicit commẽtator in quarto cœli commento 72. in bona definitione apparent omnia accidentia essentialia,& per eã soluuntur omnia dubia. vnde Gal. in secundo de dogmatibus Hippocratis & Platonis 39. & etiam in 9. eius lib. dicit, vbi habuerimus conceptũ rei, habebimus etiam passiones: ergo à definitio-

ne debet fieri omnis nostra cognitio. vnde dicit Gale. in definitione haberi omnia capita artis, quæ definitio datur per substantialia ad differẽtiam definitionis, quæ traditur per accidentia, quæ appellatur notionalis: docet quidem & hæc, sed nõ essentialiter. Arist. primo de anima dixit tex. 31. secundum quascũque definitiones non licere accidentia propria cognoscere: illæ enim sunt definitiones dialecticæ, & nó veræ: vnde vna tãtùm est vera. & Auer. in cõmento ibi dicit, quãdo vero habemus cognoscere propria, & essentialia accidẽtia, illa est definitio æquiuoca, quia bona definitio affert notitiam de omnibus accidẽtibus essentialibus: mala autem definitio traditur tãtum per causas mediatas, & per accidentia non propria. Reddendo ergo Gal. rationem de bona definitione dicit esse vtilẽ ad memoriam, quoniam in se cõtinet omnia capita artis. Multi dicunt illam esse substãtialem, quoniam indicat totam substantiam, & naturam rei, & passiones proprias ad differentiam multarum definitionum, quæ sumuntur ab accidentibus tãtum: tales autem appellantur notiones. Ideo vna sola definitio est bona: plures autem sunt malæ, sicut dicit hic Gale. & Auer. loco allegato primo de anima, quia non affert notitiam de substantia

ſtantia rei ſed iſtæ habentur tantum, vt dixi, per cauſas mediatas, & per accidentia: & iſtæ tantum tradunt aliquam peritiam. Non enim faciunt ſcientiam. ILLAE SIQVIDEM &c. HAE VERO &c. Dat modo hic differentiam inter definitionem veram, & non veram. cæterùm in multis aliis cõmentis occurrit vni obiectioni Gal. in hac parte, quoniã quis dicere poſſet Gal. ne tu promittis mihi ſummã, & totam medicinam tradere per hæc capita ſed neſciã exercere me per iſta capita: ideo nõ potero eſſe medicus. Reſpõdet Gal. nos habituros in hoc ſuo lib. capita medicinę omnia, quæ debent haberi in memoria, quibus habitis in memoria poſtea poterimus recurrere ad alios libros particulares eius, declarãtes hęc capita, in quibus particularibus libris de his particulatim agit Gale. quod nos faciemus in expoſitione huius libri, in quacunq; eius parte declarabimus, in quo lib. Gal de tali materia diffuſe agat, & quomodo, vt poſſitis habere omnia hęc capita optime cũ tota arte medicina, vt euadatis boni medici: hęc quidem eſt vtilitas huius libri? reſpondet itaq; ſic Gal. tacitè obiectioni, vt dixi, quibus vtamini ad hãc tertiam doctrinam licebit, quæ doctrina compendio traditur ſiue ſit doctrina tradita per ordinem defi-

nitiuum, aut per resolutiuũ, aut per compositiuum, vt in introductoriis partibus, vel per definitiuum, vt in hoc libro. quocunque ergo ordine tradatur, semper habebitis doctrinam: & doctrina hæc valde iuuabit, quoniam ista hic habentur in multis libris aliis, vt in libris de symptomatum causis, de locis affectis, de temperaturis, & intemperaturis: quos libros omnes applicabitis huic libro, prout occurrerit locus, & materia, de qua dicetis. SED HAC PARTE DEFINIENDI &c. Repetit modo dicta, & inquit velle dicere ea per capita, quod clarius dixi: vult enim tractare hic de eis per capita strictim: vnde ex hoc modo docendi dialectica, & rhetorica inter se distinguntur, quia dialectica rem tractat strictim, rhetorica verò diffusè.

CAPVT. II.

MEDICINA est salubrium scientia &c. Incipiemus modo ipsam medicinam, quia hic incipit tractatus artis, qui quidem tractatus tres partes continet, prout tria hic dicuntur à Galeno, quæ sumuntur ab ipsa definitione artis, quæ nunc supponenda sunt. Nam & ea declarabimus,

mus, & patebunt etiam ex diuisione definitionis: primo aget de ſanis corporibus: deinde de corporibus ægris, tertio de neutris, & hoc in primo libro, ſecundo aget de ſignis & ſanorum, & ægrotabilium corporum: tertio de neutrorum ſignis: in libro tertio aget de cauſis: vnde habebimus omnia in vno intuitu, & facilè poſſumus totam contemplari medicinam: ſed antequàm ad noſtras diuiſiones deueniamus, primum oportet, vt videamus totam definitionem medicinæ, qua habita deinde aggrediemur noſtras diuiſiones. Dicit itaque MEDICINA EST SCIENTIA &c. Proponit diuiſionem hanc, ſed in primis quinque ſunt conſideranda, vt optime rem habeamus: quorum primum erit cognitio terminorum, ne laboremus in equiuocis, ſecundum vtrum medicina poſsit dici ſcientia, tertium cum medicina definiatur, an definitio iſta ſit propria, quartum vtrum talis definitio ſit Gale. quintum vtrum definitio ſit optima, an non: & ita his viſis explebimus totum tractatum huius definitionis. Quod autem ad primum notandum, debetis ſcire, quod hoc nomen medicina apud antiquos totum erat in therapeutica. i. tantum in parte curatiua, vt etiam oſtendit ipſe Plato in libro de repu-

blica, vbi loquitur de æmpito vulnerato ab Alexandro, cui dederunt illi medici vnam medicinam compositam ex oleo, vino, & farina in potu, quę quantum esset mala, vos esse iudices volo: illi enim non erant medici, sed omnino insipidi, & ignari medicinę: deinde dicit Plato, accessit medicus Herodicus, qui fuit primò Gymnastes, deinde se dedit medicinæ: primum enim exercebat pueros in Gymnasticis docēs habitum corporis, post dedit se arti medicinæ, & fuit primus, qui instituit librum de tuenda sanita. cum libro de arte curandi, tamē in libro primo de sanitate tuēda pertinēte ad gymnasticum non mentionem facit de hoc medico, & hoc quia est contra se ipsum, imò Gal. nesciens videre veritatem, hoc nomen medicina esse proprium attributum medicinæ, dicit non esse verè attributum nomē hoc medicinæ, sed est nomen ita vsurpatū, & est nomen commune toti arti, non autē proprium, sicuti est de geometria, quæ considerat corpora solida, & plana, ei est vsurpatum hoc nomen commune, sic hoc nomen commune medicinæ attributum est parti de tuenda sanitate, & parti curandi in communi: secundum vero antiquos tantūmodo attribuitur parti therapeuticæ id est, parti curandi, quoniam ignorabāt ipsi partem

tem de tuenda ſanitate,& hæc quantum ad nomen. Quantum verò ad ſecundũ an hoc nomen medicinæ ſit ſcientia,inquit Ariſto. tertio cœli 61. textu: dicitur ſcientia tam de factiuis, quàm de ſpeculatiuis, factiuæ quidem ſcientiæ finis eſt ipſum opus:ſcientiæ autem ſpeculatiuæ finis eſt ipſum ſcire, ſi hæ duæ contra diſtinguntur. Sed ſit dubium,quare Ariſto.quarto,vel ſexto ethicorum cap.3 & 5.inquit ſcientiam verſari circa neceſſaria:artem autem circa contingentia,& prudentiam etiam. ergo ſcientia, & ars,ſcientia ſpeculatiua,& factiua ſunt oppoſita:quia contingens,& neceſſarium,quę ſunt earum fines ſunt oppoſita: quod enim eſt ſcientia,non eſt ars,nec contra. Ergo nõ ita dicitur de ſcientiis ſpeculatiuis,vt de factiuis. Dico vos debere ſcire ſcientias propriè,& verè attribui ſpeculatiuis, quoniam earum finis eſt ſcire: tantum enim diſcitur ſcientia ſpeculatiua ad ſciendum, non ad operandum : conſiderat enim hæc theoremata ſua,vt ſciat tantum, non autem vt operetur. Aliæ autem ſcientiæ non dicuntur propriæ,ſed factiuæ : vnde hoc nomen ſcientia vſurpatur etiam per analogiam,& per ſimilitudinem in ſcientiis factiuis. itaque Galenus in libro de logica, & de ſufficientia inquit,quòd diuiſio ſcientiæ, eſt di-

uiſio analogica in ſua analogata primum verè dicitur de ſcientiis ſpeculatiuis, deinde de actiuis ſcientiis, quoniam etiam eſt ſcientia in ipſa practica, in qua conſideramus res per ſuas cauſas, quod dicitur ſcire: habemus enim & demonſtrationes, & theoremata in ipſa, & ſi demonſtratio eſt oratio, quæ facit ſcire, quemadmodum dicit Ariſto. in primo poſteriorum, & hac vtitur in factiuis. cũ ergo hæc habeantur in ſcientia factiua, & etiã ſciantur ſuæ cauſæ, quare non debet dici & ipſa ſcientia, deinde ſcientia ipſa habet ſua theoremata, quæ pariunt habitum ſcientificum, ergo & ipſa debet appellari ſcientia? Theoremata quidem probata ſunt per demonſtrationem, dicũt etiã poſtea in ſcientia practica, quoniam ordinantur ad operationem: vnde commentator quinto metaphy. vigeſimo dicit medicinam comparatam ad illum, qui habet medicinam, eſſe veram ſcientiam, quia ſcit: ſi autem comparetur ad illũm, qui exercet, & ad artificem, vt exemplum, tunc medicina appellatur ars. Nam artificium non poteſt haberi ſine habitu ſcientifico. & ideo empirici meritò debent dici artifices, quia procedunt ad artificium ſine ſcientia aliqua, tantum per experientiam, non enim conſiderant demonſtrationes, ſyllogiſmos, aut definiti

finitiones, nunquam vtuntur ſpeculatione, nec ratione, ſed tantummodo præceptis. iſti ergo habent artem quandam, & artificium, non ſcientiam aliquam, nec habitum ſcientiæ, & ſunt veluti ſcriptores. At medici dogmatici Hippocratici, & Galeniſtæ non tantùm habent artificium, ſed etiam habitum ſcientiæ, vt operentur etiam, & nõ ſunt ſimiles mechanicis, vti ſunt empirici, ſed ſunt ſemper docti, quoniam operãtur, dum operantur, cum habitu ſciẽtifico, & ratione: ſi autem non operantur ſemper, ſunt idem in habitu ſcientiæ. Aliud eſt artificiũ, quod etiam haberi ſine habitu ſcientiæ poteſt, & aliud, quod habetur, per habitum ſcientificum: habitus verò ſcientiæ non poteſt haberi ſine ſcientia ipſa.

Itaque medicina eſt ſcientia, eſtque ars, & ſcientia medicina reſpectu diuerſorum: erit enim ſcientia, ſi comparabitur ad habitum ſcientificum, qui non exercet artem, tamen eam poteſt exercere, quando habetur talis habitus ſcientificus dicitur ſcientia factiua, quia comparatur ad talem habitum, vt colligitur etiam ex Auerr. quinto metaphy. vigeſimo. ſi autem comparetur ad artificium extrinſecus, tunc medicina erit ars, non ſcientia; quod artificium ſeparatur ab habitu ſcientiæ, quemadmodum eſt de ar-

tificio empiricorum: nam vt dicebamus, multi sunt medici, & empirici curantes morbos non ex habitu scientifico, & ratione: repugnant enim tali habitui, sed tantũ medentur cum præceptis, & cum experientia suorum maiorum, sicque artificium diuiditur ab habitu scientifico. At boni medici dogmatici, vt asserit Gal. in tertio therapeutices ambulant cum duobus, ne claudicent: habent enim primum habitum scientificum, qui comparatur cruri dextro, habẽt & exercitium, & comparatur cruri sinistro. cum Gale in hoc toto libro sit traditurus, quomodo sit comparandus habitus scientificus, vt deinde posśimus aggredi artem ipsam, & operari circa singula, ideo dixit, medicina est scientia &c. non ars: affert nobis habitum scientificum, quo posśimus habere scientiam medicinæ, non artem docet, quomodo debemus curare singularia. quare patet medicinam esse scientiam, non artem, & quia termini omnes sunt intelligendi, oportet modo videre quomodo nomina hæc salubre, & insalubre, & neutrum sumantur in definitione medicinæ, quoniam hic ex malo intellectu, & conceptu verborum, & terminorum inter nouos fit summa confusio, & faciunt mille quæstiones confundentes omnia. Vt sequamur meram veritatem,

ritatem, dico ſalubre, inſalubre, neutrum duplici modo capi. Non aliter dicitur ſalubre, quod habet actu ſanitatem, & dicitur corpus ſalubre. non alio modo apud græcos, & latinos dicitur ſalubre, nõ quod actu habet ſanitatem, ſed quod eſt adhærẽs valde ſanitati: quoniam habet principia intrinſecus, & diſpoſitionem, quæ facile poteſt recipere ſanitatem ipſam, quoniam habet humores bene diſpoſitos, & temperaturam, & compoſitionem bonam. habet enim tale corpus habens hanc diſpoſitionem ſuam naturalem, & non tantùm illam potentiam paſsiuam, ſed & actiuã; quia diſpoſitio illa interna naturalis eſt valde proxima ſanitati, vt facillimè ſumat ſanitaté. Dicitur itaq; ſalubre duplici modo, vel quia ſit actu ſalubre, vel quia ſit facillimè diſpoſitum ad ſanitatem, ſic etiam ſuum oppoſitum, quod eſt inſalubre, tot modis dicitur: ergo ſalubre duplici modo, vel quia ſit actu ſalubre, vel quia ſit facillimè diſpoſitum ad ſanitatem: vel dicitur corpus inſalubre, quia habet actu morbum, vel propter malam diſpoſitionem ſuam internam, vt facillimè ſit caſurum in morbum: habet enim potentiam ſic valde pronam morbo ipſi, vt nihil facilius ad ipſum morbum habendum ob malam diſpoſitionem internam præternaturalem

turalem, quam intemperiem habet in mẽbris vel circa vnum, vel circa plura, vt often demus pòst. Quod autem diximus de corpore salubri, & de insalubri, idem dicitur de corpore neutro, quod corpus est mediũ inter salubre, & insalubre. vel enim dicitur neutrum, quia actu habet neutralitatem, vel quia habet dispositionem internam, & temperaturam paratam ad acquirendam facile ipsam neutralitatem. quid autem sit ipsa neutralitas, suo loco dicemus exquisitè & quot sint neutra: sufficit nũc vnumquodque horum terminorum dupliciter capi posse, vel actu, vel cum dispositione valde proxima interna, & in principiis internis siue modo ad sanitatem, siue ad ægritudinem, siue ad neutram affectionem: at quæramus modo quando Gale. dicit, medicina est scientia corporum salubrium, de qua significatione loquatur, aut intelligat. Notate ista tria salubre, & insalubre, & neutrum dicuntur tribus modis de tribus subiectis. Dicitur enim salubre, insalubre, & neutrũ primum de corporibus suscipientibus sanitatem, vel insalubritatem, vel neutram affectionem: deinde ista nomina dicuntur de causis sanitatis, & de causis insalubribus, & neutris: hæc nomina de signis salubribus, insalubribus, & neutris prædicantur. Vnde respon

respondeo quãdo petis, quid intelligat hic Gal. Dico eum intelligere de causis efficientibus, & de signis indicantibus, non intelligere, tunc de salubri actu, nec de insalubri, nec de neutro actu, quæ habeant sanitatem actu: nam habitus iste sanitatis est proprium tantum corporum sanorum actu, quia iste habitus est actu, sicque habitus insalubritatis est proprium corporum insalubrium actu, sic etiam de neutro dicitur: sed intelligitur de corporibus salubribus, vel insalubribus, vel neutris cum dispositione. Quare salubre, insalubre, neutrum actu nec de causis, nec de signis intelligi possunt: nã cum dicimus de signis, & de causis salubribus, vel insalubribus, vel neutris intelligimus de dispositione tantum in principiis intimis, quæ causæ in corpore possunt inducere sanitatem, vel insalubritatem etiam, non quòd actu sit, sed quia in suis principiis essentialibus est quædam præparatio, vel dispositio; vt appareat signum vobis, quod denotet, vel morbum, vel ægritudinem futuram esse, non quæ adsit iam. Quare insalubre, salubre, & neutrum hic quoad causas, & quoad signa intelligentur de dispositione tantum intima, non de actu, & aliud est causa, & aliud signum est. At si intelligamus de corporibus, vt corpora sunt, tunc

vtroq;

vtroque modo dicere poterimus & de actu, & de disp⁊sitione illa: possumus enim dicere corpus esse salubre actu tale, vel insalubre actu tale, vel neutrum actu tale: similiter possumus dicere de corpore salubri, nō quod sit actu tale, sed quia habet dispositionem pronam valde ad sanitatem. Dicimus sic de insalubri, & de neutro cum dispositione. dicere namque possumus etiam hoc corpus salubre, quia habet præparationem ad futuram cito sanitatem: quoniam est bene præparatum tale corpus, quoad principia interiora. Vnde modica facta alteratione fiet salubre actu, si dicimus de insalubri propter dispositionem proximam ad insalubritatem suscipiendam, quoniam modica facta alteratione fit actu insalubre: immutatur enim insalubris dispositio in actualem insalubritatem; & hoc fit quando iam corpus adest valde præparatum. quod dixi de salubri corpore, & de insalubri, idē dici intelligatis de corpore neutro, & hæc satis sint, quoad declarationem horum nominum, siue ipsorum terminorum. Debetis nunc scire salubre, insalubre, & neutrum esse nomina analoga secundum communē conceptum: sunt enim analogata quemadmodum dicit Aristo. quarto meteorum ca. secundo dicit ibi, quod sunt secundum conceptum

ceptum mentis: & quod habitus sanitatis quatuor capitur modis, sic insalubre: de neutro autem non loquitur secundum conceptum, & relationem: primo dicitur sanum, quod potest facere sanitatem, deinde id, quod potest conseruare sanitatem, tertio modo quod indicat sanitatem, quarto quod potest recipere sanitatem. at Gale. hic, & in libro de tuenda sanitate, vel ad Transibulum, an ars talis attineat ad medicum, an ad gymnasticum? facit tertiam diuisionem: inquit enim salubre, & insalubre referri ad causas efficientes, & ad signa indicantia, & ad corpora conseruantia. itaque videntur differre inter se Aristo. & Gale. At dico nullam esse differentiam inter hos viros, quoniam Gale. sumit efficiens, & conseruans pro vno, & eodem. quod autem sit verum, hoc videatis: Gale. in libro de tuenda sanitate, an ars tuendæ sanitatis pertineat ad medicum, an ad gymnasticum: in quo libro de tuenda sanitate habentur multa vtilia pro hoc libro. primo vbi dicit conseruans, & efficiens sanitatem idem esse, & tantum differentia esse secundum magis, & minus inter hæc duo: quoniam qui cõseruat sanitatem, paulatim cõseruat eam; qui aũt curat morbũ, statim, & repente tollit, quia qui conseruat paulatim

tim procedit; qui verò curat, ſubitò tollit. Differunt ergo ſecundum magis, & minus tantum, & ſunt quemadmodum, qui tollũt magnum, & paruum vitium: ſi paruum eſt vitium, non ita velociter procedunt, vt qui magnum morbum curãt: atque dat exemplum Galenus de dolio perforato paruis foraminibus, quod ſit plenum aqua, ita vt vix diſtillet, & vix exire poſsit, & quis vellet eã aquam conſeruare, ne euacuetur illud vas, ille paulatim, ſicuti paulatim ſtillat, reficiet aquam adhibendo, & tantum, quantum exibit adhibet, & ſic facit conſeruator ſanitatis, dum corpus humanum ſit in perpetua fluxione, & deperditione humidi radicalis, & inſenſibilis: tantum enim pedetentim fit huiuſmodi mutatio, ita conſeruator ſanitatis tantum apponit occultè, quantum occultè fluit, quoniã mutatio illa eſt admodum prona. ſed ſi fuerit dolium valde perforatũ, & plenum aqua, aqua illa valde ſenſibiliter exibit, quæ deberet manere intus, ſed fluit, quia foramina ſunt nimis lata, quod vas ſi volumus conſeruare neceſſe eſt, vt in eo etiã multa adhibeatur aqua, & hoc eſt magnum opus, tamen hoc non dicitur propriè opus conſeruatoris, ſed reſtauratoris, vel reparatoris eſt: ſic facit artifex, cum operatur circa magnum morbum, dicitur reparator,

& cur

& curator ille. quare corpus, quod paulatim ægrotat, conseruatori attribuitur: nam artifex tunc tantummodo habet conseruare illud corpus. quando verò corpus maximè ægrotat, tunc artifex habet curare illud & reparare ipsum corpus, & est vt dolium perforatum foraminibus latis: idem quidem est effectus & conseruatoris, & curatoris: differt tamen secundum magis, & minus. itaque variantur ista nomina, quoniam vnus procedit circa corpus paulatim: alius autem artifex procedit subitò, & cum magna diligentia. Hæc satis dicta sint quoad nomina seu terminos quod medicina sit sciẽtia salubrium: hæc de terminis, & quod medicina est scientia, & quare sit scientia, & quod isti termini sint per analogiã: quia primùm referuntur ad corpus, deinde ad causas, tum ad signa: præstat modo videre de tertio capite an medicina posit definiri? circa hoc duo verba dicam; dicũt aliqui non posse definiri, quoniam sola substantia tantum definitur: non autem accidens. ergo non potest definiri: deinde dicunt isti, definitio vera traditur per materiam, & formam: hic non est materia & forma. quantum ad primum respõdeo, & dico reuera solam substantiam definiri, ideo nec verè accidens potest definiri: inhæret enim

accidens tantum substantiæ, ideo tantum definitur, vt tale est per suum subiectum. substantia, & accidens differunt, & suæ definitiones sunt oppositæ: in definitione enim substantiæ sumitur genus loco materiæ, differentia loco formæ: in definitione autem accidentium contingit oppositum: nam accidens non stat sine subiecto. do exemplum, quando definitis febrem, dicitis est calor præter naturam accensus in corde, ratio formalis est, quod calor sit præter naturam: posteà additur subiectū, quod est cor; nam calor talis in corde accensus: & hæc est differentia. nam dicemus calor accensus est in corde, fit differentia sic, quæ facit cognoscere febrem talem, ista est definitio accidentalis. quare in talibus definitionibus subiectum se habet loco differentiæ, & est quod dat vltimam essentiam ipsi accidenti: definitur autem accidens sic: vnde Aristo. 7. metaphy. dicit accidens non posse definiri, intendit de accidente, vt accidens, & verè accidens est: de hoc vero sumito illū locum. at medicina non est verè accidens, ergo potest definiri. ad secundum quando dicunt medicinam nō habere nec formā, nec materiam, dico medicinā habere materiam in qua, & si non habeat materiam ex qua; & illa materia in qua est substantia,

ſtantia, per quàm ipſa medicina definitur. ad tertium quando dicunt nullū multiplex poſſe definiri, ſeu definitur quinto metaphy. primo: vel dicas analogum, dicis vniuocum multiplex, & hinc patet, quòd analoga poſſunt definiri præter communem conceptum habendo poſt relationem ad reliqua, quod medicina ſcientia ſanorū ſit analoga, hæc ſupra vidimus. quare adhuc patet, quod medicina poteſt definiri, quem admodum definiuntur accidentia ſuo ſubiecto inhærentia. ad quartum quæritur an medicina definiatur per proprium genus, quia eſt ſcientia deinde quæritur an definitio iſta ſit Gal. nécne? eſt Gal. tamen prius fuit aliorum, vt Herophili, vt eſt videre in libro introductorio, quia dicit ibi eſſe Herophili, & ipſam approbat: & primum definitio hæc fuit Platonis, qui dicit medicinam eſſe ſcientiam ſanorum, & ægrorum: quā definitionē Herophilus ſumpſit poſteà à Platone. Quinto quæritur an definitio hæc ſit optima: optima enim definitio notas facit omnes partes in ea eſſe eſſentiales, dicunt iſti: at iſta definitio nō videtur optima, quia Gal. ſi volebat tradere hic ordinē definitiuum, debebat facere veram definitionem, & hæc ſua definitio nō videtur vera, quoniam Ariſto. in 10. vel 8. metaphy.

textu quarto dicit optimam definitionem constare quatuor causis, in qua quidem omnes explicantur, causa efficiens, finalis, materialis, & formalis. Hoc idē dicit in secundo poster. 8. tantum debet esse vera illa definitio, ex qua deinde sequitur cognitio omnium accidentium in ea contentorum, ex qua etiam resoluantur omnes ambiguitates ab ea prouenientes: si ista vera definitio Gale. est, qualis videtur nō esse, bona: ergo nec erit alicuius vtilitatis huic libro, & omnes passiones, omnésq; quæstiones erunt vanæ hic, quanquam præsuppono eas solutas esse, tamen omnia corruent, si est mala, vt videtur. deinde quod nō sit bona definitio ipsa, patet, quia dum dicit, medicina est scientia &c. videtur tantum genus esse, non enim in hac apparet causa efficiēs, nec cæteræ causæ, sed tantum capi videtur sciētia loco generis, & subiecti, à quo deinde habentur differentiæ sanorum, ægrorum, & neutrorū. ergo non est vera definitio, quod dicere videtur & Auic. in prima primi, vbi satisfacit ibi de hac, etiam ipsam complectitur, & inquit Auicen. medicina est scientia, à qua corporis humani dispositiones cognoscuntur, ex parte qua sanantur &c. primum dicimus in hac definitione medicina est sciētia, apparet differētia, & genus, quando

quando dicit,qua corporis humani diſpo-
ſitiones cognoſcuntur,notat ſubſtantiam,
& cauſam materialē:nam per hoc diuidit
hanc artem ab aliis artibus, quoniam hæc
verſatur circa corpus humanum tantum.
deinde dum dicit ex parte,qua ſanātur, vel
ab ea remouentur,vt habita ſanitas conſer
uetur,& amiſſa recuperetur, affert cauſam
finalem:quæ eſt ipſa ſanitas. quare ex hac
definitione Auicē.eliciuntur tria:primum
eſt cauſa formalis,deinde cauſa materialis,
tum cauſa finalis:deeſt cauſa efficiens, ſed
ipſe dum dicit,ex parte,qua ſanantur,vel à
ſanitate remouentur,hæc non fit niſi à cau-
ſa efficiente.itaque ſola iſta definitio Auic.
videbitur vera, & eſſe perfecta. At iſta hic
data à Galen.videtur imperfecta.iſta pro-
fecto eſt perfecta definitio Gale.& quanto
illa Auicē.apparet perfectior, ac tanto iſta
hæc videtur imperfectior : ſed iſte modus
loquendi Gale.eſt huiuſmodi, & antiquus,
& fuit mos antiquorum,vt eſſent admodū
breues in verbis:multa autem eſſent inclu-
ſa in illis,& ita aliquando fuerunt breues,
vt alii legentes posteà non intellexerint,
quid ibi inferre vellent:ſic facit hic Galen.
eſt admodum breuis in hac definitione,vt
in toto hoc libro.in hac enim definitione
omnes quatuor cauſæ exiſtunt:nam quan-

do dicit, medicina est scientia &c. tunc apparet causa formalis, dum verò dicit sanorum, ægrorum, & neutrorum habetis substantiam, & finem intentum: quoniam dicimus per sanum intelligimus corpus sanum, & susceptiuum sanitatis, & intelligo sanitaté quæ est proprius finis, quia in hac definitione generaliter etiam habemus formam, substantiam, & finem. est præterea & causa efficiens, dum dicit; vnumquodque tripliciter capitur: nam corpus sanabile est multiplex, includitur etiam causa efficiens, ac omnes causæ in hac definitione in vno verbo, definitióq; ista erit perfectissima. Adest enim causa formalis, materialis, finalis, & efficiés: multi autem sunt, qui ægrè ferunt, de hac diffinitione detrahentes, eam tanquam ignari nescientes quid balbutiãt. omnia enim metiuntur secundum velle, & sunt quemadmodum, qui vident omnia obscura, quoniam habent oculos obscuros. quare cum ista sint satis difficilia, sunt offerenda ingeniis claris, & sanis: ista autem satis sint dicta ad habédum istam medicinæ definitionem esse optimam, & in nulla re mendosam. vidimus modo & primum terminos, quomodo debeant intelligi, deinde an possit definiri, tũ an medicina sit propinquum genus, præterea si scientia sit, &
vtrum

vtrum ſit optima definitio,quod eſt quintum,& vltimum:volo modo explere hoc caput,quoniam omnia ſunt clara, præterquam in fine medicina eſt ſcientia:ſi quis dicat ęgrorum loco inſalubrium hoc nihil refert,iſti termini aut habeant eſſe tales actu,aut diſpoſitionem & principia interna declarare. vnde dicit inſalubrium, quoniã vult hoc nomen eſſe commune,ac reducere & ad cauſas,& ad ſigna,ſicut ad ipſa corpora,& non tantùm vult conuenire actui, ſed etiam diſpoſitioni, vt dixi. NOMEN VERO &c. vidiſtis iam diuiſionem ſcientiarum factiuarum, & ſpeculatiuarum, & quod erat diuiſio analoga, quoniam hoc nomen ſcientia primũ prædicatur de ſcientiis factiuis. itaque bene dicit Gale. medicina eſt ſciẽtia communiter,& impropriè, non autem propriè:quia medicina non eſt propriè ſcientia,ſpeculatiua ſola eſt ſcientia propriè,medicina verò dicitur ſcientia factiua,quia dicit Gale. non intelligo medicinam eſſe ſcientiam propriè dictam. SALVBRE AVTEM &c. diſtinguit quot modis dicatur ſalubre,& inſalubre, & ſimiliter neutrum corpus, quoniam corpus analogicos dicitur,de quibus ſuprà tractatum eſt. Notate hic eſſe conſiderandum vnum: nam Gale. proponit vnum,quod medicina

poteſt dupliciter conſiderari: vno modo prout eſt habitus ſcientificus ipſius intelle-ctus; alio modo, vt eſt artificium, per quod exercet operationem: ſi primo modo capi-tur, tunc dicitur, & eſt ſcientia: quia verſatur circa cauſas, & principia, circa ſigna, & cir-ca corpora, ita eſt habitus ſcientificus intel lectus: alio modo, vt eſt artificiũ, per quod exercet operationem: ſi primo modo capi tur, tunc dicitur, éſtque ſcientia: quia verſa-tur circa cauſas, & principia circa ſigna, & circa corpora, ita eſt habitus ſciẽtificus: ſed ſumpta ſecũdo modo, prout eſt artificium exterius ſine vllo dubio potius debet dici ars, quàm ſcientia: quoniam cauſæ nõ ſunt primo medico conſideratæ, ſed quando cor pus aliquod, vt Socrates ægrotat, in primis empiricus accedit ad Socratem, & primum conſiderat corpus, in quo eſt latitudo, vt ſa-net ipſum: latitudo autem iſta habet cau-ſam: conſiderato corpore poſteà conſide-rat cauſas, quaſi autem latuerint illi: tertiò conſiderat de ſignis propter cauſas. primũ ergo medicina, vt eſt artificium exterius, quod conſiderat, eſt corpus, deinde de ſi-gnis propter cauſas, tum de ipſis cauſis, in quibus deſinit. At ſpeculator medicinæ ſpeculans medicinam, vt eſt habitus ſcien-tificus, primum incipit conſiderare cauſas,

deinde

deinde ſubiectum, & corpus, tum paſsiones,& accedit ad curam vltimò. Artifex verè operarius primò conſiderat corpus, ſecundò ſigna, tertiò cauſas. Quomodo autẽ iſta ſint intelligenda declaro. Notate quicunque vult inueſtigare paſsionem ineſſe ſubiecto, habet ſupponere tria: primum ſupponat ſubiectum, deinde paſsiones, tertio cauſam, per quam intendit paſsionem ineſſe ſubiecto demonſtrare. Quæro modo à vobis, quid quæritis primo, num quæritis ſubiectum ante paſsionem? ſed cauſam tãtum, per quam ipſa paſsio ineſt ſubiecto, & non aliud. quare intentio hæc eſt quærere tantum cauſam? quia paſsio inſit ſubiecto: ſícque bene dicit Gal. quod medicina dicitur ſcientia reſpectu cauſarũ, quoniã per cauſas ipſas ſcimus omnia. quemadmodum bene dicebat Ariſtot. in proœmio phyſicorum: quia merito dicit Galen. quod medicus, vt ſciens primum conſiderat cauſas, deinde conſiderat ſubiectum, quoniam quærit paſsioné in ſubiecto permanentem, tum ſigna, quia in medicina, vt eſt vera ſcientia, primũ conſiderandũ eſt cauſa, ſecundum eſt ſubiectum, quod eſt quid de ſubſtantia, tertium quæritur inhærentia ſubiecti cum accidentibus, quoniam ſubiectum præcedit accidentia.

primum itaque considerat medicus hæc tria, nimirum causas, & corpus vel subiectum, & signa, deinde dicit illa est dignior scientia quæ versatur circa causas efficientes sanitatem, quam quæ circa causas efficientes ægritudinem: quoniam causæ facientes sanitatem, faciunt habitum. Nam sanitas est habitus, & causa efficiens morbum efficit priuationem, quia morbus nihil aliud est, quàm priuatio sanitatis: sed habitus præcedit priuationem dignitate. ergo in medicina causæ efficientes sanitatem sunt digniores illis, quæ efficiunt morbum: & sic medicina considerans habitudinem est præstantior medicina considerante morbum, seu ægritudinem.

Incipimus itaque à corpore considerando corpus ipsum, quid sit, deinde signa, per quæ deuenimus in cognitionem causarum, postremò causas. quare in medicina pro habitu scientifico primæ sunt causę, deinde sunt corpora, tertio sunt signa. Ideo aliter Galen. dicit in medicina pro habitu scientifico. & aliter in medicina sumpta pro artificio. nam si primum consideratur corpus vel subiectum, deinde ipsa signa, tum causæ, sunt oppositæ duæ hæ considerationes, quoniam aliud est habitus scientificus, & aliud operatio. Sed quare sic dixit Gale.

dum

dum definiuit medicinam? dico optimè fecisse Gale. & vsum esse summa arte in hoc: nam dum vult docere in hoc modum docendi, fuit vtile, & necessarium valde hoc documentum: nam aliter se habet ista ars, vt est habitus scientificus, & aliud est, vt est operatio: & quoniam, vt dicit Aristote. in prooemio physicorum innata est nobis via à notioribus, sed notiora sunt ipsa particularia, & indiuidua, cognoscuntur per sensum, & cognitio causarum difficilior est, quia cognoscitur per intellectum: propterea Gale. bene meminit duplicem habitudinem medicinæ seu scientiæ. Et ideo vna est habitudo scientiæ per habitum scientificum, & tunc incipimus considerare à causis, tanquam à prioribus: sed quando volumus docere artem, tunc incipimus à notioribus nobis ad faciliorem doctrinam, quoniam prius cognoscere debemus signa sana, & in sanitate. ergo primum debes incipere à corpore, deinde à signis, tum causis: & hæc satis sint dicta de secundo capite.

CAPVT III.

SANABILE SIMPLICITER CORPVS &c. Posita definitione medicinæ restat

reſtat modo, vt ſeruemus pollicita cum Gale. qui vult tradere nobis artem medicinæ ordine definitiuo, qui ordo naſcitur ab ipſa definitione. Ideo fuit neceſſe tradere optimam definitionem medicinę, vt oſtendebamus ſuperius. eſt enim optima, quia habet in ſe omnes partes requiſitas ad definitionem medicinę. Nunc modo reſtat explicare definitionem hāc, vt videamus definitionem hanc eſſe in re, non amplius in verbis. Gale. in primo tractatu proponit quatuor cognita, ſicut quatuor facit: primo diuidit, cum dicit medicina eſt ſcientia, & cum medicina dicatur de ſalubri, inſalubri, & neutro, & huiuſmodi corpus ſalubre, & neutrũ, & vnum quodq; horum tripliciter capitur, & de tertio ſubiecto dicitur ſecundum proportionem: dicũtur enim hæc tria corpora primũ de cauſis, deinde de ſignis, tum de corporibus ſuſcipiẽtibus ſanitatem, vnumquodq; horum tripliciter dicitur ſuſcipere ſanitatem. Secundum quam triplicem ſanitatem tertius fluit tractatus, vel tres libri in hac arte, ſiue tres partes, prima eſt de ſuſceptiuis ſanitatem, ſecunda de indicatiuis, tertia de efficientibus, & ita tres ſunt partes totius huius artis paruæ. poſtea autem incipit Gale. à corpore ſuſceptiuo, & facit vnum tractatum, qui diuiditur in quatuor

tuor partes declarando terminos, & post declarat modum, & latitudinem sanitatis, & omnium terminorũ, & ita non sunt plures, quàm sunt in diuisione ipsa. postea in secundo capite dicit, quæ sint corpora sanitatem suscipientia, & quot modis: tertio capite ostendit, quæ sint corpora ægrotabilia, & quot modis cognoscuntur talia corpora. In quarto & vltimo capite dicit, quomodo neutrum intercedit in singulis corporibus. ista enim sunt inquirẽda à nobis in hoc primo libro, quibus declaratis habebimus etiã explicata omnia cõtigua. Incipiamus modo à primo capite, & videamus illud, vbi declarat nobis terminos definitionis, & vocum, quibus vtitur hoc in libro, & affert latitudinem sanitatis, postea in vltima parte capitis manet vnum dubium, quod potest contingere in definitione data medicinæ. Porrò cum indicãs, suscipiensq;, & efficiẽs, ac custodiens vnumquodq; bifariam dicatur simpliciter, & nunc: cum dictum sit medicinam esse sciẽtiam salubrium, & insalubrium, & neutrorum tam de corporibus suscipientibus, tam de signis, quàm de causis, dicit modo Gale. quomodocunque capiatur corpus salubre, insalubre, & neutrum, siue enim dicatur de corporibus susceptiuis, siue de signis, siue de causis dupliciter

pliciter potest capi, vno modo capitur simpliciter, alio modo, vt nunc: oportet primum videre, quid vult dicere Gal. per simpliciter, & quid per illum terminum nunc: quoniam his habitis multa etiam alia patebunt: deinceps & alia dicemus. quare notate si optimè scietis in principio omnia nomina, fugietis multas ambiguitates in processu nostro, quoniam hic est necessaria nominum interpretatio, quãdo Gal. dicit simpliciter tale, intelligit quẽadmodum philosophi intelligunt simpliciter tale, quãdo est absolutum tale, & in propria sua essentia. Istud autem verbum quod appellat secundum quid est oppositum verbo simpliciter, vt labitur à perfectione tendens ad alicujus facultatis intellectionẽ, in qua existit. nam diminutionem dicit verbũ secundum quid: nõ enim habet integram facultatem. Vnde bene Gale. dicit, dicimus simpliciter bonum hominem esse, vel simpliciter malum esse, vel quia habet in se summam bonitatem, vel summam malitiam, quod bene declarauit Gal. in principio secundi libri de tuenda sanitate, quod simpliciter tale est in omni genere, & debet antecellere, & præstare omnibus in illo genere: est enim inculpatum sine additione aliqua, præfertúrque nec habet aliquem defe-

ctum,

ctum,& ita huiuſmodi ſimpliciter eſt tanquam regula omnium contentorum in tali genere,quoniam omnia in tali genere referuntur ad illud ſimpliciter, ſic ſe exponit Gal.de hoc in lib.2. præterea vide in libro de bona corporis habitudine, dicit illud ſimpliciter appellari tale, quod eſt optimè conſtitutum, & hoc conuenit corpori optimè ſano, & ita ſano, vt nihil deſit illi: talis ergo eſt conceptus dictus de hoc nomine ſimpliciter.quare quãdo Gal.dicit ſimpliciter ſanum, vel ſimpliciter ægrum.i.ſimpliciter inſalubre,vel ſimpliciter neutrum, intelligimus de perfectione tali,vel tali ſiue in malum capitur,ſiue in bonum,ſiue in ſanitate,ſiue in morbo.Quare dicit Gal.debemus ſcire ſimpliciter ſanũ, quia ſit optimè ſanum,ſic ſimpliciter ęgrum,quoniam eſt penitus ægrũ, vel inſalubre;& hoc, quoniam habet optimam diſpoſitionẽ ad morbum, & extra ſanitatem eſt ex toto genere, eſt in fine vltimi gradus ſanitatis ad morbum. ſic ergo ſimpliciter tale capitur pro abſolute,ſiue modo in bonam partem,ſiue in malam:eadem ratio de corporibus neutris:neutra enim ſimpliciter talia ſunt,quia ſunt abſolutè neutra,ſicuti dictum eſt & de ſano ſimpliciter, & inſalubri ſimpliciter. Quare iſte terminus abſolutè dicitur, & de

ſano

ſano perfecto, & de ægro,& ſimpliciter de neutro. AT NVNC &c. Videamus modo ſuam opinionem quoad ipſum nunc. Notate quod iſte conceptus nunc apud Gal.eſt diminutio ab ipſo ſimpliciter,quoniam eſt cum additione, quemadmodum etiam inquit Gale. in libro illo ſecundo de tuenda ſanitate: nã dicit vel perfectiones, vel tantum imperfectiones, vel tantum neutralitates, quia eſt cum additione: eſt enim iſte terminus nunc limitatiuus,quia limitat malitiam. Non enim eſt,vt terminus ſimpliciter, ſed cadit ab ipſo ſimplici: limitat ergo ipſum ſimpliciter, quia non habet ipſum ſimpliciter perfectum, ſed cum diminutione,& dicitur nunc pro eo tempore tantum, vt ſic ſe habeat. quando verò dicimus corpus ſimpliciter ſanum intelligimus, vt in nihilo diminutum ſit, imò perfectum. At corpus ſanum,vt nunc nõ eſt ſic,habet quidem ſanitatem, ſed nõ ſanitatẽ optimam, licet exerceat operationes ſuas,nõ ideo habet ſimpliciter ſanitatem,ſed habet ſanitatem culpatam, & ſecundum quid,vel ſecundum partem,& appellatur ſanitas,vt nunc, quemadmodum dicit Gal. in libro illo an ars tuendæ ſanitatis ſpectet ad medicum, an ad gymnaſticum.& in ſecundo de tuenda ſanitate, ꝙ ſanitas iſta ſecundum quid

dicta,

dicta,& culpata, & ſic deficit ab illa ſanitate ſimpliciter dicta, ſed huiuſmodi ſanitas dicitur fluens, & labilis. Dicitur ergo tale corpus ſanum, vt nunc, quia facilè labitur à ſua ſanitate. videatis in locis allegatis Gal. qui ibi dicit illam eſſe ſanitatẽ culpatam, quæ deficit à perfecta ſanitate. quare & hic dicit eſſe corpus, vt nunc ſanum, quia ſi nõ eſſet ſimpliciter ſanum, erit ſecũdum quid: ſic de homine non eſt dicere, quod eſt ſanũ nunc: ſed pro eo tempore tãtum, in quo eſt. & cauete à nouis, quia aberrarunt, & fuit Druſianus, & Iacobus Forliuienſis: Druſianus exponit ſanum, vt nunc, quod ſit oppoſitum ſanitati ſimpliciter neceſſariò, quaſi quod illud nunc mala complexio ſit: & affert exemplum de mercibus, quia nũc proiiciuntur in mari à mercatore cauſa euitandi naufragiũ, & talem dat ei verbo, vt nũc, ſenſum, ſanum nunc dicitur de eo, quod eſt peſsimè affectum cõtra habitum ſanitatis, & eſt oppoſitum ei, & dat tale exemplum de mercibus, quia nunc debebat ille eas proiicere in mare, ideo dicitur vt nunc, & opponitur ſanitati ſimpliciter, ad ſaluandas eas: ſic dicit iſte ſanum vt nunc, neceſſario eſſe contrarium, & opponi ſano ſimpliciter, quod tamen eſt falſsimum: quoniam Galen. non ponit illam particu-

lam, vt necessariò sanum, vt nunc est oppositum sano simpliciter, imò in hoc loco Galen. diuidit sanum, vt nunc sit, vt pars: bene verum est, quod quandoque sanum vt nunc opponitur sano simpliciter, sed non necessariò: quemadmodum coruus est albus nunc, & necessariò dicitur albus pro hoc tempore tantum, quoniam hic fuit adductus, vt fieret albus: ista materia est contingens, non necessaria: sicque in hoc deceptus fuit Drusianus: ipse enim ex hoc ipso suo assumpto facit vnum theorema vniuersale, quod ex vno particulari tantum fit, nos aliter dicimus quandoque esse verum hoc, quod dicit, sed non in omnibus potest esse, nisi in materia contingenti. Nam nunc video equum velocissimè currere, dum enim ita velociter currit, est simpliciter velox, sed dum curret talis equus, deficiet ab illo veloci cursu, aut propter lassitudinem, vel laborem, aut quid tale, curret quidem adhuc, sed non ita velociter, vt prius, quoniam hæc velocitas est diminuta à priori, & non est, vt prima erat, sed adhuc quidem velox, sed non vt simplicitèr, vt nunc, quia est coactus deficere equus à prima simplici velocitate: non enim semper potest perseuerare in eodem cursu, sic ideo possumus dicere aliquem sanum, vt

nunc

nunc non quod sit simpliciter sanus, sed vt nunc, quoniam deficit, & declinat à sanitate simplici, & optima: quia non est intelligendum hoc nunc in tempore, bene stare potest pro differentia temporis, sed nunc etiam non dicit Gale. pro differentia temporis, sed pro diminutione tantũ, quoniam talis sanitas est culpata, cum sit admodum fallax, & labilis. quare bene notat hunc conceptum ipsius nunc. quoniam ergo dicitur simpliciter, est in summa perfectione sine aliquo additamento, sed dum dicitur sanum, vt nunc tale dicitur: sic quia recedit à simplicitate nunc temporis, & est cum diminutione ab alio simplici, & est occasio simplex, & periculum imminet de maiori malo, quoniam est valde lubricum ad oppositam dispositionem breui. non quod sit oppositum ad terminũ simpliciter, nec dat differentiam temporis, nec dat oppositum sanitatis simpliciter, sed tantũ dicit diminutionem, quia sanitas talis, vt nũc, est culpata. Non ergo pro termino nunc Gal. posuit differentiã temporis, aut oppositum illi termino, quod dicimus simpliciter. isti itaq; erunt cõceptus de hoc termino simpliciter sano, & de termino sano vt nunc; simpliciter modo capitur dupliciter, vel dicitur simpliciter tale, quia est absolutè tale,

cum nihil addi pooteſt,nec etiam diminui: & hoc eſt ſimpliciter ſanum ſine diminutione aliqua,& eſt vnum,quod eſt exquiſitiſsimum,vt in ſuo generē. Eſtq; hoc ſimpliciter tale,vt habetur in ſecũdo de tẽperaturis cui nihil quidem deeſt, ſed eſt pulchrũ,coloratúmq;,&omnes habet operationes naturales, quoniam bene conſtat in corpore, & in temperatura. ſed tale corpus raro, aut nunquam inuenitur,& talis homo eſt veluti figura Polycleti, qui ſtatuam vnam adeò pulchrã fecit hominis,vt nullus homo vnquam inuentus ſit, qui poſsit ei comparari in pulchritudine,propterea ꝙ nullus inuenitur homo exquiſitè pulcher. ſic dicitur de Marco Tullio,qui fecit librum̨ oratoris,vt debuit fieri,non tamẽ inuentus eſt vnquam orator,qui poſsit habere illa omnia cõtenta in tali libro : Cicero enim poſuit ea eſſe oratoris perfectiſsimi, quæ eſſent tanquam regula quędã. quare ſic de ſano dicitur ſimpliciter, qui rarò, aut nunquam inuenitur, & ſi inuenitur, citò labitur: nam ſi permaneret, non daretur defluxus ſanitatis, nec corporis humani. Plato etiã in libris de republica docet rempublicam, qualis ipſa eſſe debeat, nulla tamen vnquam fuit, nec erit reſpublica talis, qualis reſpubl. Platonis. ſic à Galeno bene eſt deſcripta idea hominis

minis ſimpliciter ſani, non tamen inuenitur, niſi rarò, vel nũquam: & ſi quis talis eſſet, talis vel eſſet in puncto, vel in tempore: ſi eſſet in tempore, ergo non daretur refluxus ſanitatis, nec occaſio eſſet præceps, imò ſanitas ſemper eadem eſſet, ſed ſemper ſanitas fluit, & mutatur ipſa, vt patet: nã ſimpliciter tali nihil deficit. ergo non inuenitur: ſed huiuſmodi ſanitas habetur tantum in conceptu, nõ in re: & afferam, & ſoluam vnum dubium in Gal. quoniam ipſe in ſecundo de tuenda ſanitate in proceſſu dicit, cum loquitur de corporibus ſimpliciter ſanis, quod in regionibus temperatis poſſunt inueniri, tamen alibi dicit totum oppoſitum: ergo ſibi contrarius eſt. Dico, hoc licet Gale. abſolutè dixerit, tamen non capit exquiſitiſsimè, ſed cum gradu, dum dicit ſimpliciter ibi. Nam ſimpliciter ſanum eſt exquiſitè ſanum, ſed non inuenitur. & ideo Gale. loquitur de ſimpliciter ſanis, cum latitudine, & cũ gradu. Quare dicimus ſimpliciter tale ſine additamento ſemper eſſe tale, & ſemper eſſe futurum tale ſine mutatione aliqua, & nullam habere diſpoſitionem, vt ægrotet, & diu viuat ſi reperiatur, & tantummodo moreretur per reſolutionem caloris naturalis ſecundum periodum ſuæ vitæ ſine aliquo morbo. Dicitur itaque

hoc modo simpliciter vel semper sanum hæc est sua prima differentia: alia est differentia, quoniã dicitur simpliciter sanum, quia est sanum vt plurimum: nam recedit aliquantulum ab illo sano simpliciter, & fit in eo aliqua diminutio, vt quamuis dicatur diminutum ab illo perfectissimo gradu sanitatis, tamen dicitur & est sanum, vt plurimum, & ferè semper est sanum: habet quidem aliquam diminutionem, tamen est diminutio illa adeo pauca, vt possit dici sanum simpliciter, & est sanum vt plurimũ, & ferè semper sanum est propter diminutionem illam paruam, quando verò dicimus, vt nũc, modo tale corpus sanum, vt nunc habet multam diminutionem ab illa simplici sanitate, & nullo modo est simpliciter tale. & notate iste terminus, vt nũc, ponitur à Galeno indiuisibilis, sit bene diuisit hic simpliciter tale, sed vt nunc minimè: & certè etiam terminus iste, vt nunc, diuiditur, & melius forsan, quàm simpliciter tale, tamen non diuidit hic Gale. enim, vt in libro de tuenda sanitate, an attineat ad medicum: & in secundo de tuenda sanitate, vbi diuidit hunc terminum vt nunc, & inquit iste terminus, vt nũc, diuiditur, vt cum dicimus sanũ nunc dupliciter dicitur, sumi tur q; nam habet duos gradus, vt in temperatura

ratura homo calidus:nõ enim est ſanũ ſim
pliciter,tãtũ dicitur ſanũ.& talis ſanitas du
plici modo capitur, vel in habitu,vel in ha
bitudine,vel cũ talis ſanitas est κατὰ ἕξιν.i.
ſecũdũ habitũ vel κατὰ σχέσιν.i.ſecũdũ ha-
bitudinẽ,ideo ſanũ,vt nunc, duos continet
terminos: ſi aũt habet ſanitatẽ in habitudi-
ne,vt corpus pituitoſum,vel cholericum est
ſanum,non tamen ſimpliciter, ſed vt nunc
in habitu,nec hoc corpus facile labitur in
ægritudinem. Alia eſt ſanitas vt nunc in ha
bitudine,&dicitur corpus hoc etiam ſanum
vt nunc,tamen tale corpus facile labi poteſt
in malum,& citò: quoniam iſta diſpoſitio
& impreſsio hæc ſanitatis eſt leuis, & eſt in
habitudine tantum,& non adhuc eſt ægrũ:
& videbitis hoc melius in tabellis noſtris.
ſanum vt nunc duplicem continet ſanita-
tem ſub ſe,licet Galenus tacuerit hanc diui
ſionem in hoc libro,& hoc quantum ad de
clarationẽ quid ſit ſimpliciter tale, & quid
nunc tale.aduertatis,quòd etiam de ægris,
& ſanis ſimpliciter,& vt nunc,& de neutris
etiam medicina eſt ſcientia:eſt enim medi
cina ſcientia omnium in latitudine,& à pri
mo gradu vſque ad vltimum:ſiue enim la-
titudo fuerit in ipſa ſanitate, ſiue in mor-
bo, ſiue in neutralitate, ſemper medicina
eſt ſcientia horum omniũ graduum. NE V-

TRA VERO &c. Notate quid inferat Galen. cum sua mira arte: nam deuenit ad omnem latitudinem tam sanorum, quàm ægrorum, & neutrorum explicandam. Dicit itaque sanum, cum capitur simpliciter, & vt nunc, simpliciter verò adhuc dupliciter capitur, vt visum est: sanum verò vt nunc secundum Gal. ipsum hic non diuiditur, est vnum: si hoc sanum applicetur ad causas efficientes sanitatem, tunc habebit tres gradus, vel est vt semper, vt plurimũ, vt nũc: si causæ facientes neutralitatẽ habebunt etiã tres gradus, vt semper, vt multũ, & vt nunc, quod neutrum tripliciter capitur siue referatur ad corpus ipsum, siue referatur ad causas efficientes, siue ad signa: dico quod si referatur ad ipsum corpus, tripliciter sumitur, aut per abnegationem extremorum terminorum, & sic habet tres gradus, vel est vt semper, vel vt multum, vel vt nunc: aut dicitur neutrum per participationẽ vtriusque extremi, & sic etiam tres habet gradus, vel vt semper vel vt multũ, vel vt nũc: aut dicitur neutrũ per participationẽ vtriusq; extremi, & sic etiam habet tres gradus, vel vt semper, vel vt multum, vel vt nunc: aut dicitur neutrum per alternam successionem vtriusque, vel vnius, & sic adhuc habet tres gradus, vel vt semper, vel vt multum, vel

vt nunc. similiter dicas, si corpus referatur ad causas efficientes, quod tot sunt gradus, quot habet corpus, vt corpus est, sunt quindecim gradus. parimodo si corpus referatur ad signa, erunt & quindecim gradus: nam signa alia ægra, alia neutra, signa sana tres habent gradus, vt semper, vt multum, vt nũc. signa ergo etiã habent sic, vel vt semper vel vt multũ, vel vt nũc. signa neutra vel per abnegationẽ, vel per participationem, vel per successionem vniuscuiusque extremi: si per abnegationem tres habent gradus, vt semper, vt multum, vt nunc: si per participationem dicuntur, vt semper, vt multum, vt nunc. & si per successionem dicuntur simplicirer, vt semper, vt multum, vt nunc: & sic gradus signorum erũt adhuc quindecim, & quindecim corporum, & quindecim causarum. Itaque erunt in totum quadragintaquinque. Neutrum modo per participationem vniuscuiusque extremi etiam diuiditur, vel in toto, vel in parte vna: & vnumquodque horum duorum tres habet gradus, vt si in toto, tres habet gradus similiter, si in parte: sic etiam neutrum tertii modi per alternam successionem vel in toto, vel in parte vna: & vnumquodque horum duorum tres habet gradus, vt secundus modus habet, pro hoc videatis tabu-

lam, quam dabo in ſcriptis. ſed diceret quiſpiam, quam vtilitatem habeo ego ex tot gradibus? dico multam, quoniam in vno quoque horum graduum medicina eſt diuerſa, quoniam quædam indigent, vt præſeruentur, quædam vt curentur: alia verò, vt conſeruentur, vel vt corrigantur, vel vt reſtaurentur, vel ſeruando, vel præſeruando. ſimiliter ſi ignorabitis gradus, non poteritis applicare cauſam ad corpus, nec poteritis curare, vt applicetis poſtea ad particularia. Declaro hæc modo melius: nam ſi medicina referatur ad cauſas, vt puta ad cauſas ſanitatem efficientes, iſta cauſa poteſt conſiderari vt ſana, vt ægra, & vt neutra: ſi modo aſſumo cauſam, vt ſana eſt, & hæc tripliciter poſtea poteſt conſiderari, vel vt ſana ſimpliciter, vel vt multũ, & vt plurimũ, vel vt nũc: ſi vt nũc, vel vt in habitu, vel in habitudine, vt de aëre, qui ſemper circundat nos: eſt enim aër vna ex cauſis principalibus noſtræ ſanitatis, vt aer poteſt dici ſimpliciter tale, vel vt nunc tale, ſi ſimpliciter tale, quia non alterat, quoniam nec eſt calidus, nec frigidus, ſed eſt in temperatura bona, nec habet ſecum commiſtos aliquos vapores. Notate Galen. in ſecundo de temperaturis inquit, quod cum aliquid dicitur ſimpliciter tale, dicitur in

respectu ad humanum corpus,non quod in se sit verè simpliciter tale,hoc idem habet in primo cap. de medicinis simplicibus,& in primo de temperaturis dicitur simpliciter tale respectu corporis temporati,aut dicitur simpliciter tale, quoniam potest conseruare corpus humanum, eo quia respicit sanitatem, refertúrque ad corpus sanum,& ista est consideratio analoga.si autem dicitur simpliciter sanus, quia attingit,& consistit in medio tempe-ramento non ponderis,sed iustitiæ intelligendo,vt referatur ad optimam sanitatem in corpore humano,vt quando aër est bonus pro corpore humano dicitur exquisitè sanus pro corpore,quoniam in nihilo deficit pro corpore sano,nec excedit in aliqua qualitate,nec in crassitie,nec in vaporibus, sed dicitur simpliciter sanus.quando verò aer est sanus,vt plurimum,intelligitur sic, quod deficit in aliquo ab illa simplici,& mera sanitate,& non deficit plurimum: sed in aliquo,& non tantum deficit ab illa sanitate optima:vt amittat denominationem sanitatis.Itaque adhuc dicitur sanum, vt plurimum,vel causa sana vt plurimum: nam sana deficit ab illa exquisita sanitate sic ea sortitur, non aliud,& tale quantum deficit ab illa.quare cum talis causa deficit
in

in aliqua parua alteratione à ſanitate optima dicitur ſana, vt plurimum, id eſt, quod plurimum ſana ſit: non quod plurimum receſſerit à bona, & mera ſanitate, non eſt, nec verè ſumptum, quia illi abſolutè ſanitati nihil deficit, vt dicere, vt plurimum, id eſt, quod plurimum ſana, non quod plurimum receſſerit à bona, & mera ſanitate, non eſt nec verè ſimpliciter, quia illi abſolute ſanitati nihil deficit, at dicere vt plurimum, & cauſa limitatiua, ſi limitat, non eſt abſoluta, ſicque aliquo modo receſsit ab illa abſoluta ſanitate, & parum: at cauſa ſana, vt nunc, vt aër ſanus vt nunc deficit valde ab optima ſanitate, & limitat ſibi magnam diminutionem, dicitur quidem talis cauſa ſana, ſed debilis admodum, & præceps, & fluxibilis, & prope vltimum gradum, & terminum ſanitatis, & dicitur cauſa ſana pro tempore illo tantum: nam non poteſt diu durare, quoniam nullum habet bonum fundamentum, cum receſſerit valde ab optima ſanitate, & à temporamento, & ſic dicitur cauſa ſana vt nunc, ob multum defectum ab illa ſanitate priori, & abſoluta.

Debetis modo ſcire iſta tria ſubiecta, ſuſceptiuum, & effectiuum, & indicatiuum eſſe diuerſa inter ſe: nam vnumquodque horum

rum subiectorum est susceptibile finium, vel trium formarum, quæ formæ tres, vel fines sunt particulares, & sunt ipsi salubritas, insalubritas, neutralitas. Hę tres formę, si in vno quoque horum trium subiectorũ, dicuntur ab his formis: quod hæ tres formę vel fines posſint esse in vno quoque. patet: nam in effectiuo potest esse salubritas, insalubritas, & neutralitas, sic in corpore susceptiuo possunt esse, sic etiam in corpore indicatiuo. Et debetis scire me non tantum partim probasse, partim non: quod vnaqueque harum trium formarum salubritas, insalubritas, & neutralitas (omnia dicam conuenire) rectè in his tribus subiectis possunt dupliciter contingere, itã vt siue dicas subiectum esse susceptiuum, siue indicatiuum, siue effectiuum, de his subiectis hæ tres formæ particulares possunt dici dupliciter: vel enim dicitur effectiuum simpliciter sanum, vel dicitur effectiuum sanum, vt nunc. Videbamus supra secundum Galenum quid intelligi debeat simpliciter tale, & quid intelligitur nunc tale, & diximus quòd simpliciter tale capitur dupliciter, vel vt semper tale est, & vt plurimum: & ostendebamus quomodo iste terminus simpliciter tale capi debeat, & quid sit dicere, vt plurimum, & quid per nunc tale, omnia

ista

iſta ſunt memoriæ mandanda , cum ſint valde neceſſaria. quid ſit ſimpliciter , vel ſemper tale,& quid vt multum tale,& quid vt nunc tale: ſemper enim de his omnibus dicemus in hoc libro , cum vnumquodque horum ſubiectorum,trium ſumat quamlibet iſtarum trium formarum , ſalubritaté, inſalubritatem,& neutralitatem.ex quo relinquitur,quod vnum quodque horum triũ ſubiectorum habeat latitudinem contrariam diſpoſitionum,quemadmodum , verbi gratia,eſt de corpore ſalubri effectiuo,tale corpus effectiuum ſalubre,vel vt ſemper, vel vt multum,vel vt nunc : ſic etiã corpus effectiuũ inſalubre,vel vt ſemper,vel vt plurimũ,& vt nunc : ſimiliter corpus effectiuũ neutrum, vel vt ſemper,vel vt multũ vel vt nunc:& ſic erũt nouem gradus , ſiue nouem diſpoſitiones in latitudine huius corporis, & quod diximus de corpore effectiuo,idem dicimus de corpore ſuſceptibili , & eſt ſalubre,vel ſemper,vel vt multũ,vel vt nunc. ſic ſi eſt inſalubre habet tres gradus , ſic ſi erit neutrũ ſuſceptibile tres alios gradus habebit,vt ſemper,vt plurimũ,vt nunc.ſimiliter dicamus de corpore indicatiuo:ſi eſt ſalubre habet tres gradus, ſiue diſpoſitiones, vel vt ſemper vel vt plurimum,& vt nunc. ſi erit inſalubre tale corpus , vel vt ſemper,

vel

vel vt multum, vel vt nunc: similiter si erit corpus hoc indicatiuũ neutrum, vel vt semper, vel vt multum, vel vt nunc: similiter erit corpus hoc indicatiuum neutrum habebit hos tres gradus, & sic erunt aliæ nouem dispositiones, vnde erunt adhuc viginti septem gradus corporum, sed quia neutralitas; vel corpus neutrum tripliciter sumitur, tantummodo nunc de nominibus istis: vel enim dicitur neutrum per abnegationem vtriusque extremi: neque enim dicitur salubre, neque insalubre, sed neutrum per abnegationem extremorum, & vocatur neutrum primi modi: aliud est neutrum per participationem vtriusque extremi, & dicitur neutrum secundi modi, est sanum vno modo, alio non: in aliqua enim parte dicitur sanum, in aliqua non: est enim neutrum tertio modo, & nuncupatur per alternam successionem, vniuscuiusque vel respectu ætatum, vel respectu diuersorum temporum: quia vel in vno tempore, vel in vna ætate sit salubre, in alio tempore, vel in alia ætate insalubre: cum enim neutra capiantur tribus modis tantum: nos dicimus de primo modo, sed neutrum secundi modi, & tertii habet suos gradus, vt primus modus: vnde corpus neutrũ secundo modo salubre habebit

nouem.

nouem gradus : vel enim dicitur tale neutrum effectiuum ſic,& vt ſemper,& vt multum,& vt nunc , ſi eſt huiuſmodi neutrum ſuſceptiuum vel vt ſemper , vel vt multum,vel vt nunc:ſi verò eſt etiam hoc neutrum indicatiuum , vel vt ſemper , vel vt multum,vel vt nunc. pari modo dicas de neutro tertio modo ſumpto , ſi dicitur tale effectiuum , dicitur ſimpliciter , vel vt ſemper,vt multum,vt nunc : ſi verò eſt ſuſceptiuum etiam tres gradus continet , vel vt ſemper , vt plurimum , vt nunc. eodem modo erit indicatiuum , vel vt ſemper, vt plurimum , vt nunc. ergo erunt 45.gradus adhuc , vt patuit ſuperius. Vnde latitudo diſpoſitionum ſanitatis tantummodo conſiſtit in tribus corporibus , vel in ſuſceptiuo,vel in effectiuo , vel in indicatiuo. Debetis habere tabulam illam,quam vobis in ſcriptis dedi. ſunt ergo adhuc quadraginta quinque æqualiter in tribus ſubiectis,in ſuſceptiuo,in effectiuo , in indicatiuo corpore,in vno quoque horum reperiuntur quindecim horum graduum : & quoniam noſter ordo eſt,vt agamus primum de corpore ſuſceptiuo ſanitatis. Videbimus ergo in primis hos 15.gradus ſanitatis, & hoc etiam in tabulis noſtris:& ſi quid opus fuerit vlterius diuidere, diuidemus : & quoniam ſunt

& alii

& alii gradus,& videbimus quos Gal. dimisit: nam diuidemus ipsum nunc in habitu,& in habitudine: sunt enim & isti secundum Gale. sed adhuc latent,& sciatis, quod isti 15. gradus dantur ad vsum tabularum secundi libri,& sunt summoperè necessarii pro medicina. Videamus ergo hos 15. gradus, quoniam noui in hoc à tota via aberrant, quod si fieret error in abstractis, non tantus committeretur: sunt enim aliqui, qui dicunt salubre vt nunc,& insalubre vt simpliciter esse ex diametro opposita, quod supra ostendemus etiam falsum esse: credo, quod isti penitus carebant arte medicinæ. nam principium huius artis est scire gradus in corpore humano sanitatis. Vnde bene dicebat Plato errorem paruum in principio fieri maximum in fine. Et ideo oportet hic procedere, ne erretis in foribus, quoniam deueniretis postea in maiores deceptiones per processum, ex quo nunquam poteritis medicinam vobis comparare. loquemur itaque primum de his 15. gradibus corporis susceptiui sanitatis, deinde videbimus, quare Gal. in ponendis causis efficientibus tantum monstrauit quatuor gradus, cum tamen posuerint hic 15. gradus. præterea videbimus, quod Gale. non loquitur de gradibus signorum. quare autem

hoc fecit, videbimus ſuo loco, & tempore. in primo autem libro nos de his 15. gradibus corporis, in ſecundo agemus de gradibus ſignorum, quem librum intendimus perficere circa idus Martii, vt poſsim poſteà ea legere, & tertium librum, quem ſi non legerem, nihil in hoc anno haberetis: nolo enim vos decipere. his viſis circa corpus effectiuum ſanitatis, & circa omnes latitudines ſanitatis debemus modo aggredi illos 15. gradus: ſed in primis ſunt vidēdæ quædam difficultates Gal. quia dubitat contra ſeipſum, & inquit diximus iam medicinam eſſe ſcientiam ſanorum, ægrorum &c. Inquit Gal. ſciui iſta poſſe tripliciter dici de particularibus, vel de quibuſdam, vel de qualibus: de quibus intelligis tu? reſpondit Gal. non de particularibus loqui, quoniam de particularibus non cognoſcitur ſcientia: nam particularia ſunt infinita, at infinita non poſſunt ſciri. ergo nec de particularibus erit ars: quoniam & ars verſatur circa theoremata vniuerſalia. quare hoc erit verum, quod non intelligit de particularibus, quia ſunt infinita, & immenſa. nūquid de quibuſdam? non, quoniam ſi ita, ars iſta imperfecta eſſet. Nam in libro ad Traſibulum de optima ſecta, dicit oportere artificem omnia theoremata ſpectantia ad ar-

tem

tem habere, quæ ducunt eum ad finem huius artis. Si verò non habuerit illa, non potest esse bonus artifex. Ideo non est scientia ars diminutè, & imperfectè; imò omnia sunt habenda integra. ergo non debemus deficere in aliquo. si nec quorundam medicina est, intelligendum est, quod est de qualibus. Intelligit autem Gale. per qualia ipsa vniuersalia nunc, & ipse in lib. ad Tironem de pulsibus in capite de causis pulsuum dicit, & cum non possumus cognoscere causas particulares pulsuum, & differentias ex particularibus facimus quædam theoremata vniuersalia, & communia. nam cum habuerimus vniuersalia, ex his accedemus ad particularia, & per analogismũ faciemus theoremata, & ipsam scientiam: declaro hæc: nam propter sanitatem inuenta est ars ista. Hippocrates, & Gale. & alii celeberrimi medici sæpe obseruauerunt principia artis, in quibus debemus, & nos speculari, vt verbi gratia viderũt, quod masculus est calidior fœmina ista, & alius, quã illa, & alius similiter, fecerunt ex particularibus his vnum theorema vniuersale, quod quilibet masculus sit calidior ipsa fœmina: postea viderunt vnum corpus corpulentum, & aliud simile esse, voluerunt illi medici referre talia corpora ad vnam

causam vniuersalem, & ad vnum theorema vniuersale, & dixerunt omne corpus humidum esse, si corpulentum, & illud erat humidum, & sic fecerunt vnam propositionem vniuersalem. similiter intelligatis de aliis: facto theoremate vniuersali postea accedebant ad particularia, & omnia cognoscebant componentes suum analogismum, qui est syllogismus dogmaticorum, vt omnis masculus est calidior fœmina, Socrates est masculus, ergo est calidior, quàm fœmina: maior propositio est vniuersalis, est minor deinde particularis, fitq; conclusio particularis. Vnde habetur in arte ipsa in particulari, quod prius habitum est in vniuersali conceptu. Quare cum non possumus habere particularia, confugimus tunc ad vniuersalia ipsa, & facimus analogismum, quemadmodum docuimus anno præterito, cum nec ex particularibus, nec ex quibusdam fit ars. scientia ergo est ex generalibus, id est, ex vniuersalibus ducitur tantum scientia: quoniam scientia versatur circa ea, quæ fiunt ex particularibus ipsis: vnde Aristote. in proœmio metaphysices bene dicebat, solam experientiam esse, quæ facit artem: experientia autem nihil aliud est, nisi memoria multorum particularium, quibus habitis postea fit vniuer-
sale

ſale theorema: ex quo theoremate poſt naſcitur ars: nam nihil aliud eſt ars, niſi collectio multorum theorematum habentium aliquem finem communem, quemadmodum dicit Gal. in libro de optima ſecta ad Traſibulũ. quare intellexit Gale. per quale vniuerſale ipſum, & ſic manifeſtum eſt, ſcientiam tantum conſtare ex vniuerſalibus. Atque dicat quiſpiam, quare per quale intellexit vniuerſale? Nam ſanè vidiſtis cũ dixit iſte, vel ille maſculus eſt calidior, quã fœmina, & quale eſt ipſum vniuerſale, quæ qualitas eſt in pluribus. patet ergo quare qualia dicantur vniuerſalia. Non dicit ergo de quibuſdã, nec de particularibus, ſed de qualibus tantum. His dictis videamus modo vnum errorem contra Halii ipſius Druſiani, fuit vnus Halii peritiſsimus inter omnes Arabes, licet barbarè loquatur, contra quem arguit Druſianus: nam Halii dicit hic, & bene, optimum eſſe nos habere hęc communia, & vniuerſalia, in quibus includuntur ipſa particularia, quemadmodũ facit etiam Gal. in ſuis libris de ſimplicibus medicinis, in quibus primis quinque continentur omnia ſimplicia in virtute cognita, ex quibus omnibus vniuerſalibus ibi datis omnia ſimplicia particularia habentur, & acquiruntur. Nam cum videret particu-

laria in infinitum, voluit dare illas regulas vniuersales, per quas omnia particularia haberentur, & si nunquam visa essent. Dicatis mihi quæso, quis ille, qui cognoscit, nec vnquam cognouit omnes species simplicium? Nemo quidem, nec Gal. nec Diosc. omnes cognouerunt species simpliciũ. Nam Dioscor. perstringit circiter quingenta simplicia: quorum plura sunt, quæ ignorantur, quàm quæ cognoscuntur. Vnde Gal. posuit bene regulas illas vniuersales, vt omnia cognoscerẽtur simplicia, & istud fuit summũ artificium Gal. itaq; etiam Hali. bene dixit hic: Drusianus autem contra ipsum inuehitur, & malè dicit, quia nõ intendit Gale. de speciebus, sed de particularibus simplicibus: dicit Drusianus species non cognosci posse: dico ego etiã species cognosci, quoniam intelligit Gal. de hoc camomello, & de illa specie lactucę, & de illa alia.

Deueniamus modo ad gradus quindecim, & incipiamus à corpore salubri. Salubritas autem in corpore triplici modo existit: sed ad literæ declarationem, opus est primum terminos intelligere, quid insalubre: habent enim necessariò cognosci nomina ista, quoniam ex his habitis omnia manifesta erunt. Nam salubre, & insalubre longè aliter dicuntur de corpore effectiuo,

nec in corpore indicatiuo ſalubritas, & inſalubritas ſunt, vt formæ, ſed vt quædam proprietates, & habent quandam potentiã ſanitatis, vel inſalubritatis: quãdo dicimus corpus ſuſceptiuum ſalubritatis, vel inſalubritatis intelligimus de ſalubritate, vel inſalubritate actu, & propriè non in potẽtia. ſed in corpore effectiuo, & indicatiuo dicimus quidem eſſe ſanitatem effectiuam, vel inſalubritatem non actu, ſed potentia tantum: non enim eſt forma ſanitas. ſic dicitur in corpore indicatiuo, quia ſanitas non eſt forma, nec actus, ſed proprietas; & potentia proxima declinans ad ſanitatem. ſic dicitur de inſalubritate, at in corpore ſuſceptiuo ſanitatis, vel inſalubritatis intelligitur de forma ſanitatis, à qua forma fiat actu ſanitas. Hoc ſumpto oportet primũ ſcire, quid ſit corpus ſalubre, deinde cauſas ſanitatis effectiuas, prætereà & ſigna ſalubria. Nam non oportet cõfundere iſta nomina, ſed omnia diſtinctè cognoſcere, & oportet etiã ſcire quid ſit ſalubritas in corpore humano. vnde notate quomodo ſalubritas ipſa intelligi debeat, quoniam ſalubritas & ſanum dici, vel eſſe ſunt duo diſtincta, & differunt inter ſe: aliud eſt enim eſſe ſanum, & aliud, quod habet actu ſanitatem, quæ eſt ſymmetria, à qua proueniunt omnes ope-

rationes naturales, quemadmodum habetur in primo de differentiis febrium, & in libro de tuenda ſanitate: habet nanq; proportionem in ſimplicibus, ac in compoſitione. Hæc autem ſanitas quocũque modo ſit in corpore, ſiue ſit pura, vel ſimpliciter bona, ſiue culpata, tale corpus, in quo eſt, dicitur ſanum. ſalubre autem dicit aliquid aliud vltra actum ipſum ſanitatis: nam per ſalubre non tantùm intelligimus id, quod eſt actu ſanum, ſed etiam præter illum actum ſanitatis diſpoſitionem naturalem ſuorum principiorum ſanorum, & ideò ſalubre non tantùm dicitur actu ſanum, ſed etiam habet actus diſpoſitionem naturalẽ à principio generationis inſitam, ita vt ſalubre non tantùm actu ſanum, ſed etiã diſpoſitionem habet, & diſpoſitum eſt naturaliter ad futuram ſanitatem ſemper, & ad habendam validam ſanitatem. Quare habetis quid per ſanũ intelligi debeat, & quid per ſalubre: quoniam ſalubre eſt, quod non ſolùm actu ſanitatem habet, ſed & diſpoſitionem in ſuis principiis ad ſanitatem. ſanum verò quod habet actu ſanitatem inhærẽtem ſine aliqua diſpoſitione. at de ægro, & de inſalubri dicatur oppoſito modo: nã ægrum dicitur, quod habet actũ ægritudinem tantum: inſalubre autem ſe habet in

plus,

plus,& eſt quod etiam hanc ægritudinem habet actu,& diſpoſitiones omnes à natiuitate ad ægritudinem, ita vt nunquam poſſit eſſe ſanum. Quare inſalubre non tantùm habebit actu ægritudinem, ſed ſemper erit habiturum ipſam ob malam diſpoſitionem internã à natiuitate ſua, quare iam patet, quid ſit ſanum corpus, & quid ſalubre,& quid ægrum, & quid inſalubre: quibus habitis omnia erunt clara. Neutra verò, quæ ſunt media, pòſt declarabimus,& per ſe de ipſis dicemus, quoniam nolo miſcere caput capiti: nam & Gale. de his neutris in fine huius primi libri ſeparatim tractat. quare nunc habeatis quid ſit ſalubre,& quid ſit inſalubre abſolutè dictum, & quid ſanum,& quid ægrum. ſalubritas ſimpliciter dicta fit ab ipſa natura, & eſt perfecta in ſuis principiis,& hæc non fit à medico, ſed ab arte, quæ ſi deperditur nunquam recuperari poteſt aliquo modo. quod autem ipſa ſalubritas non poſsit refici ab aliqua arte: patet, quoniam ars iſta dicitur reparatiua,& refectiua.& ideo ſalubritas tantummodo eſt à propria natura abſolutè, & ſic ſanitas, vel ſalubritas non tantùm dicitur de actu, ſed etiam habet diſpoſitionem naturalem in ſuis principiis intimis, & quia hæc ſalubritas habet gradus plurimos,&

latitudines, quæ sunt infinitæ, & quæ non possunt haberi per scientiam, nec alio modo, ideò Galen. optimè deducit latitudines has ad quædam vniuersalia, incipiendo à primo vsque ad vltimum alterum, quod non est pertransire: quia si vltimo fieret resolutio, nõ amplius diceretur sanitas, cum ergo salubritas habeat tot latitudines, Galen. non tantùm deducit ad tres gradus, vt patet, quorum vnus dicitur simpliciter talis, & semper talis absque diminutione aliqua, imò talis sanitas in nullo deficit, & est vt forma illa Polycleti, cui nunquam potuit comparari aliquis homo viuus: sic itaque est simplex, & absoluta sanitas in mente Galeni de corpore humano simpliciter sano, non quod inuenitur, & ista quidé habet differentias, & latitudines, sed sunt innominatæ. prætereà est secundus gradus salubritatis, qui dicitur, vt plurimum, quod erat primum salubre simpliciter dictum: non enim est amplius, vt semper salubre, quia quod semper est idem, non variatur; at istud variatur, & ei aduenit diminutio aliqua: & ideo dicitur salubre vt plurimum, quoniam gradus secundus habet latitudines, & gradus etiamsi occultos. prætereà est gradus tertius, qui prouenit à secundo gradu salubritatis, & iste tertius gra

gradus ſalubritatis dicitur, vt nunc ſalubritas, & iſti gradus talem habent diminutionem ab illo primo gradu, vt faciant magnum detrimentum. & ideo dicitur ſalubre vt nunc, ſic etiam ſalubritas dicitur ſecundum quid pro illo tempore, pro quo ſibi conſtans eſt aliquo modo: & iſta eſt fixa, ſed non ſicut duo primi gradus, quia non habent ſua principia permanētia, & fixa, & licet dicatur, iſte gradus ſalubritatis, tamen ex quacunq; leui, & minima cauſa decidet ab illo vltimo gradu ſanitatis; ſicut qui habent aliquem exceſſum, vt intemperatura caliditatis, vel frigiditatis, vel ſiccitatis, &c. aut deficiunt in compoſitione, quemadmodum patet in tabulis per gradus tres: habet quoque ſuos gradus, & ſuas latitudines occultas, & nomine carentes, quas ſi pertranſiret, non eſſet amplius ſalubritas vt nunc. & Gal. in libro illo an ars tuendæ ſanitatis, ſpectet ad medicum, an ad gymnaſticum. dicit duplicem ſanitatem eſſe. vnam dici ſanitatem in habitu, vt ſunt corpora cholerica, vel pituitoſa: in cholericis eſt caliditas, & ſiccitas magna, hęc quidem dicuntur ſana vt nunc. in ſe ſanitas ipſa eſt valida, in reſpectu verò aliorum graduū, vt priorum eſt valde debilis; vt ſi quis ſit palidus, macer. ipſe enim exercet operationes ſuas, &

coibit,

coibit,& ſaltabit,& comedet bene, non tamen ita validè, vt alij iſta itaque dicitur ſanitas in habitu, id eſt, κατὰ ἕξιν. eſt & alia ſalubritas non in habitu, ſed in habitudine, & eſt ſecunda iſta, & dicitur ſalubritas κατὰ σχέσιν, vltra quem terminum ſalubritatis non ſtat ipſa ſanitas: amplius & ſanum vt nunc: & iſti tales ſunt ita debiles, vt vix videantur poſſe ſtare erecti: currunt quidem, & exercentur, ſed ſunt in toto genere ita debiles. quod quidem neutrum videtur tantum diſtare à neutro in vno gradu, & eſt ferè idem, vel eſt idem, ita vt poſſet etiam vocari neutrum decidentiæ. & quod diximus de ſalubri, idem etiam dicamus de inſalubri, & videbitis in tabulis. habetis itaque ſalubritatem in ſummo: duo autem in hoc ſunt gradus ſibi oppoſiti vt ſimplex, & vt nunc: non enim poteſtis habere alios: medium verò dicitur ſalubre vt multum. vnde non poteſt eſſe ſanitas, niſi ſit ſalubritas, quæ eſt habitus, & ſymmetria quædam, à qua fit ipſa ſanitas. Quæritur modo cum ſanum corpus non poſsit eſſe ſine ſalubritate in propria ſua perfectione, quæ eſt quędam forma, an poteſt ſalubritas ſtare ſine ſanitate, à qua ſalubritate naſcitur, & pendet ipſa ſanitas? ſic vbi eſt ſalubritas, ibi etiam ſanitas. vnde apud Græcos
ὑγιεί

ὑγιεινὸς ἀπὸ τοῦ ὑγιαίνειν dicitur ſalubre,& eſt ſicut de corpore luminoſo, quod dum non poteſt ſtare,nec eſſe ſine luce,ſic nec corpus igneum ſine calore, quia non diuiditur ab igneo calore. vt nec corpus luminoſum ſeparatur à luce, ſic ſanitas ipſa ab illa temperie ſeu ſalubritate ita dependet, vt non poſsit ſtare ſine illa: vnde corpus ſalubre dicitur, quod habet actu ſanitatem. ſi verò capiamus ſalubritatem pro quadam potentia receptiua, nõ quod ſit actu,ſed quod ſit iam receptiuum ſanitatis, vt verbi gratia, ſit corpus ægrotans, quod vt à medico, aut à natura iam ſit in confinio ad ipſam ſanitatem, & habeat ſymmetriam, quæ ſit parata ad ſanitatem immediatè ſuſcipiendam,& iam iam ſit futurum ſanum,& habeat hoc certum, tunc tale corpus dicitur ſalubre, quoniam habet diſpoſitionem vltimam cum ſanitate:tamen melius eſt, vt dicamus tale corpus ſanabile, quàm ſalubre, vt oſtendemus in tabulis, quoniam ſanabilitas dicit potentiam paſsiuã, ſalubritas potentiã actiuam, & formã & habitum, à quo immediatè dicitur ſanitas. quare iam patuit differentia inter ſalubre, & inſalubre: nam ſalubre habet actu ſanitatem.

CAPVT. IIII.

CERTVM eſt eo modo, quo oppoſitum vnum ſe habet, ſic ſe habere aliud oppoſitum: at ſalubre, vt dictum eſt ſuperius, tripliciter ſumebatur vt ſemper, vt multũ, vt nũc: ergo & inſalubre dicetur etiam tripliciter, vt ſemper vt multum, vt nunc. ſed notate, dixi corpus inſalubre vt ſemper eſſe corpus, quod actu, & potentia tale eſt, ita, vt inſalubre appellatur corpus vel in temperatura, & in ſimplicibus, vel in compoſitione, vel in vnoquoque in actu, & potentia: quoniam in ipſa intẽperie non poteſt ſtare ſanitas, & tale corpus eſt actu ægrũ. Quare dico inſalubre eſſe actu, ac potentia habens ægritudinem: nam cum eo eſt mala intemperies, ideo nec poteſt ſecũ ſanitas eſſe. ſicut enim ſalubre eſt cum optima ſanitate, quia eſt cum bona temperie: ſic etiam inſalubre eſt cum ægritudine ſemper, quia eſt cũ mala intemperie: & ſicut de ſalubri dicitur, quod nullam habeat diſpoſitionẽ ad morbum, ſic etiam de inſalubri dicemus, quod nullam habeat diſpoſitionẽ ad ſanitatem: eodémq; modo dicemus inſalubre vt plurimum correſpondere ſalubri vt plurimũ. Nam ſemper opponuntur iſti gradus: inſalubre habet plurimam malam diſpoſitionem,

nem,non tamen ita malam,vt insalubre vt nunc: propterea insalubre vt nunc dicitur illud, cui opponitur salubre vt nũc:insalubre vt nunc est,quod habet corpus dispositum ad morbũ,non tamẽ ita,vt duo prima insalubria. simpliciter insalubre,& vt multum siue sit ita dispositũ in tẽperatura, siue in compositione,siue in solutione cõtinui, non tamen ita habet insalubre fixũ, vt non posset optimè tolli, & reduci ab arte ad sanitatem,& fieri sanũ.videtis ergo,quod tres sunt gradus insalubritatis: ac etiã salubritatis. nã quot gradus habet ipsum salubre, tot etiam habet insalubre:insalubre simpliciter,vel semper habet ita malã dispositionem, vt in eo nõ sit sanitas, nec esse posit: deinde est insalubre vt plurimũ,quod correspondet salubri vt multũ;deinde vt nunc insalubre,quod opponitur salubri vt nunc: cum sic opponãtur,ideo salubre,& insalubre erunt duo opposita vera. At hic non est simulanda vna res, quoniam feci diuisionẽ hanc tantum modo propter vtilitatem vestram.Audiatis modo,quid intelligat Gal. in hoc lib.& est notandũ valde,cũ sit vobis perutile ad hãc artem: nunquam enim discedam ab ipso Gal. & si quãdoque videar aliter procedere, quia ex eo habemus tãtã hoc in libro esse intricationem circa latitudinem

tudinem de insalubritate, vt dederit occasionem multis recentibus errãdi. Nã nemo horum est, qui rectè dicat, & quot ipsi fuerunt, tot eorum fuerunt variæ sententiæ: res quidem est in se facilis, & ex parte sui bene perceptibilis: at ex parte istorum dicẽtium difficilis, quoniam nemo circa eam rectè dixit. Gal. in capite 13. μικροτεχνῆς expressè posuit alium ordinẽ 15. graduum latitudinis sanitatis, & diuersum à nostro, quẽ ponimus: non enim sic procedit, vt nos, quem non imitamur: quare autẽ non imiter illũ, videbitis: dabo enim figuras, cũ ibi erimus. prius itaq; de istis, deinde faciã sermonem de neutris, ne confundamus: ista opinio fuit Gale in capite 13. huius vbi loquitur de signis optimæ constitutionis. duo sunt extrema vnum bonum, aliud malũ: bonum extremum est salubre, & est salubre simpliciter: & in hoc sumus cõcordes cũ ipso: aliud verò extremum est insalubre vt nunc, quod habeat actu morbum ipsum, sic Gale. distinguit formaliter hæc duo extrema: alia vero sunt media inter hæc duo extrema: sunt enim omnia intermedia boni, & mali. sunt deinde alij gradus accedentes ad salubritatem vt nunc: deinde duo alij accedentes ad insalubritatem vt nunc: deinde sunt duo alij, & sunt duo neutra, quæ sunt

vere

verè media, quæ accedunt ad ſalubritatem vt nunc, & ad inſalubritatem vt nunc. inſalubre autẽ vt nunc eſt, quod eſt actu ęgrum ſecundum Gal. ſalubre eſt optime ſanum, quod ad optimè ſanum accedit, vocatur ſalubre vt plurimum. deinde eſt ſalubre vt nunc: & ſic habetis tres gradus ſalubritatis. ex alia parte ſunt & totidem gradus inſalubritatis, prius eſt inſalubre ſimpliciter, quod habet diſpoſitionem pręparatam, & aptam valde ad morbum ſuſcipiendũ, & hoc quoniam & cauſæ ſunt pronæ ad morbum, quę tamen adhuc non habent morbum: eſt ſecundus gradus inſalubritatis non ita inſalubre, vt primus, ſed declinans aliquo modo à ſalubritate, & dicitur inſalubre ſecundum multum: eſt & tertius gradus inſalubritatis, qui dicitur inſalubre vt nunc, & eſt quando actu ægrotat. in medio modo ſunt neutra omnia ſiue per abnegationem extremorum, ſiue per participationem extremorum, ſiue per ſucceſsionem; nunc ſupponatis omnia iſta neutra eſſe propter oppoſitionem extremorum, quæ omnia diuiduntur in tres modos, vt vnuſquiſque horum modorum habeat tres gradus. Vnde erunt nouem, poſteà addantur ſex primi gradus, & fiant 15. Hæc eſt expoſitio Gale. hoc in loco. præterea eſt expoſitio noſtra,

quæ eſt etiam Gale. quæ multæ adhuc ſatis ſunt bene expoſitæ: ſed antequam ad media neutra accedamus, dicamus duo verba de latitudine ſanitatis, & ordine. iſtæ autem latitudines ſanitatis habent diuerſos gradus, & hoc vt ſciamus inuenire varias cauſas, vel conſeruantes, vel adiuuantes ſiue facientes morbum: ſi ſint facientes ægritudinem, hæc eſt intentio, vt poſsimus inuenire ſanitatem applicando remedia: ſi non adeſt, conſeruamus: quando enim latitudo ſanitatis inuenta eſt, vt inquit Gale. tertio, nono, & decimo Therapeutices ſemper debemus applicare remedia debitis gradibus. Debemus enim ſcire proportionem, & gradus lapſus, vt debita poſsimus applicare remedia. oportet ergo habere hos gradus: quod ſi ita eſt, vt quidem eſt, videbitis modo, quænám inſcriptio horum ſit melior, & magis neceſſaria, an quæ facta eſt à me, an illa Galeni? Vnde dico opus eſſe aliter diuidere, quàm fecerit Galen. diuidendo latitudinem. nam ipſe ponit duo extrema ſalubre ſimpliciter, & inſalubre vt nunc, quæ ſunt maximè contraria apud ipſum, quod & in noſtra diuiſione eſt: ſed in noſtra adhuc diuidimus ſanitatem: nanq; alia eſt in habitu, alia eſt in habitudine. vnde in noſtra habebitis omnes

latitud

latitudines sanitatis vsque ad neutrum ipsum. postea Gale. loquitur de insalubri, & ponit insalubre vt nunc, quod est indiuisibile. Diuidit enim ipse tātummodo vnum oppositarum, aliud verò non. Sed ego modo peto à Gale. ipso; quo modo curabimus illam ægritudinem, quam ponit in extremo, non ponendo gradus ipsius insalubritatis? equidem poterimus nos sanitatem, dum adest conseruare, cum habeamus gradus sanitatis, at dum aberit sanitas, & eam voluerimus recuperare, & morbum expellere, non poterimus, quoniam Gale. dimittit ipsum terminum insalubritatis extremum indistinctum. non poterimus ergo habere latitudinem, & gradus insalubritatis: quia Galene dicis tantummodo insalubre, vt nunc actu ægrotare, nonne habet & hoc salubre, suos gradus? Videtur enim insalubre vt nunc habere tot gradus, quot & salubre: si dicas hoc non esse falsum, tibi contradicis, quoniam inde videtur in morborum principio, vbi discutit gradus sanitatis, & ægritudinis affirmare vnam sanitatem simplicem, quæ optima est, & optimi habitus: alia etiam sanitas est, & est secunda, quæ & ipsa est bona, non tamen optima vt prima, & talis dicitur sanitas vt plurimum: est & tertia sanitas, quæ habet

etiam ſanitatem, ſed non vt prima, nec vt ſecunda, tamen habet actu ſanitatem, & nuncupatur ſanitas vt nunc: quarto loco affert alia corpora eſſe ſana, quæ tametſi actu ſana ſunt, tamen ſunt propinqua ægritudini: & in libro an ars tuendæ ſanitatis pertinet ad medicum, dicit talem ſanitatem in habitudine eſſe, & in propinquitate. & in libro de tuenda ſanitate, & alibi etiam de hac agit, quam nos proponimus hic. Iam patet ibi per Gale. prima latitudo, quæ eſt ſanitas. deinde Gale. in libro de differentiis morborum, dicit latitudinem morborum, & quoſdam eſſe morbos mortales, quoſdam minus mortales, tamẽ non eſſe in eodem gradu omnes, cum quidam ſint vehementiſsimi, alij medij, alij mites. ponit itaque ibi gradus inſalubritatis, quemadmodũ facit de ſanitate, ideo patent ibi gradus oppoſitorũ. At in hoc libro tantummodo ponit latitudinem de ſalubritate diſtinctiſsimè, de ægritudinibus autem non loquitur clarè, ſed bene loco allegato: vnde ſequitur nos nõ poſſe hic applicare, niſi cauſas conſeruantes, & nõ curãtes. Hæc autem eſt vna ratio, quare in corporibus inſalubribus loco hoc noluerim' imitari Gal. eligite modo vos diuiſionẽ, quam vultis: habetis iam, quid ſit inſalubre ſecundum

dum Gale. & quid ſecundum noſtram ſen- tentiam. Notate etiam diſtinctionem fa- ctam per Gal. que videtur eſſe ſuperuacua, quoniam membra ſuæ diſtinctionis coin- cidunt: ponit enim Gal. tres gradus ſalubri tatis, primũ vt ſemper, ſecundum vt mul- tum, tertium vt nunc. qui tertius gradus ac- cedit ad morbũ, & inquit primum eſſe ſa- lubre ſimpliciter: poſtea ponit inſalubre ſimpliciter, quod quidem tametſi eſt ſanũ, tamen habet cauſas diſpoſitas ad ægritudi- nem. Vnde videtur hoc, quod dicitur ſalu- bre ſimpliciter, & quod vocatur ſanum vt nunc ſint idem, & non diuerſa. ergo eorum eadem eſſentia: vnde nõ eſt mirũ, ſi Draſia- nus errauit in hoc dicẽs, quod ſunt idẽ iſta duo: ſicq; dicẽdo multa erit differentia in- ter inſalubre ſimpliciter, & ſalubre vt nũc: quia ſi ſalubre vt nũc eſt corpus diſtẽpera- tum habẽs aliquas diſpoſitiones ad ęgritu- dinẽ, & etiã inſalubre ſimpliciter ſit illud, quod quidẽ ſanũ ſit, tamen & ipſum habet cauſas diſpoſitas ad morbum; erunt idem, quod eſt abſurdũ valde. præterea Gale. po- nit aliam coincidentiam ſanitatis, & eſt in ſalubre vt nunc, & ſalubre in habitu. inſalu bre vt nunc eſt, quod deficit à ſalubritate in aptitudine: nihil variatur, niſi nomina ipſa. Voco enim ſalubre in habitu, quod Gale.

vocat ſimpliciter: voco inſalubre vt nunc, quod eſt in aptitudine. Non enim videntur diſtare ſecundum Galenum iſta: ergo erunt idem. Nunc habetis tabulas Galeni quæ ſic ſe habent, oſtendam loco ſuo, & eſt in ſecundo lib. cur ſic dixerit Galen. hic excuſabo eum, quia coactus fuit à cauſa debita, eligatis modo opinionem aut Gale. aut meam, quam etiam ex Galeno ſumpſi, ſolummodo differo ab ipſo in latitudine corporum inſalubrium. Videtis me ponere latitudinem ſanitatis, & ægritudinis; ſed Gal. hic nõ bene diuiſit latitudinẽ ægritudinis.

CAPVT. V.

NVNC modo antequam declaremus verba, videamus quæ ſint intermedia inter neutra corpora, quæ ſecundum aliquos ſunt difficillima; quæ ſunt tamen facillima. quæ autem ſunt hæc media neutra corpora, vt bene inquit Gal. ſunt verè media, & exquiſitè media inter duo extrema: ponitque vnum, quod non eſt fugiendum, & eſt in ſexto capite huius libri, vbi cum fa ceret diuiſionem latitudinis, & ægritudinis poſuit illa duo extrema ſalubre, & inſalubre: neutra verò poſuit in medio, & rectè. primo ponit ſalubre ſimpliciter ſummum bonum,

bonum, & hoc eſt primum extremũ, aliud extremum eſt inſalubre vt nunc ſummum malum: vnde in hoc ſibi contradicit, dum dicit ſalubre ſimpliciter eſſe ſummum bonum, & inſalubre vt nunc ſummum malũ. Neutra autem in medio ſalubritatis, & inſalubritatis, quoniam ſunt minus diſtempe rata, quàm inſalubria: vnde recentes vident hoc dictum hic, & quod dicit in lib. de tuenda ſan. neutra eſſe media inter ægritudinem, & ſanitatem primum ponit ſalubria, deinde neutra, tum inſalubria, quoniam dicit omnia neutra eſſe minus diſtemperata, quàm inſalubria: ſed inſalubre per Gal. excepto illo inſalubri, vt nũc, ſanum eſt: quia dicit inſalubria ſana eſſe, & neutra erunt ſa na, & notabiliter ſana. ergo Gale. ſibi contradicit, vt dicimus, quia hic primo ponit ſalubria, ſecundo neutra, tertio inſalubria. Alibi verò dicit inſalubria eſſe ſana: ergo, & neutra, & ſic ſe confundit, modo iſta extrema fient varia, & ipſa neutra erunt varia, quę erunt etiã ſana. Neutrum eſt, quod ponit æqualiter diſtantiam à morbo, & à ſani tate. In medio igitur erunt ipſa neutra: hoc autem medium inter extrema eſt triplex: primum, quando tale medium eſt inter ſanum, & ægrum, ita vt non ſit plus ſanum, quàm ægrum: vnde oportet ſcire quod ſani

tas & morbus ſecundum medicos diſtinguntur penes ſenſum & ſic non dabuntur neutra., ſed dantur tantummodo ratione ſubiectorum,cum ſanitas à medicis diſtinguatur à morbo ſecundum ſenſum, dum videmus alium exercere operationes ſuas ſenſibiliter,tunc dicimus illum eſſe ſanum:ſin autē malè exerceat operationes, ita vt ſint læſæ,tunc aderit ægritudo : quoniam ſecundum ſenſum ipſum tantummodo dimetiuntur ſanitas,& morbus, ſenſuſque tantum habet indicare hoc. Inquit Gal. ſi quis haberet mille febres, modo bene ageret ſuas operationes,& ſine læſione, tale corpus erit ſanum:quia mouetur ſecundū operationes ſuas ſenſibiliter, & non ſecundum rationem. ſtante hoc dico neutrum illud, quoties corpus ita ſe habet,vt ſenſus iudicet operationes ſuas non eſſe læſas, & ſint ſanæ:quoties verò corpus ita ſe habebit,vt non poſsimus iudicare ſenſu ipſo circa operationes eius,an ſit ſanum,an verò ægrum, tale corpus dicitur neutrum,quod erit in cōfinio vtriuſque extremi, & tale corpus tripliciter capitur. Primum dicitur neutrum per abnegationem extremorum:quod verò dicitur neutrum, non eſt nec ſanum, nec ægrum,ſed eſt in medio horum duorū exquiſitiſsimè:quantum enim recedit à ſalu-

bri

bri tale neutrum, ab insalubri etiam tantũ discedet: quia vnumquodque horum habet 15. gradus, deinde neutrum dicitur tale per participationem amborum extremorum, vt puta quotienscunque in vno membro, vel in pluribus est diuersitas, siue in temperatura, siue in compositione, cum in vnoquoque membro est temperatura, & compositio, & vnio: potest enim contingere in membro, vt compositio eius sit mala; temperatura autem bona: siue compositio sit bona, temperatura verò mala, tunc tale mẽbrum non potest esse sanum, nec neutrum primo modo: non dicam, nec ægrum, quoniam neutrum corpus ponitur in latitudine ægritudinis. Diceretur enim ægrum, quando impediretur eius operatio. quare dicitur membrum, vt brachium secundum temperaturam esse sanum, secundum verò compositionem labitur, non tamen absolutè lapsum esse, nec etiam bene exercere suas operationes, vt deberet, vel secundum temperaturam sit ægrum, secundum verò compositionem sanum dicatur hoc membrum neutrum secundo modo per participationem extremorum, quoniam vel habet compositionem bonã, temperaturam verò malam, vel compositionem malam, at temperaturã bonam, & sanam, non tamen sanum

est, nec ægrum: sunt enim eius operationes mediæ, non sanæ, nec ægræ. potest etiã esse secundum temperaturam neutrum tantũ, vt vel secundum caliditatem, vel frigiditatem &c. potest enim etiam esse bona temperies in prima copulatione in calido & sic co: mala autem in frigido & humido, vel contra in diuersis quoque membris neutralitas potest esse secundi modi: nam potest esse membrum vnum sanum, aliud verò ægrum, vt si quis secundum cor bene operetur, & secundum cerebrum, tamen hepar sit distemperatum, vt ita ambigat, non quod sit ægrum, sed quod omnes eius operationes in hepate sint, tamen aliquo modo læsæ, & diminutæ: non ægrum quia, vt diximus, nullo modo neutrum cadit in latitudinem ægritudinis: neque verò repugnat in ipsis partibus esse contrarietatem temperaturarum: at in membro vno quidem hoc repugnat ratione temperaturæ. Neutrum verò tertio modo dicitur per alternam successionem vtriusque extremi: nam accidit quandoque corpus fieri neutrum ratione ætatum, vt verbi gratia, quando fuerit puer, semper erit sanũ, dum verò deuenit ad adolescentiam fit distemperatum tale corpus, & fit neutrum, non tamen quod adhuc sit ægrum, sed habet temperaturam dispositã

ad

ad ægritudinem,& imbecillitatem. Quod autem dicimus de ætatibus eſſe neutrum, idem dicatur etiam de tēporibus,vt hiems ſit talis,non bene operationes ſuas exercēs: æſtate autē optimè,ita vt in hieme eſt neutrum,non ægrum,in æſtate ſanum, quemadmodum me habeo:nam ęſtate longe melius valeo,quàm hieme.iſta ergo erunt corpora neutra, quæ corpora neutra omnia ſunt citra morbum. vnde neutrum primo modo per abnegationem extremorum nō eſt nec plane ſanum,nec plane ægrum , ſed ambigitur in toto corpore:ſecundo modo dicitur neutrum per participationem extremorum,vt in membro aliquo, vel pluribus ſit temperatura bona;compoſitio autē eius mala:& contra compoſitio bona,temperatura mala.tertio nuncupatur neutrum per alternam ſucceſsionem aut in ætatibus,aut in temporibus diuerſis : in ætatibus in vna erit ſanum,vt in pueritia,in altera erit neutrum diſpoſitum ad omnes iniurias. Ideo iam habetis ſalubre capi tripliciter, & ſic inſalubre,& quid ſit neutrū triplici modo ſumptum,patet.Itaque hunc in modum totam latitudinem ſanitatis,inſalubritatis,& neutralitatis,& veras tabulas , quæ ſunt etiā ipſius Galen.deinde habetis illas Galen.& meas: ſecundum mentem ipſius , & ſi non

hic,tamen alibi. Nunc modo deest, vt ad textum accedamus: sed in primis videnda est vna quæstio,vtrum inter ægritudinem, & sanitatem detur medium nec ne? nam Aristot.vult non dari,Gale.fatetur dari medium.hæc est vna fabula,& est æquiuocatio in hoc:nam quando intelligitis ægritudinem,aut sanitatem,vt formam,tunc non datur medium cum formæ sint indiuisibiles:non enim recipiunt diuisionem,nec magis & minus,nec mediũ aliquod:sed si medium dabitur,hoc erit ratione subiectorũ, quoniam subiecta erunt illa, quæ varias recipiunt diuisiones,& magis,& minus:& hoc est dicere,vt de corpore luminoso:quod quidem semper idem est secundum suam formam,tamen vario modo recipit suum lumen:sic est dicendum de corpore,quod idẽ est secundum suam formam,tamen corpus tale, quia est susceptibile sanitatis, vario modo suscipit eam sanitatẽ, Gale. aũt non considerat sanitatem,nec ægritudinem,nisi secundũ sensum,& sic variatur in ipsis subiectis sensibiliter: Aristot. autem considerat sanitatem, & ægritudinem secundũ formam,sicque non datur medium inter sanitatem,& morbum.Quare non datur neutrum:si sanitas summatur, vel ægritudo in subiectis existens, tunc sanitas habet immensas

mensas latitudines,& morbus, sicque datur mediũ,vel neutrũ:& sic Gale. considerauit secundum operationes,& sensus,non secundum formã,sed vt sunt in subiectis, in quibus sunt differẽtiæ,& latitudines: vnde ego dico dari medium,& corpus neutrum inter ægritudinem,& sanitatẽ,vt habetur in primo de tuenda sanitate:primum ratione ętatum,& subiectorum,& operationũ,& temporũ,quæ operationes sunt diuersæ tam in membris similaribus,quàm in dissimilaribus.nam nullus est homo,qui habeat sanitatẽ,vt alius.operationes enim vel sequuntur sanitatem,vel ægritudinem,prout se habent.sicut enim quis cytharœdus, quando aptat cytharam,vt fiat bonus cõcentus, credit ipse verum se habere,bonumque conceptum,quia eam sic aptauit,tamen si audierit alium cytharœdum meliorẽ,tũc & ipse melius,quàm prius accommodare conabitur suam.vnde dico sicut illi concentus habent suas latitudines,& hoc est verũ de musica sic dico de sanitate:omnes enim sanitates sunt bonæ in se,tamen vna dicitur melior altera,ita vt dum deuenimus à summo gradu sanitatis vsque ad infimum extremũ, tunc est mediũ, quod potest dici neutrũ secundum operationem, & secundum sensum, non autem secundum formam, quæ

de

de se est indiuisibilis,& de hac intellexit Aristo. quando vult non dari medium inter sanitatem,& ægritudinem.

Medicina est scientia salubrium, insalubrium,& neutrorum &c. ista definitio medicinæ est extra lineas omnes, vt patet: salubre enim, insalubre,& neutrum vnūquodque horum tripliciter sumitur. efficientiū causarum,& conseruantium &c. Hæc sunt in prima linea: signorum indicantium, hęc sunt in secunda linea: corporum suscipientium &c. hæc in tertia, quę corpora diuidūtur. primum autem incipimus ab vno, nimirum à medio, vbi existāt corpora suscipientia,& cætera. corpora autem suscipientia diuiduntur: nam aut sunt salubria, aut insalubria,& iam deuenimus ad secundam partē tertiæ lineæ, quæ est in tabula: namque salubria sunt in parte superiori: insalubria in parte inferiori. neutra verò sunt in medio, quæ omnia habent suscipere sanitatem formaliter: veniamus modo ad primum mēbrū, quod est salubre, & dicitur dupliciter, & hęc est tertia linea ibi, vel dicitur salubre simpliciter, vel vt nunc. Notate licet dicatur simpliciter, non tamen est sumendum, quod terminus iste nō diuidatur: hoc enim simpliciter vt semper, vt multum, vt semper dicit. nam apud Galenum ipsum simpliciter

pliciter sana vario modo sunt: nam dicuntur & hic inægrotabilia, alio modo vix ægrotabilia, vt duplicia sint, & distincta: non enim dicit, quæ non possunt ægrotare, sed quæ vix possunt, & rarò ægrotant: & hoc est quemadmodum de indiuisibili, in quinto metaphy. vbi indiuisibile capitur etiã pro eo, quod diuidi potest, sed vix diuidi potest. sic ergo dicit hic de ægrotabili, quod bene potest ægrotare, sed vix & rarò ægrotat. ista enim corpora vsque ad vltimum perdurant in sanitate, sed rarò corpora ista inueniuntur, & sunt, sicuti diximus, quemadmodum figura Polycleti, vt scribitur à Gale. in primo de temperaturis, & in primo de tuenda sanitate, & in libro de bona corporis habitudine, quod in regionibus temperatis possent inueniri ista corpora: at in regionibus intemperatis, vt est Aethiopia, Germania non possunt esse, hoc etiam modo appellauit Galenus talia corpora simplicia in libro, an ars tuendæ sanitatis pertineat ad medicum, an ad gymnasticum, & talia corpora habent bonum habitum in summo, propterea quòd sunt simpliciter talia, & hæc rarò inueniuntur, & si inueniuntur, sunt, & prædicantur verè tantum in regionibus temperatis, licet rarò inueniantur, vt dixi: aut nunquam, & ra-

rò reperiantur: probat quia sunt, vt regula Polycleti, qui fecit hominis figurā adeò perfectam, & pulchram, vt esset regula, & idea, & idioma omnium aliarum adeo, vt nunquam aliquis homo viuus, nec pictus potuit ad eam peruenire in perfectione, quemadmodum & de libris Oratoris Tullii nullus fuit, nec erit orator, qui assimiletur illi libro. Deinde dicit, vt multum &c. veluti sunt vix ægrotabilia, & euectica ista talia corpora sana, vt multum sunt quidem valde sana, tamen declinant à sanitate simpliciter, & dicuntur euectica, nō dicit amplius simpliciter sana, sed quod tantum habent bonum habitum tam in temperatura, quā in cōpositione. salubre vt nunc, diuidit hūc terminum aut in habitu, aut in habitudine: & hæc diuisio habetur apud Galen. in libro an ars tuendæ sanitatis ad medicum pertineat. hos enim sic diuisimus. eo quia aliter corpora sana in habitudine curabuntur, aliter si fuerint in habitu sana tantum, vt videbimus. vt nunc in habitu &c. iam deciderūt corpora ista ab alia simplici sanitate, sunt quidem sana, sed nunc tantum pro hoc tempore: est enim limitatio ista secūdum quid sanitatis, quemadmodum si dicerem tu es probus vir nunc, & non simpliciter: sic dicuntur corpora salubria vt nunc, quæ sunt

sana

ſana quidem in actu, & in his excedit vel caliditas,vel frigiditas, vel humiditas, vel ſiccitas:poſſunt autem complicari,vt quod excedat caliditas & humiditas, ſimpliciter caliditas & ſiccitas,frigiditas & humiditas, frigiditas & ſiccitas.ſcire debetis Galen.in ſecundo de temperamentis,ſeu temperaturis ponere ſeptem intemperies,quæ ſunt ſanæ vt nunc in habitu,quoniam excedunt aut in calido,aut in frigido, aut in humido,aut in ſicco,aut in calido & humido,vel in calido & ſicco, vel in frigido & humido,vel in frigido & ſicco:& ponit tantummodo vnam ſimplicem ibi Gale.ſine aliquo exceſſu,vt fortè nemo hic noſtrũ adeſt,qui ſit ſanus ſimpliciter,imò quiſque vel excedit in caliditate,vel in frigiditate, vel in humiditate,vel excedit duabus qualitatibus ſimul miſtis in vna quatuor complicationum,vt in calido & humido,iſta corpora ſunt ſana, vt nunc, quæ ferè ſemper vobis occurrũt,vel habitu ſalubria in compoſitione. eadem eſt ratio de corporibus ſalubribus vt nunc in compoſitione, vt etiã in temperatura : in compoſitione autem ſunt quatuor formæ,ſitus,numerus,& qualitas.in formatione autem ſunt alia, & eſt quadruplex dimenſio:poteſt enim peccatum eſſe in figura,vt ſit caput nimis oblon-

gum, vel nasus, vel nimis breuis, tunc non esset debita figura; potest etiam peccatum esse in superficie, vel quod sit nimis læuis, vel nimis aspera: vel erit peccatum in cauitatibus, vt si membra, quæ debent habere cauitates, careant ipsis, vt est de vola manus. nam manus sine cauitatibus nihil poterit exercere, & sic peccabit: vel est peccatum in viis, & in meatibus, quemadmodum sunt venæ, & arteriæ, in quibus etiam generantur humores: quotiescunque autem non fuerint humores in his, erit peccatum: aut est peccatũ in compositione, ratione quantitatis vel magis, vel minus, vt quia membrum sit magnum, quod debeat esse paruum, vel contra: vel peccat compositio in situ, vt membrum quod debeat esse sursum in parte superiori corporis, sit in inferiori: vel est peccatum in compositione ratione numeri, vt si numerus abundet, vt in manu sint sex digiti, hæc omnia sunt in tabula nostra, & clara in secunda tabula. eadem est itaque ratio in compositione, & in temperatura vt nunc, in habitudine & vt nunc est quærenda, & est proxima ægritudini: nam tendit ad neutrum, & concidit cum neutro decidentiæ, ideóque hanc tacuit Gale. nec de ea fecit mentionem, tamen aliquomodo distat ab ipso neutro tali, ista est tota lati-

tudo

tudo ſalubritatis,quæ continet quindecim gradus neutrorum, veniamus modo ad diſpoſitiones medias inter duo extrema inter ſalubritatem,& inſalubritatem: ſalubre habet tres gradus vt ſemper, vt multum,& vt nunc: ſic & inſalubre habet tres gradus alios. tres itaque ab vno latere,& tres ab alio. quod autem eſt in medio horum extremorum, eſt exquiſitè medium,& eſt ipſum corpus neutrum. ideo bene dicit Galen. neutra corpora ſunt exquiſitè media inter ſalubritatem,& inſalubritatem, vt ſicut poſui, ſalubre ſimpliciter,& vt multum, & vt nunc. Deinde diuiſimus in habitum,& habitudinem: vnde erunt quatuor, ſic erit & corpus neutrum in vnoquoque membro, & modo. ſunt ergo neutra iſta: neutrorum alia per abnegationem extremorum, alia per participationem extremorum , & alia per alternam ſucceſsionem: neutra per abnegationem extremorum, quæ ſunt? ſunt quando quis non eſt ſanus, nec æger, & ſuas operationes non bene exercet, ſed obſcurè, tamen nec apparent læſæ: & iſti tales neſciunt dicere ipſi quid habeant: ambulant, nec habent morbum , tamen ſentiunt ſe aliquo modo læſos,& dicunt neſcire, quid habeant, iſta talia corpora dicuntur neutra : ambulant quidem , ſed iamiam ſunt

casura,& dicuntur neutra corpora deciden tiæ,& primo modo:abnegant enim ambo extrema quoad sensum,& quoad operationes.istud ergo dicitur neutrum primo modo per abnegationem extremorũ, eo quia non est sanus,nec est æger, & istud membrum,vt simpliciter,vt semper, vel vt multum vt semper vel simpliciter, quod idem est,vocatur tale,quod in omnibus ætatibus sit perpetuò tale: circa tamen ægritudinem:sunt enim semper talia in quacunque ætate ab ortu suo vsque ad mortem,viuunt infœliciter,non habent sanitatem, nec habent ægritudinem,sunt semper pallidi,macidi:ideò dicuntur neutra simpliciter, quæ semper sunt huiusmodi. neutra verò per abnegationem,vt multum,nõ semper sunt sicut neutra simpliciter,sed in maiori parte suæ vitæ:sic se habent:nam quandoque mutantur.neutra autem per abnegationẽ vt nunc sunt talia,vt longius distent:differunt tantum secundum gradum imperceptibilem,& potius sunt diuisiones rationabiles;non enim percipiunt isto modo.neutrum per abnegationem vt nunc diuiditur & habitu, & habitudine:habitu neutrum, vt sunt corpora senum,& hominum per aliquod aliud notabile tempus imbecillia nõ sunt ita,vt iam cadant:sed sunt ita stan-
tes

tes in illa ætate, vt decrepiti, vt per ſex mã-
ſes dicuntur ſic neutra. neutra verò per ob-
negationem, vt nunc in habitudine iſta ta-
lia non poſſunt permanere, ſed citò labun-
tur, & cadunt: & hæc appellãtur neutra re-
cedentia. vel à ſanitate, vel à morbo: & hæc
neutra decidentia aut conualeſcentia. neu-
tra conualeſcentia, vt ſi quiſpiam fuerit ſa-
natus à medico, tamen ſit ita debilis, vt nõ
poſsit ſtare corpus, tale dicitur neutrum
conualeſcentiæ. ſunt autem neutra deciden
tia, quia labuntur, & cadunt ad morbum
ab ipſa ſanitate: nam decidunt ab vno ad
aliud, nimirum à ſanitate ad ægritudinem:
quia ſi neutra hæc cadũt à ſanitate ad mor
bum, dicuntur decidentia: ſi à morbo ad ſa
nitatem dicuntur neutrum conualeſcentię.
Neutra per participationem vtriuſque ex-
tremi, quæ ſunt iſta, participant de vtroque
extremorum, vt quando quis eſt ſanus in
vna parte, in alia verò ſit neutrum. neque
dicatis, vt dicunt iſti, neutrum per partici-
pationem eſſe in vna parte ſanum, in alia
verò ægrum, hoc enim eſt valde ridiculũ,
imò neutralitas eſt omnino intra latitudi-
nem ſanitatis, & ſi hoc alioquin verum eſ-
ſet, nullus fieret morbus, in quo non coin-
cideret ipſa neutralitas, vt in febribus ar-
dentibus ſecundum operationes eſſet ſa-

num, in membro verò ægrotaret: operationes enim essent bonæ secundum mentem istorum: sic de laborante cancro in tibia, operationes essent sanæ, membrum autem ægrum, quod non est dicendum vllo modo. Sed illud dicitur neutrum secundo modo per participationem, quod habet membrum vnum optimè sanum, vt cerebrum: in cætero autem corpore sit neutrum, non ægrum, vt quod cor sit frigidũ, & imbecille, ita vt non possunt loqui, quia si in corpore fuerit vnum membrum debile, & imbecille, aliud verò sanum, & bonum, tale corpus erit neutrum per participationem. TEMPERATVRAM, HABITVM BONVM, COMPOSITIONEM VERO MALAM &c. Potest autem esse istud neutrum, quod habet temperaturam bonam, in compositione sit neutrum, vt quod crura habeat tota, tamen temperatura sit optima, potest autem esse compositio sana, temperatura verò mala, siue modo temperatura sit bona, compositio mala, vel contra, hoc potest esse dupliciter aut in toto, vel in parte, aut in partibus: aut enim cõpositio est tota sana, aut tantum in parte, sic de tẽperatura, aut quod erit tota bona, aut solum modo eius partes, vt sit neutralitas, non morbus: sic dicitur neutrum per

per participationem isto modo: neutrum siue in toto, siue in parte, non in partibus aut sunt ita simpliciter, aut vt nunc: si simpliciter aut vt semper, aut vt multum: semper talia, quæ in omni ætate talia perseuerent, vt multum quasi semper, idest, in maiori parte ætatum vt nunc. neutra per participationem quæ sunt: sunt ea, quæ sunt sana, tamẽ ob aliquam occasionem sunt neutra siue habitu, siue habitudine, vt per potum aquæ frigidę hepar sit frigidum, & imbecillæ: non enim ægrotat, sed est imbecille pro hoc tempore, & non in maiori parte corporis: quia esset tunc neutrum vt multum: sed tantum in parte vna, in membro vno, vt in hepate. quare tale corpus sic dispositum dicitur neutrum, vt nunc per participationem extremorum, & dicitur neutrum secũdi modi. Neutrum per alternam successionem vtriusque extremi, vel respectu, vel ætate, vel ratione temporis partiũ: ratione tantum: vt si in vna ætate sint sana, in altera verò non: vt si quis in pueritia fuerit semper sanus, robustus, in adolescentia verò imbecillis, vel contra, quod in pueritia semper ægrotauerit; in iuuentute autem semper fuerit bene dispositus: istud neutrũ tertio modo ratione ætatum est: nõ autem debet dici æger. Vnde qui cadit in epile-

psiam, non debet vocari neutrum, sed in plus se habet, quàm neutrum: vel ratione temperaturarũ anni, vt si quis æstate robustus sit, in hyeme verò imbecillis, aut contra: & quod dico de vna parte, & de vna ætate, idem intelligatis de cunctis ætatibus, & de qualibet anni parte id est, de omnibus temporibus; quia neutrum tertio modo erit per alternam succesſionem vtriusq; vel respectu ætatum, vel respectu temporum anni: vt ille dicitur robustus in æstate, tamen quia fuerit in tempore frigido in frigore, post illud tempus semper læditur, faciliúsque ita post annum fiunt neutra tertii modi per succesſionẽ ipsius temporis præteriti frigidi: iam trãsacto anno participat frigidum, & facilè homines cadunt in imbecillitatem captam ab illa parte anni frigida. quare tãtummodo dicuntur ista neutra, vt nunc. ego in hyeme sum neutrum simpliciter, & hoc mutare non possum, quoniã habeo hoc à natiuitate, & ista neutra tam ratione ætatum, quàm ratione temporũ, aut sunt simpliciter talia, vel vt multum, aut vt nunc: si vt nunc vel habitu, vel habitudine: propterea quòd ob aliquam occasionem taliter affecta sint. est modo & tertium membrum in tabula insalubrium, quæ insalubria sunt triplicia, vel simpliciter

ter insalubria: si sic aut semper, aut vt multum, vt semper sunt corpora insalubria cachoetica in summo tam in temperatura, quàm in compositione, & in vtroq; simul. RARO QVIDEM &c. Talia enim corpora non possunt curari siue sint à natiuitate talia, vel ob alias causas, vt si sit hepar, vel cor affectum, quæ sunt membra principalia. non enim possunt curari, nisi per restaurationem virtutis, quæ fit in corde, & in mẽbris principalibus, quæ iam sunt deperdita. Ideò non possunt curari, quoniam talia sunt à natiuitate. Vnde in his vel in toto est insalubritas in summo, vel in mẽbris principalibus, & dicuntur cachoetica in summo, quibus corpora euectica opponuntur in summo: quæ sunt simpliciter salubria, & inægrotabilia, tam in compositione, quàm in tẽperatura. ista igitur corpora insalubria siue cachoetica, si continget fieri talia, aut ob malam rationẽ victus, siue sint talia à natiuitate, non possunt sanari, vt simpliciter rarò fit in his sanitas, quæ dicuntur cachoetica, sic in his, quæ euectica dicuntur, rarò accidit insalubritas simpliciter. quod rarò illa nascuntur, apparet: nam aut fit aborsus, aut si nascuntur, parum viuunt, sic ferè sunt cachoetica, vt multum, quæ sunt vix sanabilia tam in tẽperatura, quàm

in compoſitione:& iſta etiam contingunt aut naſci, aut fieri talia ob aliquam cauſam:accipiunt quidem hęc curationem,ſed vix ſalubria vt nunc, quæ ſunt ita aut ſunt habitu,aut habitudine, iſta omnia habent ægritudinem,non tamen in membris principalibus. Et ſicut corpora ſanabilia,vt nũc ſunt ſæpe,ſic iſta inſalubria vt nunc per ſe, ſi accidunt non poſſunt curari,niſi à medico,ſi ſint in habitu in compoſitione, in temperatura,& in vtroq;,& à medico ipſo curantur, ſi pereunt, inueniuntnr ab aliqua cauſa,& culpa.ægra verò in habitudine,hæc facile curantur,& accedunt ad neutralitatem conualeſcentiæ,& gradu tãtum differunt ab illis.ſi iſte finis medicinæ eſt ſanitas,ſiue re non adeſt,oportet vt ſanitas reſtauretur:ſi autem adeſt,debet conſeruari,quoniam ſanitas inſiſtit in corpore bene diſpoſito;ideò quando curamus corpus aliquod, curamus, quia intendimus inducere ſanitatem,vt de coloratione,quæ ſi nõ adeſt,volumus inducere eam:non enim verſamur circa alia ſubiecta,nõ circa ſtatuam ligneam,ſed tantum circa corpora humana ratione ipſius ſanitatis, qua intentione habita ſtatim ceſſat operatio noſtra circa corpus, & non amplius ſumus medici tunc,quia ſanitas in corpore noſtro dupli-

citer conſideratur,vel adeſt, vel non adeſt. Vnde fiunt in medicina arte duæ partes diſtinctę:ſi adeſt ſanitas,fit per eam pars medicinæ quædam conſeruatiua:ſi adeſt mor bus non ſanitas,fit pars medica,quæ dicitur Therapeutica,ſiue curatiua:quod patet in ſecunda tabula,quam nunc aggredior.Medicinæ partes præcipuæ eſſentiales à fine proprio deſumptæ ſunt duæ, altera verſatur circa ſalubritatem, de tuenda ſanitate, quoniam adeſt:altera verò circa curationem.Notate,gradus ſanitatis eſſe 15.quorum tres tantum pertinent ad partem curatiuam,duodecim verò ſpectant ad partem de tuenda ſanitate id eſt ad conſeruatiuã:nam habemus tantum 15.in toto conſeruare,vt dixi habet duodecim,quorũ tres ſunt ſalubritatis:nouem neutralitatis, tres alios habet curator ſalubritatis, ergo tuetur ſanitatem. Vide hoc in ſecunda linea ſecundæ figuræ,vel enim tuetur ſanitatem conſeruando, vel corrigendo, vel reſtaurando,vel præſeruando:corrigendo quod non eſt bonum,reparando deperditum:ſic enim iſta pars conſeruatiua facit quatuor partes, à quibus etiam producuntur quatuor fines diſtincti: vel enim ſeruamus, vel corrigimus,vel reſtauramus,vel præſeruamus:quos quidem gradus ſeruamus,

vt ſa

vt ſalubritatem ſimpliciter, id eſt, corpora euectica, & optimum habitum habentia. ſimpliciter enim ſeruantia tantum debentur his, in quibus debet ſeruari bonus habitus, neque decidant ab illo, & hoc pertinet tantum ad ſalubritatem tuendæ ſanitatis, & nuncupatur ab effectu euectica pars à Græcis. nam Gymnaſtica etiam poteſt dici, & hoc conuenit ad defendẽdum corpus ab offenſis in robuſtate ſeruando illum bonum habitum, & optimum, ſic dicit Gale. gymnaſtæ pertinent ad medicum conſeruantem optimum habitum : habitus nunc Athletarũ eſt malus in ſua habitudine propter nimiam repletionem. dicit ergo Gale. gymnaſticam, quę ſeruat bonum habitum corporis vel ſeruat bonum habitum, & eſt ſalubris corporis, vt multum, & vocatur à Græcis ἐυεκτικὴς, vel ſeruatur habitus tantum, & dicitur pars conſeruatiua habitus tantum, & hęc pars debetur corpori ſalubri vt nunc, quia ſeruamus corpus, vel vt ſemper, vel vt multum, vel vt nunc ſalubre.

Nihil vtilius eſt medico, quàm temperaturam cognoſcere : nam & hoc perſæpe vobis occurret in conſultationibus, quod hoc corpus eſt talis, vel talis temperaturæ: iſta ſunt amplexanda prę cæteris, cum ſunt ſummè neceſſaria. Debetis itaque iſta vni-

uersalia, semper vobiscum habere, vt possitis deinde exercere vos circa particularia, quę reducuntur ad ipsam praxim, ita vt nō poteritis esse medici, nisi hoc scieritis. Quare isti gradus dispositionum valde faciunt ad rem nostram, & ad praxim, ita vt absque eis operari nequeamus. Verū quoniam dicit Gale. se pertractaturum hoc libro, hæc in summa inquit, quod postea in libris particularibus diffusius aget de his. si vultis habere, quæ dedimus in prima tabula, in qua sunt 15. gradus sanitatis, videatis librum de elementis, & de temperaturis, vbi per diexodon, id est, per explicationem breuem loquitur, & agit de his, vt de tota fabrica humana, ibi omnia habebitis & scietis, quænám sit bona temperatura, & quæ bona compositio, & quæ bona structura, de quibus quoque videbitis in libro de vsu partium, vbi primo habetis summam horum, deinde in particulari ibi, & sic non confusè versabimini in arte habenda: sunt tantum capita de his hic, postea, in libris particularibus particulariter, & diffusè de his ipsismet tractabit. est modo secunda tabula, in qua debemus videre, quibus vsui sit, & quare ipsa latitudo dispositionum ordinata, & posita sit, in quibús vt ordinata. Dico quod, vt scitis, quindecim

habet

habet gradus dispositionis, qui sunt, vt curemus corpus, & remoueamus ipsos, aut vt tueamur. Sanitas quidem est tuenda, morbus verò est curandus. Ideo quæ sunt sana conseruare conamur, quæ non sunt ægra, sed natura præseruamus: morbum autem ipsum curamus, & corpora insalubria, & quoniam ars curatiua versatur circa corpora insalubria, & morbum. Illa omnia egent curatione: circa quæ curatio versatur: & quoniam, vt dixi, suprà erunt quindecim gradus in tota latitudine, si tria attribuuntur tantum parti curatiuæ: ideo remanebunt duodecim pro parte de tuenda sanitate, quæ pars est varia, & varios scopos habet: nam sunt nouem gradus corporum neutrorum, sunt & deinde tres alij gradus salubritatis. si enim debet medicus versari circa hos gradus omnes, habebit varios fines, quoniam sanitas non est æqualis: nam vna est simplex, alia vt multum, alia vt nunc. Tuetur autem medicus sanitatem, dum adest, quoniam tunc tantum quærit, vt seruetur: aut curamus sanitatem, dum non adest, vel restauramus eam, vt sit in corporibus neutris, primi modi tātum; aut præseruamus vt neutra, quæ iamiam sunt casura. Quare quatuor medicus pōt facere prout sanitas adest, vel abest vel casura est:

eſt: pro quo autem videatis libros tuendæ ſanitatis, an ars tuendæ ſanitatis attineat ad medicum, in quo libro exiſtunt, quæ faciunt ad rem huius libri, & eſt pulcherrimus liber. aut itaque ſeruat medicus ſanitatem, aut corrigit, aut reſtaurat, aut præſeruat: ſeruamus corpora, quę habent optimam ſanitatem, quæ optima ſanitas dicitur ſimplex, & nullo pacto eſt querula, & vitiata. Et ideo ſalubritas ſimpliciter nullo modo eſt relinquenda: ſeruamus etiam ſanitatem vt multum, quæ nec eſt relinquenda, ſeruamus ſanitatem quoque vt nunc, quæ nec omittenda: tamen tantummodo ſalubritas ſimplex, & ſanitas, vt multum propriè ſeruatur. Tertia diſpoſitio horum trium, quæ eſt ſanitas vt nunc, duos habet ſcopos, quoniam quandoque in his ſalubritatibus, vt nunc vtimur tantum ſeruatione, verbi gratia, quando aliqui, qui conſeruantur in ſua ſanitate, & volunt medici ad meliorem habitum rulinquere, tunc tantum conſeruatione vtuntur: eſt modo in ſanitate vt nunc etiam alius ſcopus, & eſt correctio, vt ſi aliquis habeat ſanitatem vt nunc, & ea non contentus ſit, ſed velit reduci ad quandam temperiem meliorem, tunc emendare oportet illam ſanitatem, quam habet, & ſic fit tunc correctio: at-

que

que dicitur correctiua hæc pars, quoniam emendat meliorem dispositionem. restant adhuc duæ partes sanitatis tuendæ, vna con seruatiua absolutè, quæ habet conseruare corpora simplicia, & simpliciter sana, & sa na vt multũ absolutè: altera pars corpora sana vt nũc, quæ etiam quandoque seruantur tantum, sicque volunt ipsi, quia quandoque volunt sani vt nunc illam sanitatem mutare in meliorem dispositionẽ. & ideo nunc nascitur correctiua per se, vt quando quis est calidæ & siccæ temperaturæ, & est sanus vt nunc, tamen vult non contentus ea reduci ad meliorem temperaturam, & ista ars, quæ facit, & reducit ad bonum habitum dicitur à Galen. gymnastica: facit enim corpora robusta, quam laudat magnoperè: athletas autem vituperat, vt bonũ habitum destruentes, & est salubritas, vel enim conseruator seruat bonum habitum, qui est vt multum habitum tantum, vel ha bitum tantum seruat, & est sanitas vt nunc, quos sanos vt nunc ferè semper seruamus, & hoc est genus in sanitate, eo quia multa sunt corpora talia, vt nunc sana. Habetis autem extra omnes lineas in tabula vnum præceptum, & est tale: hæc omnia seruantur cum similitudinibus extremis, quæ inferius &c. Quando enim facimus conser-

uationem, vtimur tantum conseruantibus, & nullo modo modo alteramus, nec interius, nec exterius; sed tantum seruamus. ista omnia manifesta sunt in tabula. corrigendo tantum salubria vt nunc &c. Hæc est secunda pars correctiua, & non attinet, nisi ad corpora salubria in habitu vt nunc tantum, correctio fit, quando aliquis est in bono habitu, sed meliorē sanitatem quærit, vt fiat optimè sanus, & simpliciter, & in linea recta, quod non possumus bene exprimere, corrigere eum, vt reducatur ad optimum habitum, quia hæc pars tantum dicitur correctiua salubritatis vt nūc in habitu: nam homo est distemperatus, vel in temperatura, vbi excesserit, vel in compositione, vbi excesserit, aut defecerit: in temperatura si excesserit, idq; si excesserint qualitates simplices caliditas, humiditas, frigitas, & siccitas: vel complicatæ, vt caliditas & humiditas simul, caliditas & siccitas, frigiditas & humiditas, frigiditas & siccitas: & tunc dicuntur intemperata corpora: vel fit correctio in cōpositione, vbi excesserit, quę compositio quatuor habet partes aut in formatione, & hoc pro pueris tenellis valde facit, quando in partu pertractantur ab obstetricibus: nam si fuerit infans cum membro aliquo obliquo, tunc est officium ob-

ſtetricis, vt illud dirigat ad ſuam naturalem compoſitionem: aut eſt correctio in compoſitione, in formatione, ſiue in figura fit in corporibus tenuibus, vt infantibus: aut fit correctio in cõpoſitione in ſuperficie, & iſta pars dicitur correctiua, vt quando quis habeat cutem aſperam in facie, & vult eam fieri lęuẽ dicitur correctio in compoſitione in ſuperficie: & dicebat Gale. licet hæc pars non ſit propria medico, nec illi conueniat, tamen eam concedit propter nobiles viros: & mulieres, & affert multum lucri, aut in meatibus etiam fit correctio: nam quando eſt vitiũ in meatibus, vt qui non appareant: vel ſint nimis anguſti, vel nimis lati: vbi enim peccauerint meatus aliquo modo, ſunt corrigẽdi. fit etiã correctio in compoſitione ratione meatuũ, tamẽ oportet ſcire compoſitionem horũ quatuor figuræ ſimplicis, meatuum, & cauitatis nõ eſſe ita læſam, vt producat morbum: quoniam ei nõ debetur correctio, ſed curatio: ſic dicẽdum de cauitatibus in corpore: ſi cauitates non ſint, vbi debent eſſe, vel deficiant, faciunt deformationẽ corporis, ſicut ſi in vola manus non eſſet concauitas, malè poſſet corrigi hoc vitium, niſi in pueris tenuioribus: ſic ſi eſſet nimia cõcauitas, & hæc pars correctiua in formatione appellatur, eſtque

prima

prima pars formalis correctionis in compoſitione magnitudinis. ſecunda pars eſt magnitudo maioris, vel minoris quantitatis; quãdo membrum eſt paruum in quantitate, & oportet illud facere magnum, vel contra, & hæc tantum poſſunt fieri in corpore tenui, & ego video multos facere canes paruos, dum ſunt teneri includẽdo eos in aliquo vaſe: & quæ ſunt curua, poſſunt reduci ad debitam menſuram cum frictionibus, & ſylla. & ſi aliquod membrum fuerit ante, quod tamen debeat eſſe poſterius: ſi deorſum, quod debeat eſſe ſurſum, in numero ſiue abundet, vel deficiat numerus, vt de numero digitorum in manu, vel in pede, vt ſi ſunt ſex digiti, aut tantum quatuor, iſtæ ſunt omnes correctiones. non enim in his eſt ægritudo, ſed tantum egemus correctione, vel poteſt fieri cum abundat, vel deficit, & iſta fieri poteſt in teneris corporibus. correctio autem fit cum cõtrariis, & in hoc aſsimilatur curationi, & ratio eſt, quia remouemus, quod præſens eſt, ideóque adhibentur cõtraria: patet enim facere motum, & alterationẽ, ſi volumus tolere, quod adeſt tanquam malum. reſtaurando etiã, tertia pars vocatur reſtauratio, & reſumptiua, & hæc debetur corporibus neutris primi modi, quæ neutra ſunt in habitudine con-

ualeſcentiæ,vt patet in prima tabula.Nam ibi vidimus,quod alia erant neutra per abnegationem habitudine recedentia à ſanitate,& iſta erant neutra decidentia:alia verò quę recedebant à morbo.talia aũt dicun tur neutra conualeſcentiæ, quoniam fiunt poſt ſana,vt corpora,quę laborauerũt morbo, & redacta ſunt à medico ad neutralitatem, vix tunc poſſunt moueri propter neutralitatem morbi præcedentis, tamen non amplius ægrotant, nec adhuc habent ſanitatem,ſed ſunt neutra primi modi in habitudine recedentia ad conualeſcẽtiam: deeſt enim illis tantum robur. ideo egemus in his tantum reſtauratione: nõ enim iſta ſeruantur,nec corriguntur,ſed reſtaurãtur tantum, quia tantummodo volumus nutrire talia corpora,vt fiat ſanguis,& robur,quod conuenit neutris conualeſcentibus recedentibus à morbo. reſtaurandum autem eſt cum familiaribus: reſtauratio enim fieri debet cum familiaribus, & non contrariis naturæ, non cum ſimilibus, neque verò ſatis eſt habere æquè calidum, ſed oportet habere conuenientia cum corpore in ſubſtantia præſeruando quæcunque ſunt caſura proximè: hæc eſt vltima pars tuendæ ſanitatis, quæ eſt pars corporum, quæ præſeruantur:verſatur enim hęc pars circa ea corpora,

pora, quæ citò caſura ſunt. vtimur præſeruatione in omnibus neutris primi modi, prẹterquam in neutris primi modi vt nunc conualeſcentiæ, quæ pars Græcè nuncupatur προφυλακτική. ſalubria quidem ſeruamus, neutra verò conualeſcentiæ reſtauramus. præſeruamus corpora neutra venientia ad caſum habitus, & habent magnum periculum, ne iamiam decidant in morbum, ſunt omnia neutra primi modi, & iſta præſeruantur, præterquam neutra vt nunc conualeſcentiæ primi modi, quæ reſtaurantur. ſunt itaque quatuor partes tuendæ ſanitatis, vel ſeruamus, vel corrigimus, vel reſtauramus, vel præſeruamus. loquimur nunc de corporibus neutris omnibus primo modo, præter quàm de neutris primi modi conualeſcentiæ, quæ reſtaurantur, & hæc quidẽ pars prophilactica, dicitur id eſt, prẹſeruatiua. notandum prẹſeruationis opus non eſſe ſimplex opus: non enim eſt opus ſimplex tantum, ſemper eſt miſtũ cum curatione, licet capiat talem denominationem præſeruationis. nam curatio in his latet, præſeruatio autem nũquam latet, vt pertinet ad neutrum primi modi in operando: ergo pro eo quod ſeruamus in præſeruatione eſt quid, quod eſt contrarium diſpoſitioni in membro, quod eſt ſanum vt ſit

aliquid, quod ſeruari debet præterea eſt quid, quod debet curari, ideo patet præſeruationem non eſſe ex toto ſimplicem, quoniam habet quid de curatione: ſunt ergo quatuor partes medicinæ tuendæ ſanitatis ſimplicis ſeruando ſimul, & præſeruando. Hæc autem attinent ad neutrum ſecundi modi, & tertii: nam in his ſeruamus, & præſeruamus ſimul ſecundum aliquam partē, iſta neutra per participationem vtriuſque extremi, & neutra per aliquam ſucceſsionē vtriuſque ſunt ſana abſolutè, & ratione huius partis ſanitatis indicant, vt ſeruentur: ſecundum verò aliquam partem iſta neutra ſunt neutra, non dico ægra, quia ſic dicere eſt falſum, vt ſuprà oſtēdimus, ſed ſunt neutra ſecundi, vel tertii modi, imbecillia, & parata quidem ad ægritudinem. Vnde ratione huius partis egent, vt prǫſeruētur, ne incurrant in morbū, & ſic iſta neutra ſecundi, & tertii modi debent ſeruari ſimul, & præſeruari. Seruamus enim, quod eſt ſimpliciter ſanum, etiā neutrum ſimpliciter, quod eſt primi modi ſimpliciter præſeruamus, & iſta neutra per participationem extremorum, & per alternam ſucceſsionem, quia participant de extremis, non ſunt vt neutra primi modi, ideo ſeruantur, & præſeruantur, ſimul neutra ſecundi modi. Et ideo di-

cit esse partim sanum, partim neutrum, vel vt semper, vt multum, & nunc seruando in his semper partem, qua sanum, præseruando partem, qua neutrũ est. Seruamus ergo omnia corpora salubria, præterquam corpora salubria vt nunc. Neutra verò secundi, & tertii modi, seruamus simul, & præseruamus. NEVTRVM TERTII MODI &c. Hæc etiam neutra, vt iam dictum est, attinent ad conseruationem simul, & præseruationem: salubria etiam vt nunc corrigimus. quare iam patent omnes dispositiones corporum salubrium, & neutrorum, à quibus gradibus manifestæ etiam sunt partes de tuenda sanitate, quæ sunt prorsus quinque, quatuor simplices, & vna mista, siue cõplicata, quæ est vltima. ET NVNC CAPITVR &c. Notate quod quando dicemus neutra secundi, & tertii modi, vt nũc si intelligeremus vt nũc in puncto, hoc esset falsum, & manifestum est, si in vna parte est sanum in tempore, ergo & in alia erit neutrum, etiam in tempore non in puncto, aliter dicendo, hoc modo non potest stare curatiua indiuisibilis græcè θεραπευτική: hæc pars non diuiditur, quemadmodũ alię sed est indiuisibilis. quare sic dicitur indiuisibilis, nonne habet latitudinem ægritudo? maximè: non enim indiuisibilis dicitur,

quia non ſint plures ægritudines, ſunt quidem plurimæ; ſed non habent nomina iſti gradus. In parte curatiua eſt tantum vnus finis; quoniam ſemper dicimur curare morbum, quicunque morbus ſit in gradu: Ideo cum tantum modo curamus, ſemper dicitur curare, nominibus ſunt tamen diſtinctæ ægritudines in gradu, vel dicitur indiuiſibilis reſpectu illius partis, quæ dicitur de tuenda ſanitate, quæ eſt quatuor graduum, vt dictum eſt. Notandum etiam &c. Hoc eſt facile, & dicit quare curatiua ſit indiuiſibilis, alia verò non. Finis primæ partis.

ALTERA PARS, ET CAP. VI.

TRACTATVRI de ſignis definiuimus ſuprà, quid eſſet ſignum; ſemper enim prius natura rei eſt cognoſcenda, ſi voluimus paſsiones, & affectus cognoſcere, dicebamusque ſignum eſſe accidens apparens in corpore, quo cognito deuenimus in cognitionem latentis in corpore. deinde diuiſimus ſigna ſecundum eſſentialem diuiſionem, & dicebamus hanc diuiſionem eſſe dupliciter, & neceſſariam: altera erat, quæ ſumitur à re indicante affectum, quæ diuiſio quãdo ſumitur à re indicante affectum, tunc in tali diuiſione tot erũt ſigna, quot & affectus

affectus tales, qui affectus ſunt ſecundum gradus quindecim. ſubſcriptio autem, quomodo poſſunt eſſe quindecim, nam eſt primum ſalubritas, vt ſimpliciter, vt multum, & vt nunc, ſic inſalubritas vt ſimpliciter, vt multum, & vt nunc: ſic de neutris, quæ ſunt in tribus modis, vt dictum eſt: ſunt enim quindecim gradus affectuum, ergo & tot erunt ſignorum gradus. & ſumitur à re indicata, à loco affecto, ſi verò ſumatur diuiſio à tempore, tunc triplex erit genus ſignorum, vnum eſt genus dignoſticum, ſeu indicatiuum, alterum genus prognoſticatiuum, tertium dicitur rememoratiuum, de his verò duobus vltimis generibus eſt paruus vſus, ideo nec de his hic eſt multus ſermo habendus. Nam alia ſigna rememoratiua faciunt tantummodo aliquam exiſtimationem, ad curationem verò minimè: ideo nec de his Gale. hic dicit, ſed tantummodo de ſignis præſentibus, vel indicantibus, & de futuris: ſed de futuris hic non tractat. Incipiamus ergo procedere modo ad hæc ſigna, & quemadmodum facit Galenus primo à præſentibus, ſeu indicatiuis, quæ indicant præſentem affectum, & in hoc capite, in quo agitur de ſignis indicantibus præſentem affectum, in primis dicemus: primò de ſignis indicantibus præ-

ſentem ſalubritatem, ſecundò de ſignis indicantibus præſentem inſalubritatem, tertiò de neutris præſentibus ſeruando ſemper ordinem Galeni circa hanc primam partem ſignorum ſalubrium indicantium pręſentem ſalubritatem. ſicut enim triplex eſt ſanitas, ſic etiam ſunt tria talia genera ſignorum. Nam alia indicant ſimplicem ſalubritatem, alia ſalubritatem vt multum, alia ſalubritatem vt nunc, & ſic explebimus hanc primam partem, quæ continet circiter ſeptuaginta quinque capita, in qua quidem parte, eo ordine procedemus, quem ſeruat Galenus & meliori etiam nos vtemur ordine, quàm fecit, & breuiter procedemus, tamen ita, vt omnia neceſſaria exponamus, & diſtincto modo. Itaque primùm proponemus ſigna ſalubria indicantia præſentem affectum, deinde inueniemus loca, & fontes ſignorum indicantium affectum particularium membrorũ, vniuſcuiuſque particulæ noſtri corporis, & ſic accedamus ad ſigna inuenienda primùm in vniuerſali, quibus habitis fontibus exercebimus: deinde vos in habendis ſignis vniuſcuiuſque membri, ita vt perfectè hũc librum habeatis hoc anno, tam ſigna vniuerſalia, quàm particularia exponendo, & facillimè. ad primum igitur ad inuenienda

loca

loca, & fontes ſignorum indicantium affectum totius corporis, dico Galen. in capite 13. huius libri proponere quatuor, vel potius tria loca, vt deueniamus in inueniendis ſalubribus, eo quia nos non loquimur de inſalubribus. quando autem poſteà loquemur de inſalubribus, alia fortè inueniemus loca, ſed nunc volumus primo cognitionem habere gradus ipſius ſanitatis, quoniam hoc neceſſarium eſt, quia ignoratis gradibus ſanitatis, nunquam poterimus ſcire gradus morbi, ex cognitione habitus deuenimus in cognitionem priuationis, quemadmodum anno elapſo dicebam in libro ad Glauconem. fontes itaque iſti ſunt tres, & primus ſecundum Galenum ſumitur ab eſſentia rei: videbimus autem quid intelligat Galenus per eſſentiam rei: ſecundus fons ſumitur ab operationibus: tertius verò ſumitur ab extrinſecus incidentibus: ſunt ergo ſecundum Galenum tres fontes, vel ab eſſentia rei, vel ab operationibus, quæ in genere ſunt quatuor, tertius ab his, quæ neceſſariò conſequuntur. ſecundum autem Galenum eſſentia rei eſt illud, quod eſſentialiter ineſt in humano corpore, vt verbi gratia, eſt corpus aliquod, & vultis videre vos per ſigna, an ſit ſanum, & temperatum, an patiatur vel

per

per caliditatem, vel frigiditatem: si videbitis in nulla harum qualitatum excedere, & nullum esse nocumentum in his, manifestum erit tale corpus in qualitatibus esse temperatum. quantum ad compositionem, quæ quatuor sub se continet partes, quæ si habuerint debitam figuram, superficiem conuenientem, cauitates debitas, vasaque etiam debita, siue meatus, tunc patebit secundum genus sanitatis, in compositione esse sanum. habet ergo primum genus sanitatis, quod est penes quatuor qualitates. deinde etiam esse sanum in compositione, & secundum compositionem: vt compositio in corpore sit conueniens, oportet magnitudinem esse conuenientem, & numerum, & in quantitate, & in situ, & in formatione: istæ sunt quatuor species compositionis, sic sic iudicabitis hoc corpus esse sanum, & secundum qualitates, & secundum compositionem, hæc sunt signa sumpta ab essentia rei. Dico vt dicit Galenus operationes vel esse ratione totius, vel partis: totius quando resultant à toto corpore, vt cum videtis hominem, in quo secundum operationes omnes omnia optimè fiant in animalibus operationibus, in vitalibus, & in naturalibus: in animalibus, vt si bene moueatur, bene memoretur, beneque imagi-

netur:in vitalibus & ad iracundiam, & ad ſeruandum animum in agendo:ſic ſi naturales operationes bene agent:ſi verò omnia iſta erunt bona, optimeque fiant, corpus erit temperatum.hoc itaque corpus indicatur ſic eſſe ab operationibus ipſis bonis, ab accidentibus generibus neceſſariò etiam cognoſcitur corpus, an ſit ſanum necne? ſciuntur enim neceſſariò,& primum excrementa, oportet enim corpus nutriri, ſi debet viuere,& ſic debent fieri etiam excrementa neceſſario, quoniam quod alit corpus, non eſt penitus, nec ex toto genere ſimile corpori: ſi autem pars neceſſaria debet aſsimilari, oportet quod fiant excrementa, quæ excernantur à corpore, quoniam in corpore ſunt excrementa membrorum ſeruantia illas quinque conditiones naturales. prima, vt corũ ſubſtantia ſit naturalis, ſecunda quantitas conueniens, tertia qualitas debita, quarta excernantur tempore debito, quinta & vltima, vt exeant per debita vaſa, tunc corpus habens excrementa talia erit ſanum, eo quia & ipſa ſunt naturalia, & ſana.prætereà ab accidentibus tam interioribus indicatur corpus ſanum, aut inſalubre: interiora accidentia ſunt, quæ ſequuntur neceſſariò, & ex temperatura fit moderatus calor temperatura in omnibus quatuor

tuor qualitatibus æqualibus non excedentibus. Vnde fiunt & colores boni, & mediocres in ſubſtantia: non enim fit color penitus rubeus, nec penitus albus, nec penitus niger, ſed mediocriter ſe habet, aliquantiſper albus, aliquantiſper rubeus, ſic de nigro, & ſic color qualis fuerit apparens in corpore, indicabit temperaturam ſingulorum membrorum, & eorum dominium, vt dicit Galenus in quarto de tuenda ſanitate, quæ tamen melius videbimus in particularibus. nam iſta ſunt vniuerſalia accidentia, quæ intus ſunt, vt primum apparét, & percipiuntur viſu. vt color, indicant corpora qualisnam ſint habitudinis: apparent etiam & alia quæ ſunt communia pluribus ſenſibus, vt numerus, quantitas &c. quæ conueniunt non ſolùm viſui, ſed aliis ſenſibus, vt ſi, quæ debent eſſe mollia, ſint mollia, & quæ debent eſſe dura, ſint dura. ſicut enim iſta apparent bona, ſic & temperatura corporis illius erit bona, circa quantitatem corporis corpus non debet eſſe ſummè magnum, nec adeo paruum, ſed omnia debet habere debita, & proportionata, & quam proportionem deinde ſequitur ipſa pulchritudo, & forma. Si itaque partes corporis fuerint bene coniunctæ, & connexæ, ſimul ſequitur pulchritudo, &
for

formositas,quæ nihil aliud est,nisi concinnitas partium se habentium rectè inuicem. ex hac igitur debita coniunctione partium oritur talis pulchritudo. quare facilè ex his potest haberi,quando corpus sit temperatum, quod est optimè sanum. quantum ad tactum si tangimus tale corpus,non est valde calidum, nec valde frigidum, nulla est in eo inæqualitas, sed est suauissimum in omnibus qualitatibus, quod in eo percipitur: si etiam hoc corpus habuerit excrementa aliqua, quæ possunt gustari, nihil præcipietur, nisi sapidum, & temperatum in omnibus. Dicebamus autem alia esse accidentia intrinseca, alia extrinseca,de illis dictum est, hæc verò sunt, quæ necessariò adueniunt corpori, vt est aër. si corpus fuerit temperatum, licet aër sit calidus, vel frigidus, vel humidus, vel siccus,semper tolerabit omnes aëris excessus. si nos vellemus quærere quæstiones, hic esset quæstio, an corpus calidum & humidum magis resistit aeri frigido, atque sicco, quàm corpus temperatum: & dicunt isti sic, sed decipiuntur, & hoc quoniam ignorant hanc optimam virtutem seu temperaturam, quænam sit,cum possit resistere omnibus contrarietatibus,& non cognoscunt potentiam præcipuè esse verè moderatam,

ratã, atque vim præcipuè resistentem in virtute, ex qua fiunt omnes operationes bonæ, omnes etiam actiones: omnes autem excessus peccant. vnde dico nullum corpus esse magis resistens, quàm corpus temperatum, quod non tantùm resistit, non est, quod sit æquale in omnibus, sed etiam quia habet virtutem validam, quæ omnia emendat, à qua virtute omnia oriuntur & bonę omnes operationes, vt dictum est, ideo corpus temperatum maximè resistit omnibus excessibus, & facillimè, hæc omnia sunt loca, vtilia inquam à quibus signa excernuntur. Dabimus tamen omnia particularia, & manifesta. Quare dicatis secundum Gale. hęc loca, & fontes signorum sumi ab essentia rei, & ab operationibus, & ab accidentibus, quæ necessariò consequuntur tam interius, quàm exterius: vidimus, quæ esset essentia, consideratis temperaturam, & compositionem corporis: deinde operationes; prætereà & accidentia, quæ sunt necessariò consecutiua: quorum prima erunt excrementa: deinde accidentia interna: præterea, & accidentia externa, vt aeris excessus, motus animi vehemẽs, excretiones redundantes, exercitia vehementia, venus immodica, crapula, & reliqua exterius aduenientia. Quare temperatum corpus facile resistit omnibus extrin

extrinſecis his,& quoniam ſumus tradituri tres ſalubritates,quarum vna eſt ſimpliciter dicta,de qua tantum ſigna diximus,alia eſt ſalubritas vt multum, alia vt nunc:ſed dicet quiſpiam,quæ ſunt ſigna de ſalubritate,vt multum,& vt nunc?ſunt eadem ferè ſigna,& parum declinãtà primis ſignis, quæ indicant bonum habitum,& optimũ, erúntque ipſa bona ſigna:nam ſi optima erit conſtitutio,ſic etiam eius operationes: ſi verò ſalubritas,& conſtitutio optima aliquantum declinabit,ſic etiam operatio eius,& ſic ſigna,& accidentia deficient aliquantulum,ita vt ſi deueneris ad gradum vltimum conſtitutionis,ſic fiet in operationibus,ſic accidentia deueniant ad vltimum gradum,quæ longè diſtabunt ab optimis ſignis,& ab optimis accidentibus,propterea quòd accidentia,& ſigna, & operationes ſecundum gradus ſuos habent varietatem temperaturæ indicare,temperatura autem variat corpus humanum, ſecundum ſuos gradus operationum,& calorum, & aliorum accidentium,omniúmq; exterius apparentium:optimum fiet indicium ſanitatis ipſius,hæc ſunt loca,vel fontes ſignorũ, quæ indicant ſalubritatem corporum in vniuerſali,quæ eſt totus habitus corporis. ſigna autem quæ ſumpta ſunt ab ipſis par-

ticularibus aliter se habent, de quibus secundo loco est agendum. Notate vnum, quod est notandum, nam dum dixit Gale. de diuisione ab essentia, distinxi hanc secundum ipsum, vel ab essentia signa distincta sunt, vel ab operationibus, vel ab accidentibus occurrentibus necessario. si modo considerabimus hanc diuisionem ab essentia, ab operationibus, & ab accidentibus, illud membrum ab essentia videbitur esse superuacuum, & videbitis in 13. capite huius artis paruæ, vbi declarat partes, quæ ab essentia, & quæ necessariò consequuntur. quod enim cognoscimus à qualitatibus primis, & à membris particularibus, istud est necessarium, & verum hoc est. sed ista referuntur ad accidentia consequentia. primum est ibi qualitas bona, ergo fit bonus color, qui est accidens. quando itaque diuiditis signa ab essentia, & deuenitis ad accidentia, illud erit vnum. & idem repetitum. Gale. facit repetitionem eiusdem rei, quare credo Galenum fuisse superfluum in hoc membro ab essentia, & nunquam sic dixisse, quia auté ipse sic dixit, ego quoque volui sic dicere, tabulam dabimus de signis in vniuersali indicantibus salubritatem: hæc autem sufficiant de signis salubribus indicantibus dispositionem bonam in corpore: de

re:de particularibus autem aliter eſt dicendum.circa particularia ſigna debetis ſcire, quod Galen.in 14.vel 15. capite huius inquit quatuor eſſe differentias partium, vel enim ſunt partes in hoc corpore, quæ ſunt regulæ, & principales, & ita principales, quod adminiſtrent omnes actiones in corpore ipſo:quarum tria ſunt membra principalia ad conſeruationem indiuidui: aliud verò quartum eſt pro conſeruatione ſpeciei,quoniam non minus eſt conſeruare ſpeciem ipſam, quàm indiuiduum : quatuor iſta ſunt principia, primum eſt cerebrum ad conſeruandum indiuiduum:ſecundum membrũ principale eſt cor ipſum, quod eſt fons vitalium virtutum, & ſpirituum:tertium membrorum eſt hepar,ſine quo nemo viuere poteſt,cum in eo generetur ſanguis,per quem vita viuitur. ſúntque tria iſta membra deſeruientia corpori humano ád conſeruationem indiuidui:eſt & quartum membrum principale,& nõ aliud inſtrumentum teſtes,quia in illis generatur ſemen,quod eſt inſtrumentum, & principium generationis immediatè.ſunt & alia membra,quæ deſeruiunt huic quarto,ſed nõ ſunt principalia. teſtes ergo ſunt rectè dicti,quoniam ſunt quartum membrum præcipuũ,quia corporis humani membra

principalia tria sunt ad conseruandum indiuiduum, quartum est ad conseruandam speciem: sunt & alia mēbra non præcipua, sed immediatè dependentia à primis, & principalibus, & quemadmodum principalia sunt quatuor, sic & ista depēdentia sunt quatuor. cerebrum erat primum ex principalibus, quod in se habet vnum genus mēbrorum dependentium ab illo, & sunt nerui, qui oriuntur à cerebro secundum medicos, & isti deseruiūt cerebro, & fortè etiam maxima pars membranarum, de his nunc vlterius non dico, at nerui quidem oriuntur ab ipso cerebro, & eius sunt agnati: à corde verò oriuntur arteriæ, quæ transeuntes per corpus deferunt calorem innatum ad membra omnia corporis, in corde est tantum calor in potentia, sed potest actuari ab illis arteriis, dum deferunt, & difflant eum per totum corpus. vnde cor dicitur, quod calor innatus in ipso est, tanquam forma membrorum, qui defertur per arterias in toto corpore, & ipsæ veniunt à corde, sicuti nerui à cerebro, qui ei deseruiunt, & toti corpori. ab hepate verò oriuntur venæ, quæ deseruiunt toti corpori, vt nutriatur ab ipso sanguine, & sic habetis tria membra secundaria, à membris principalibus pro indiuiduo, quæ & ipsa sunt tria. ista itaque
deser-

deseruientia primis sunt nerui arteriæ, venæ: habetis posteà quartum membrum, & est principale ad conseruationem speciei, testes, qui habent membra dependentia ab ipsis, & sunt vasa seminaria, in quibus generatur semen, vt patet in anatome, pro conseruatione speciei. alia sunt membra principalia, alia sunt secundaria, & propagines à primis. quædam verò sunt membra, quæ non sunt regalia, nec propagines non dependentes, quæ nõ seruiunt, sed sunt ignobiliora primis, & secundis quemadmodum os, cartilago, membrana, caro simplex sine fibris, vel sine venis, adeps, & alia huiusmodi, quæ non sunt nec præcipua in se, nec oriuntur à membris principalibus membra separata, quædam verò membra sunt quæ non appendent principalibus, tamen egent, vt conseruentur à principalibus membris, quemadmodum sunt, & cutis, & musculi, qui regũt seipsos: cutis enim nutrit seipsam, & regit se, tamen eget auxilio principalium propter sensum, ideo eget fibris, & neruis: & quia fuit necessarium illi habere calorem, ideo debuerunt illi deseruire venæ, & fibræ, & sic cutis eget auxilio principalium membrorum. si enim non adessent fibræ arteriæ, nec etiam adesset calor: & si ab illis non oriatur, at adeps, os,

cartilago, membranæ, caro simplex, non habent ista, nimirum venas, neruos, & fibras quemadmodum musculi, & cutis, qui habent neruos, vt moueantur, habet & cutis venas, & fibras propter calorem, & sic membra corporis humani sunt in quadruplici differentia: nam alia sunt præcipua, & regalia, alia dependentia ab his primariis, alia deinde, quæ non dependent à principalibus, nec sunt propagines dependentes, sed sunt ignobiliora illis, alia verò sunt media, quæ se regũt, tamen egent aliorum auxilio, egent neruis, vt moueantur, egéntque fibris, & venis, & vt caleant: musculi mouentur ratione subiecti, nutriuntur autem ratione venarum, & fibrarum. his habitis diceret modo quis, modo est necessaria ista tua diuisio? dico esse necessariam, eò quia non possemus habere signa, nisi prius, & hæc haberemus. hac itaque diuisione data volumus duo facere: primum volumus inuenire signa particularia totius corporis, deinde signa particularia partium corporis, & incipiamus primum à partibus, & à præcipuis considerare. circa autem has partes principales, quæ sunt quatuor, incipiemus tradere fontes signorum principalium horum membrorum præcipuorum, postea non principalium? dabimus enim

enim primum fontes indicantium salubritatem membrorum principalium, deinde fontes signorum indicantium salubritatem non principalium. secundum Gale. fontes signorum indicantium, à quibus habentur indicationes in membris præcipuis quot sunt? sunt quinque : primus fons sumitur à continentibus, vt est cerebrum, quod continetur à capite id est cranio; cor à thorace, hepar à ventre inferiori, testiculi autem ab ipso scroto: primus ergo fons signorum, quæ indicant naturam quatuor membrorum principalium, sunt quatuor continentia has partes, vt est cerebrum: si modo volumus scire dispositionem, & naturam cerebri, primum debemus considerare compositionẽ cerebri, & id, à quo continetur ipsum cerebrum: sic si volumus habere naturam cordis, oportet vt cognoscamus thoracem: si cupimus dignoscere hepar, oportet etiam cognoscere naturam vẽtris inferioris: si testes, oportet scire, quid sit scrotum, omnia ista videbitis clara in tabula. iste itaque est primus fons, vt cognoscamus, quæ continent membra principalia. secundus fons sunt operationes omnium horum præcipuorum membrorum, quæ operationes sunt plurimæ, sed genere sunt tantum duæ principales. ideò di-

diuido operationes, vt tantum ſunt duæ in primo genere, aliæ in omnibus membris conſiderantur, vt iſtud membrum eſt inſtrumentum: aliæ conſiderantur, vt iſtud membrum eſt inſtrumentum, & ſimilare. Declaro. incipiamus à cerebro, operationes cerebri dupliciter conſiderantur, vel vt cerebrum eſt inſtrumentum, in quo fit imaginatio, & memoria: virtus motiua, vt quinque ſenſus exteriores, & interiores, conſiderantur iſtæ virtutes in cerebro, vt in inſtrumento; alio modo conſiderantur in cerebro, quatenus eſt mẽbrum ſimilare, id eſt, vt bene digerit, & vt nõ: & quatenus tenue, & quatenus pituitoſum, quatenus non. Ideò cerebrum poteſt dupliciter conſiderari, quoad operationes ſuas, vel vt inſtrumentum, vel vt membrum ſimilare, nimirum quatenus bene concoquit, & non: & quod dicitur de cerebro, idem dicatur de corde: aut enim conſideratur, quatenus eſt membrum inſtrumentarium ſecundo modo, vt membrum ſimilare, vt habet vim, & efficaciam in agendo excandeſcentiam, & vt habet motus arteriarũ, conſideratur: vt membrum ſimilare, vt eſt compoſitum ex quatuor elementis, & ſic vt facit bonas, & malas operationes, & ſic vnumquodque membrũ dupliciter conſideratur ſiue ſit membrum

brum præcipuum, siue nõ: aut vt est instrumentum, aut vt mēbrum similare. primus ergo fons sumitur à continentia membrorum, secundus ab operationibus, quæ considerantur in membris, vel vt sunt instrumenta, vt in cerebro imaginatio, memoria, sensus exteriores, & interiores, virtus mouens, quatenus sunt similaria, vt cerebrũ quatenus bene concoquit, & non: quatenus bene excernit, & non: & quod dico de vno membro, intelligatis me idem dicere de aliis. tertius fons sumitur ab excrementis suis. quartus verò ab iis, quæ aduenjunt extrinsecus, & intrinsecus. isti sunt fontes quinque. si vultis esse breues, potestis facere tantum duos fontes, vel duo capita, ab operationibus, & à continentibus, isti sunt fontes signorum, à quibus habetur indicatio salubritatis membrorum principaliũ, colligamus modo fragmenta, proposuimus signorum fontes, & diximus secundum Gale fontes ipsorum signorum, vel sumi ab essentia membrorum principalium, vel ab operationibus eorum, vel ab accidentibus siue in toto, siue in partibus. expediui iam membra principalia habere signa, & alia membra dependent, & vt agnata, & de his dedimus fundamentum.

CAP. VII. & VIII.

DIuisio autem signorũ talis est: signorum alia sunt, quæ indicant præsentem affectum, alia futurum, alia præteritum. omnia enim signa considerata à medicis sunt in triplici differẽtia tantum: præsentia dicuntur indicatiua, quia indicant præsentem affectum; præterita autem dicuntur rememoratiua, futura verò prognostica: quæ omnia referuntur ad affectus corporis, siue naturales sint, siue non naturales, quemadmodum patet per definitionẽ signi, supra habitam, quod signum est, quod indicat necessariò affectum in corpore humano latentem, de hoc superius dictum est abundè. signum ergo est symptoma, per quod deuenimus in cognitionem affectuũ latentium in corpore humano, & incipit tabula sic, signorum indicantiũ humani corporis affectum &c. de præterito signo nunc non sumus dicturi, nec de futuro, quia suo loco de his loquemur, loquar tantũ de præsentibus signis indicantibus præsentẽ affectum, & hæc debent diuidi: nam alia signa præsentia indicãt salubritatem vt semper, ideo dicit præsentem, horum quædam indicant salubritatẽ vt semper, alia indicant salubritatem vt multum, alia salubritatem vt nunc. alia verò quę indicant salubritatẽ,

& ho

& horum alia insalubritatem vt semper, alia vt multum, alia vt nunc. sic de indicantibus præsentem neutralitatẽ, alia indicant neutralitatem, vt semper, alia vt multum, alia vt nunc: quæ neutra sunt in triplici differentia aut primi, aut secũdi, aut tertii modi, vt patet in tabula. Vnde ex hac diuisione habetur omnis signorum latitudo, & est quemadmodum de latitudine corporũ sanorum: nam ista signa referuntur ad illos gradus sanitatis, qui secundum diuisionem Gal. vt diximus, sunt quindecim non subdiuidendo neutralitatem in humano corpore, ergo si signa referuntur ad hos gradus, ideo tot erunt species, vel gradus signorum, quot erunt gradus affectuum humani corporis. nam affectus præsens aut est salubris, aut neuter, aut insalubris: salubre autẽ vt semper, vt multum, vt nunc: si neutrum, vel prius diuiditur in tribus modis ita, vt salubre, vt semper, vt multum, vt nunc, & sic iam videtis ordinem definitiuum, qualis sit. Salubris ergo affectus indicabitur à signo per tria genera salubritatis, quæ sunt vt semper, vt multum, & vt nunc: quæ autem sint, hæc manifesta sunt. signa verò quæ indicant salubritatem, vt semper ista sunt signa validissima, clarissima, emanantia à primis principiis, &

à suis

à ſuis fontibus. Debetis enim ſupponere fontes ſignorum, qui ſunt: do exemplum, quæ eſt operatio in corde, eſt ſignum ab operatione vitali, fonte, quando notat ſalubritatem, vt ſemper, ſignum eſt validiſſimum à ſuo fonte ſumptum: quãdo enim virtus vitalis in corpore eſt, vt ſemper, eſt validiſsima, & nihil deficit, quoniam operatio talis eſt optima, ſignum ergo ſalubritatis hoc ſimpliciter erit validiſsimum ab hoc fonte, à virtute vitali, ſalubritatis, ideo ſimpliciter vbi erit, etiam ſigna erunt fortiſsima, quæ emanabunt à ſuo fonte validiſsimo, & omnia ferè patientur, & omnia ſua excrementa erunt bona, & tolerabit ſatis bene omnia, & hæc de ſignis ſalubribus indicantibus ſalubritatem vt ſemper. ſalubria, vt multũ ſigna indicantia præſentem ſalubritatem vt multũ ſunt, quæ declinant vt plurimum, ſed non valde: ſicut enim ſalubritas vt multum, declinat à ſalubritatis perfectione ſimpliciter, ſic iſta ſigna ſalubria vt multũ indicantia, declinant à ſignis indicantibus ſalubritatem, vt ſemper: ſunt quidem ſigna ſana, & bona, non tamen vt prima: habent enim iſta ſigna indicantia ſanitatem, vt multum ſanitatem bonam, ſed non habent ſanitatem vt ſimpliciter, & dicunt ſanitatem cum aliquo detrimento

&

& differunt secundum magis, & minus. Ideo dicit quę vt plurimum declinant quidem: parum autem declinant à primis, vt nunc, signa modo indicantia sanitatem, vt nunc, maximè declinant à primis, & cum detrimento semper apparēt. declinat enim vt plurimum à salubritatis perfectione simpliciter, sumus nunc in vniuersali. Vnde dico signa salubria vt nunc, declinare vt multum, à sanitate simpliciter, & in eis semper patere detrimentum, indicia hæc non sunt sic clara, vt indicia de sanitate simplici, tamē & in his, est aliquid clarum. Do exemplum in particulari, vt est aliquis sanus vt nunc, qui habet excessum, vel in temperatura, vel in compositione, est quidem sanus, & vt nunc, sed eius temperatura excedit secundum caliditatem, & siccitatem, quoniam habet plus de caliditate, & de siccitate, quàm opus est: sic ex quo habet temperaturam excedentem omnia sua signa indicantia salubritatem, non erunt validissima, sed cum defectu tali ad sanitatem, & quia iste vir habet caliditatem igneam læditur facilè à calidis, & ab exiccantibus. præterea est deformitas in cute, & pallor, & multa habebit alia signa declinantia à salubritate illa simplici. Quare in talibus corporibus, vel quid abundat, vel quid

deest; sed vario modo pro ratione variorũ excessuum, & variatione redundantiæ in temperie, siue definitione. Vnde fiunt innumeri defectus, seu abundantię, de his autem dicemus in particularibus, hæc quoad signa salubria vt semper, vt multum, & vt nunc. Neutra signa indicantia neutram dispositionem seu mediam inter sua extrema ista dispositio est neutra, & est triplex: si est primi modi nec est salubris, nec insalubris, sed media. dixi autem vobis neutralitatem tripliciter capi. Nam vel dicitur neutrum per abnegationem extremorum, & est primi modi, vel per participationem extremorum, & est secundi modi, vel per alternam successionem vtriusque, aut respectu, & est tertij modi. Neutralitas ergo est media dispositio secundum nostras tabulas, quæ sunt eædem cum Galeno, prętterquam corporibus insalubribus: ideo dico neutrum primi modi non esse cum participatione sanitatis, nec ægritudinis, sed sic se habere, quod nec est sanum, nec ægrum, sed medium: quoniam secundum sensum habet operationes tales, ideo non habet tale corpus denominationem sanitatis, nec ægritudinis. Debetis enim supponere corpora neutra distingui quoad sensum in operationibus à sanis, & ab ægris,
aliter

aliter non dicerentur neutra. quando ergo est corpus habens operationes non bene sanas, nec ex toto ægras dicitur corpus nec sanum, nec ægrum, nec ipse bene scit, quid sentiat, dicitur corpus neutrũ primi modi per abnegationem extremorum, nec est sanus, nec æger. tale autem corpus habet sua signa, quæ sunt triplicia, sicut & neutrum primi modi tripliciter dicitur: nam aut dicitur neutrum vt semper, aut vt multum, aut vt nunc, sic & signa neutra primi modi, aut indicabunt neutrum simpliciter, aut vt multum, aut vt nunc: in omnibus neutrum illud commune est &c. At omnia referuntur ad tempus, neutrum simpliciter, quod à natiuitate dicitur neutrum, hoc refertur ad totum tempus: neutra vt multum referuntur ad minorem partem temporis, vt nunc refertur ad præsens tempus tantum: & tale corpus erat sanum prius, sed ob aliquam causam decidit in neutralitatem, & in talem dispositionem. Vnde dico de tali neutro idem, quod dicerem de aliis neutris, quoniam omnia neutra sunt relata ad ipsum tempus, neutra simpliciter sunt à natiuitate talia, & sunt sic per omnia tempora: neutra vt multum sunt in maiori parte temporis talia, vt nunc referuntur ad præsens tantum: neutra modo ista primi

modi habent ſua ſigna diuiſa, quę ſunt media inter ſalubria, & inſalubria ſigna cum referantur ad extrema. cæterùm cum ſalubritas, & inſalubritas dicuntur tripliciter, ſic & neutra ſigna tribus modis dicentur, cum neutra ſint corpora media inter ſana, & inſalubria, neque planè manifeſta ſenſui ſigna neutra, quia non ſunt ſana, neque ægra. Atque ſalubritas, & inſalubritas diſtiguuntur ſecundùm ſenſum. non enim poſſumus ſcire an ſint ſani, vel ægri, niſi ſenſu, ſed neutri operationes ſunt latentes, quoniam non eſt adhuc æger, nec ſanus, ideo tale erit neutrũ, tã in operationibus, quàm in cæteris aliis: ſunt modo ſigna neutra primi modi ſimpliciter alia, & alia de neutro vt multum, alia etiam neutri vt nunc. Hæc eſt neutralitas primi modi, à qua habētur ſua ſigna proportionata gradibus ipſius neutralitatis. Hæc talia indicant ſalubritatem, aut inſalubritatem quoad operationes, quibus medicus ſolet iudicare. Iam ſex gradus ſignorũ neutrorum, vt ſatis ſuperius habuiſtis, ſuntq́ue talia ſigna neutri ſecundi modi; quæ habent ſimul de ſanitate, & ſalubritate in aliqua parte corporis, vt ſint in temperatura ſana, poſtea in alia parte ſunt neutra vt in compoſitione, temperatura erit optima, & ſa-

na, compoſitio autem erit, non quod in ea ſit morbus, ſed mala diſpoſitio, quia ſi ægrotaret compoſitio, non amplius eſſet neutrum, ſed ægrum. Nam neutralitas non cadit ſub latitudine ægrotationis. Quare temperatura erit optima, & ſana, vt ſumi poteſt de ſanitate ſimpliciter dicta, tamen compoſitio eſt vitioſa, & parata ad omnem morbum, & ad omnem læſionem, vt ſi ſit corpus robuſtiſsimum, & bonæ temperaturæ, tamen ventriculus illius ſit valde paruus, ita vt nõ poſsit ferre cibum, hoc eſt neutrum ſecundi modi per participationem extremorum, temperatura optima compoſitio eius ſit mala, vel compoſitio eius ſit optima, temperatura verò mala, vt ſi quis ſit, qui habeat bonam diſpoſitionẽ cerebri, & cordis, tamen hepar ſit imbecille, & diſtemperatum, ſuáſq; habeat operationes imbecillas, dicitur neutrum ſecũdo modo, quia habet plurima membra ſana, vnum verò imbecille, & valde, ideo participat vtriuſq; extremi ſalubritatis, & inſalubritatis. cum itaq; neutrum ſecũdi modi ſit tale, ſic & ſua ſigna erũt proportionata, vt ſuorum ſignorũ aliqua indicabunt neutralitatem, debilitatem in vna parte, ſalubritatẽ in alia parte. ſed dicetis quo modo ſigna iſta talia eſſe in corpore neutro poſ-

sunt? dum dicis neutralitatem in corpore, ista signa habent indicare salubritatem, & insalubritatem simul in corpore, & non in vna parte neutralitatem, in alia salubritatem. Declaro hoc per exemplũ vrinæ, quæ habeat optimum colorem, liquorem bonum, & quantitatem conuenientem, & quæ excernatur debito tempore, tamen habeat hypostasim harenosam, & sæpe accidit in hoc erit imbecillis ipsa vrina, propterea ꝙ talis hypostasis indicabit defectum vesicę, & renum: non enim erunt exquisitè sanæ illæ partes, sed debiles. Ideo sunt neutrales, & paratæ ad morbum. alia verò signa sunt bona, & indicant sanitatem totius corporis. Videtis quomodo ista sint signa secũdi modi, quoniam aliqua indicant sanitatem, aliqua verò nõ, sed imbecillitatem, & neutralitatem: ista sunt indicia neutralitatis secundi modi, & semper supponatis aut vt semper, aut vt multum, aut vt nunc. tertij modi neutra sunt illa, quæ in vno tempore sunt sana, in alio verò imbecilla, vt verbi gratia puer est sanus, dum venit ad iuuentutem, est neuter factus, vel respectu temporum anni, vt puer in hieme est bene sanus, in æstate verò neuter, & facillimè ægrotat; siue, vt dixi, respectu ætatum, vt quis in pueritia sit sanus, in consistentia verò fa-

ctus

ctus est imbecillis, vel contra: sic & erunt sua signa in tali corpore neutro indicantia salubritatem in vno tempore, in alio non, vt sudor in vno tempore dicit sanitatem, in alio insalubritatem, vt sudor interdiu sanitatem dicit, quoniam est propter motum, & laborem: nam notat robur virtutis expulsiuæ, & meatus esse amplos, & latos: at sudor in nocte in dormientibus non est bonus: quia virtus est aggrauata. Vnde bene dicit Hippocrates somnus cum sudore denotat multitudinem cibi, vel multitudinem humoris adesse. Vide secundo aphorismorum. Sudor ergo in nocte dormientis indicat imbecillitatem virtutis, in die verò dicit sanitatem. & ideo sic in tabulis signorum patet, & salubritas, & insalubritas, vt videbitis in tabula secũdi modi, hæc sunt signa tertij modi, modo salubritatem, modo insalubritatem indicantia, & habetis duodecim gradus signorũ præsentium, restant adhuc tria, quæ dicũtur insalubria, quæ sunt triplicia, & primum ponimus insalubre vt nũc, vt è diametro in figura opponatur salubri vt nunc, deinde verò insalubre simliciter, quod opponitur salubri simpliciter, ideo non procedimus secũdum ordinem Gal. in tabula hac, sed secundum nostrum, quia est facilior ponẽdo primum

insalubre vt nunc, quod est minus insalubre, quàm sit insalubre simpliciter, & vt multum: hæc quoque sunt salubria. sicut vnum oppositum est manifestum, sic & aliud. dicebamus salubre simpliciter habere sua signa clarissima emanantia à suis principiis, siue à suis fontibus, & sic erat de salubri, vt multum, excepto illo salubri vt nunc: nam sicut in illis emanabant signa à fontibus suis claram sanitatem indicantia, sic dicebamus de insalubribus, quæ habent sua signa validissima insalubritatem indicantia: eadem ratio est de insalubribus; idémque debet intelligi de insalubri vt nunc, quod dictum est de salubri vt nunc, videlicet eorum signa esse obscura sensui, quoniam non planam reddunt insalubritaté, & hoc manifestum est in tabulis. Itaq; fontes signorum sunt quatuor secundum Gale. quæ consequuntur essentiam, primus fons signorum est eorum, quæ consequuntur essentiam rei, secundus fons sumitur ab operationibus, quę genere sunt quatuor, tertius fons signorum est eorũ, quæ excernuntur, quartus fons est accidẽtium extrinsecus occurrentium. quod ad primum fontem signorum, quę cõsequuntur essentiam rei, potest dupliciter considerari; nam talia signa possunt consequi essentiam rei vel in

temper

temperatura, vel in compositione: si dicamus de signis in temperatura indicantibus salubritatem, quæ sunt hæc, primus est in tactu, & est calor suauis extrinsecus, vt quando est corpus salubre simpliciter. quantum verò ad obiectum commune tactus sentitur mediocritas in duritie, & mollitie in asperitate, & læuitate, deinde pili sunt moderati in colore, in multitudine, & in augmento, nec est multum pilosus, nec depilatus, sed in mediocritate se habet. deinde quantum ad visum color est iucundus, ista sunt signa primi fontis consequentia essentiam rei in tēperatura salubritatis vt semper, & vt multum. signa verò indicātia salubritatem nunc in tēperatura ab essentia rei non erunt talia, vt dicta, sed ratione excessus variabūtur, de quibus postea in particularibus: nā hæc omnia ad sua principia sunt reducenda; quoniā opus est scire, quis fuerit excessus naturæ: si exacerbabit calor, non erit moderatus, erit pilosus, & pili nigri, & pallidus in visu: variantur enim ista signa ratione excessus, quę omnia reducuntur ad sua principia, quæ principia sunt quatuor, aut caliditas, aut frigiditas &c. si vultis habere excessus, oportet primo considerare effectus caliditatis: si autē cognoueritis corpora calida, cognoscetis etiam

affectus eorum: omnia autem hęc manifesta sunt in quarto meteororum: in secundo de temperaturis. nā hic Gal. loquitur vniuersaliter, si vultis modo habere omnes affectus caliditatis, videatis in locis citatis diffusè, vbi peritè de his tractat in cōpositione, salubri. signa quæ cōsequūtur essentiā in cōpositione sunt in corpore salubri vel vt semper, vel vt multū, vel vt nunc. in corpore autē salubri vt semper, & vt multum, & vt nunc, erit optima formatio, quæ optima formatio habet quatuor requisita, aut est in superficie, aut in figura, aut in cauitatibus, aut meatibus: hic tantum habentur capita rerum, numerus perfectus &c. secunda pars eius, quod est salubre vt multum, & vt semper debet habere partes conuenientes non superfluas, neq; diminutas. situs membrorū: quod situs sit conueniens, vt in pectore nō sit nimis strictus, nec nimis latus, sed cōdecenter dispositus, quę ad situm, & quæcunq; copulantur in corpore, sint bene copulata, & situata magnitudo singulorū cōueniens: vbi erunt hæc omnia consequentia proportionē secundū naturam, vbi erit pulchritudo, proceritas corporis, tales sunt bonę temperaturę, & bonę compositionis, vt nūc sunt varia secundum variam compositionem, & ferè infinita.
hic

hic est primus fons tam in temperatura, quàm in compositione eorum, quæ consequuntur essentiam. secundus fons est ab operationibus, quæ genere quatuor existunt aut animales, aut vitales, aut naturales, aut generatiua virtus: animalis est in cerebro, vitalis in corde, naturalis in hepate, generatiua in testibus. si enim vultis cognoscere dispositiones in corpore humano per signa, oportet vt habeatis fontes signorum ab operationibus, quæ indicant, & ostendunt corpus tale, vel tale esse quantum ad operationes cerebri, quædam cerebri operationes sunt vt cognitio, aliæ sunt in cerebro, & propter cerebrum, & sunt tres imaginatio, ratiocinatio, & memoria, quæ sunt ab ipso cerebro: sed extra cerebrum sunt quinque sensus in partibus pluribus corporis dispersi, sunt quidem à cerebro, non tamen in cerebro, harum virtutum somnus, & vigiliæ sunt passiones sensitiuæ. oportet etiam scire affectum hunc, somnum, & vigiliã, quia ex his habentur fontes indiciorum. est itaque vna virtus animalis cognoscens in cerebro, quæ diuiditur in tria, & hoc non tantùm secundum medicos, sed etiam secundum philosophos: estque alia cognoscens ab ipso cerebro, & sunt quinque sensus: alia est virtus animalis, quæ dicitur motiua se-

cundum motus per neruos, secunda operatio est vitalis virtus, quæ est in corde, & hæc duplex est, vel in ipso corde, & propter ipsum, vel tantum ab ipso corde: quæ est in corde adhuc dupliciter bipartitur aut est ira cundia, aut constantia in rebus agendis, quemadmodum dicit Galenus in libro de placitis Hippocratis, & Platonis, hæc sunt affectus cordis indicantia; alia est ab ipso corde, & est pulsatio arteriarum, non est in corde, sed extra cor: aliæ vitales sunt in corde, aliæ extra ipsum cor. Naturalis operatio in hepate est, & hæc diuiditur: nam alia est in ipso, alia ab ipso: in ipso adhuc duplex vel dicitur appetitus voluptatum secũdum Platonem, ac Galen. alia in hepate dicitur sanguificatio, cui inseruiunt quatuor operationes particulares communes in membris naturalibus, quæ sunt attractio, retẽtio, concoctio, & expulsio: de quibus post dicam. ab ipso hepate est alia operatio vocata sanguinis deriuatio per singulas corporis partes: in hepate quidem est appetitus voluptatum, & sanguificatio, ab ipso verò sanguinis deriuatio. Quarta dicitur operatio generatiua in testibus, in quibus est fons generationis, quæ virtus est bipartita, aut est in ipsis, aut ab ipsis: in ipsis est seminis generatio, ab ipsis est seminis emissio, & eiaculatio:

latio: hæc ſunt ſigna indicantia has operationes: & affectus iracundiæ, & conſtantiæ in corde à moribus animi ſumuntur, & habentur indicationes. in quo autem genere ſunt ipſi mores? ſecundum medicos ſunt in corde, & efficiunt virtutes morales, etiam ſi prudentia referatur ad intellectum. quantum verò ad paſsiones in conſtantia, vbi eſt fortitudo, & iracundiæ moderata, hæ ſunt veræ virtutes, & vera vis animi indicatur, ex hiſque bona, vel mala temperatura. tertius fons dat diuiſionem inter excrementa, & accidentia extrinſecus occurrentia. excrementa autem aut fiũt à capite, & poteſt eſſe hoc duplex, vel eſſe mucus, vel quod fit à nare, vel à palato, vel ſunt ſordes, & eſt aut ab auribus, aut ab oculis, aut fit ab aluo: & eſt ſecunda ſpecies, vt ſunt egeſtiones, aut à venis, vt ſunt vrinæ: vel fit à cute, & hoc quartum vel dicitur ſudor, aut apparet vt ſordities, aut pruritus. Accidentia extrinſecus occurrentia diuiduntur ſic, aut aeris exceſſus, aut motus animi vehemens, aut excretiones, vigiliæque immoderatæ, exercitia vehementia, venus immodica, crapulæ, & reliqua: iſti ſunt fontes omnium ſignorum. & ſic dicimus corpus ſalubre ſimpliciter, & vt multum, habere has omnes operationes ſecundum eſſentias temperatas, & tale cor-

pus tolerare excrementa magis, quàm salubre vt nunc. si vero corpus erit salubre vt nunc, habebit etiam sua signa, quæ erunt varia secūdum varietatem lapsus; satis est scire corpus, quod erit salubre, aut insalubre simpliciter vel vt multum habere sua signa validissima, à suis fontibus scaturientia, qui fontes sunt tres: vel quatuor iam dicti. salubre enim simpliciter habebit operationes suas temperatas naturales, & quales esse oportet extrinsecus occurrentia facilè feret: insalubre autem opposito modo se habet, quod quidem habebit signa procul dubio attestantia insalubritatem, & habebit operationes intemperatas, & difficulter tūc feret accidentia extrinsecus aduenientia. Neutra verò corpora medio modo se habebunt, & obscurè in his apparebunt signa, vt diximus: quæ suo loco declarabuntur, quæ erunt varia. salubre itaque corpus vt semper secundum virtutes animales optimè imaginatur, discurrit: salubre verò vt nunc, vario quidem modo excedit, & infinitè; eadem ratione corpora salubria in omnibus operationibus optimè se habebunt: & salubria vt nunc, ista multis mediis deficient, vel excedent secundum excessum, vel defectum in temperaturis ipsis qualitatum primarum, vt corpora nimis ca-

lida modo ferent caliditatem, & ſic ſecundum varium exceſſum vario modo mutabuntur, ſed corpus, quod eſt mediocre, melius tolerabit excrementa. ex quo elicimus corpus temperatum melius ſe habere, quã alia corpora.

Quoniam vt ſæpe monuimus cõnexus, & ordo textuum maximè facit ad ſciẽtiam habendam, eo quia nõ tantum modo ordo iſte cauſat ſcientiam, ſed etiam maximè facit ad memorandum; & cum ita ſit, ideo oportet, vt connectamus dicenda cum iam præmiſsis ſuperius, vt optimus fiat omniũ connexus, & credo vos meminiſſe, quemadmodum intentio Galen. in ſuperioribus ſit tradere totam medicinam arte exactam per compendium, intentioque ſua inuenire veram methodum, & quam facere poſsit. ars enim tota medendi traditur per veram methodum, cum omnes eius partes principales exactè explicantur: ſic dicimus de particularibus medicinæ, vt de quacunque alia ſcientia. partes autem, ex quibus conſiſtit ars, medicinæ ſunt tres: nam conſiſtit primum ex diſpoſitionibus corporum ſuſcipientium ſanitatem: deinde ex ſignis indicantibus ſanitatem, vel inſalubritatem, aut neutralitatem: tertio medicina conſtat ex cauſis conſeruantibus, vel alterantibus ipſa

corpora:hæ enim tres partes;corporum dispositiones,signa, & causæ constituunt totam medicinam. & ideo de his omnibus opus est dicere exquisitè; si hanc artē quoque optimè scire optamus:& ratio huius sumitur à finis notione,& à natura rei. Itaque medicus est artifex,qui intendit sanitatem, quam,si adsit,non potest conseruare, nec si absit,potest recuperare, nisi prius cognoscat, quænam sit ipsa sanitas,qua cognita bene medicus ipse,si est,intendit conseruare:si verò non adest, intendit reficere: & quamuis ipsam cognoscat, nec adhuc possit eam vel conseruare,vel recuperare, nisi quænam sit,etiam cognouerit, & rectè habuerit sanitatis causas vel conseruantes, vel alterantes. causæ ergo sanitatis necessariò sunt habendæ,si sanitatem habere intendimus:sed quoniam sæpe sanitas nos latet,sic & ægritudo:ex quo indigemus notione signorum,quam ob rem fuit inuenta methodus,& ars,qua inueniremus signa, vel sanitatis latentis,vel morbi occulti:ad hoc ideo signa sunt inuenta ab optimis medicis. si enim non lateret sæpe sanitas,aut morbus, ipsis non egeremus. inuenienda itaque erat methodus signorum,& essentia cognoscenda ex definitione,vt haberetur ipsa sanitas. quid autem esse rei,vel definitio essentialis

sit,

ſit,nõ poteſt haberi,niſi ex cognitione ſubiecti:nam aliter fieri non poteſt, niſi prius cognoſcamus ſubiectum,venire in cognitionem definitionis, à quo ſubiecto definitio ipſa terminantur,& ſuſcipit eſſe, vt declarat Ariſtot.in ſeptimo metaphy.oportet igitur prius habere ipſum ſubiectum, eſtque ipſa ſanitas habenda,ſic ordo eſt ratio prioris,& poſterioris: hæc enim differentia facit bonam definitionem ordinis. vnde commentator dixit in quinto metaphy.commento 16.quod ordo non ſtat in rebus,niſi reſpectu primi poſiti: & deinde Ariſto. in prædicamento quantitatis inquit,licet quantitas careat poſitione,& ſitu, tamen habet prius & poſterius,ita vt prius, & poſterius eſt ratio formalis ordinis, ordo ergo erit vbi prius, & poſterius, quia vbicunque competit definitio,ibi & definitum. talis igitur eſt eſſentia,& forma ipſius ordinis.at cum ordo ſit multiplex: (eſt enim duplex) videamus, qui ſunt ordines: nam vnus eſt accidentalis,alter eſſentialis: ordo autem accidentalis eſt quandocunque intellectus poteſt formare rem ſecundum varias cognitiones, & ſecundum connexum in rebus conſiderat, & effingit ſibi illas variis.& diuerſis modis:quot enim modis intellectus format rationem formalem in re-

bus ponendo in dextro, & in ſiniſtro, non ſumendo tamen rationem ordinis eſſentialis à re, ſed ab illis, quæ extra rem ſunt, tunc talis ordo dicitur accidentalis. & ideo talis eſt, quia intellectus ſecundum varios ſuos conceptus rerum ſic ordinat, ponendo quid vult prius, quid aliud poſterius, & iſte eſt ordo ab intellectu, non eſt determinatus in numero; quia non poſſumus determinare in hoc aliquid. Alius verò eſt eſſentialis ordo in rebus, in eſſentia, & in natura rerum, qui quidem ordo ſumitur ab eſſentia rei, vt conſiderando rem per prius, & poſterius: ſi aliquid, vt eſt ſimplex, & vt eſt compoſitũ, vel poſt vt cauſa, & vt effectus, vel poſt vt vniuerſalis, deinde vt particularis, vel poſt vt principium, & vt principiatũ. Hæc enim ſunt de eſſentia ipſius ordinis, & in his exiſtit cauſa prioris, & poſterioris: & ordo naturæ: quia in ordine naturæ prius eſt principium principiato, eſt prius ſimplex compoſito, prior cauſa, quàm effectus, & prius vniuerſale, quàm particulare: habent enim hæc rationem ordinis. Ex his itaque habetur, & conſtat ordo eſſentialis, ordoque in vniuerſali eſt in rebus ſumptis ab eſſentia rei, ſtatuta ſic natura ordinũ in vniuerſali, & viſa eius multiplicitate, videamus modo de ordine doctrinæ, quis ſit etiam ipſe. Dico eundem

dem esse ordinem doctrinæ in scientia, vel in doctrina sicut & in rebus: nam scientiæ secantur prout res ipsæ diuiduntur, quemadmodum dicit Arist. ordo autem in scientiis vnus est per accidens, vt quando effingimus per annexum extrinsecus aliquid, vt facit Galenus in libr. de fracturis in commento primo, vbi dicit quando sumus coacti venari ordinē in scientia, vt incipiendo ab aliquo errore, vt distinguamus ipsum, deinde deuenimus ad ipsam rem, & hoc facimus, vt remoueamus quæ nobis possunt obiici, & sic facere, dicitur peruersio ordinis naturæ: & hoc solet fieri ab aliquo externo, vt fecerunt illi, qui dum loquerentur de omnibus morbis, inceperunt ab ipsis febribus, postea tractauerunt de particularibus morbis, & hoc habuerunt ab aliquo externo, & extraneo accidente: non enim febris est prior in tempore, quàm sit morbus particularis. nam nullus est ordo inter morbos hos vniuersales, & particulares. essentialis ordo iste causatus est, vt dixi, ab aliquo accidente extraneo: quia putarūt, quod est in toto corpore notius, quàm quod mēbrum particulare occupat, & sic hoc est annexum non internum: sed externum. Alii autem fecerunt oppositum secundum varios conceptus eorum, aliumq; ordinem

fecerunt

fecerunt, vt fuit Auicen. Rasis, qui inceperunt suum ordinem à particularibus morbis: quoniam putarunt morbos particulares facilius posse curari, quàm morbos vniuersales, quàm febres. Data etiam paritate in ipsis morbis particularibus, & vniuersalibus, dicebant facilius posse curari particulares, ideo inceperunt à particularibus, tanquam facilioribus curatu, & dicebant sic debere facere medicum. Et ideo videtis iam, quomodo isti ordines accidentales possunt variari secũdum variam positionem. Vnde Auer. quinto Metaphy. ibi circunscribens ordinem vtrumque, dicit ordinem esse rationem eorum, quæ existunt simul, quæ nõ possunt imaginari priora, & posteriora, nisi respectu alicuius positi in eis, tanquam vnũ, & principium. possumus enim ponere vnum pro primo, aliud pro secundo, qui respectus sunt exterius sumpti ab ipso intellectu secũdum eius vnicam positionem. ordo verò essentialis correspondet, & opponitur ordini, qui in rebus est, qui ordo procedit à causis, ad causata, & à simplici ad compositum, & à principio ad principiatũ, & ab vniuersali ad particulare. iste enim ordo est essentialis in scientia: propterea quòd parit scientiã, & ita iam habetis, quid sit ordo per accidens, & qui essentialis in
rebus

rebus,& in ſcientia. Vnde manifeſtum eſt, quomodo in docēte,& in doctrinis tria ſunt neceſſariò requiſita, modus procedendi, & inſtrumenta vel via,& ipſi ordines doctrinæ. Dicet autem quiſpiam, quid vis intelligere cum his tribus requiſitis? Notate dū dicit Gal. in textu, tres ſunt omnes doctrinæ. Audiatis quæſo iſtos expoſitores intricare textum, poneréque tria portenta, quæ ſunt in cauſa, quod nos cogamur immorari in his plus, quā oportet: quæ omnia poſſent tribus verbis explicari: at oportet nos habere veram expoſitionem, vt quid intelligat Gal. per doctrinas tres percipiamus: nam hoc nomē doctrinæ eſt æquiuocum, ideo diſtinguendum eſt. Doctrina enim quandoque ſumitur pro modo docendi, ſicut ſumpſit Galen. in quarto de pulſuum differen. vbi de doctrina vtili loquitur, & inutili, & hoc idem in ſecundo de criſibus, vbi loquitur de doctrina per compēdium, & per enarrationem, & explicationem, & hoc diſpoſitio, proportio, & habitus reſultans ex compoſitione optima principio humani corporis debita proportione: hæc autem debita proportio, in quo conſiſtit? iſta quidem debita proportio cōſiſtit in æqualitate, non in pondere: ideo non in omni, ſed tantum in æqualitate iuſtitiæ, & non in

æqualitate ponderis restat. hæc autẽ æqualitas est, vt vnumquodque habeat tantum, quod suum est, & sibi conueniat, quæ æqualitas refertur ad actionem, quæ quidem debet facere morbum, vel subiectum, in quo permanet, vt quodcunque membrũ ipsum poterit producere, & facere optimam operationem, istud erit optimè sanum: si optimè sanum: ergo habebit perfectam sanitatem, vt talem, qualis est ipsa æqualitas iustitiæ, quæ semper refertur ad aliud, ad mẽbrum, vel subiectum. Sanitas itaque est optimus habitus, vel proportio ex debita compositione principiorum humani corporis constans: ista verò principia sunt duo materialia, & formalia: materialium quidem principiorũ nostri corporis alia sunt remota, alia verò propinqua, remota sunt quatuor elementa, propinqua autem quatuor humores. formalia porrò principia sunt tria, temperatura, & compositio membrorum, tertium est bona vnitas. corpus autem nostrum consistit ex omnibus istis principiis materialibus, & formalibus. quod autem ad temperaturam, quænam illa sit? nihil quidem tẽperatura aliud est, nisi perfectio, & actus vltimus, mistióque congrua in animali. Et quotiescunque ista mistio deuenit ad vnam perfectionem, & ad

ad actum perfectum, vt posſit agere, ſiunt tunc bonæ operationes, & appellatur talis miſtio tunc temperatura, quam temperaturam voluit Gale. in libro, an animi mores temperaturam corporis ſequantur, nihil aliud eſſe, quàm ipſam animam, & hoc etiã aſſerit Ariſt. per ſua principia. Dicit itaque Gale. ibi eam eſſe Animam ipſam, vel inſtrumentum proprium animæ: ſi non anima ſiue ſit forma, ſiue actus perfectus, & propinquus formæ, & vltimus actus miſtionis, & tales ſunt nouem: quarum vna eſt omnino æqualis, in qua nullus eſt exceſſus, ideò eſt temperata, cæteræ verò ſunt octo, & ſunt inæquales, & diſtemperatæ, quoniã in his, vel caliditas, vel frigiditas excedit ſimpliciter, aut per vnionem in aliis quatuor: vt ſi excedit caliditas cum humiditate, ideo omnes ſunt nouem, vna temperata, & rectè ſic dicta: aliæ verò inæquales, & excedentes in aliqua qualitate, vel vna, vel duabus ſimul compoſitis. Compoſitio autem modo in formatione conſiſtit, vel in ſubſtantia, vel in magnitudine, vel in numero, & in ſitu. ſubſtantia quidem, vel formatio conſiſtit in quatuor, & in figura, & in ſuperficie, & in meatibus, & in cauitatibus. magnitudo verò, quæ eſt ſecũda pars compoſitionis, in duobus conſiſtit: nam aut eſt

maior, aut minor, quàm conuenit. Situs autem dextrorsum, sinistrorsum, sursum, vel deorsum, aut antrorsum, vel retrorsum, numerus verò vel abundat, vel deficit. ad vnitatem modo accedo, quod est tertium principium formale nostri corporis, quæ consistit in continuitate partium, vel contiguitate, & quia continua sunt illa, quorum extrema sunt vnum, vt cum caro continuatur carni: contigua verò sunt illa, quorum extrema nō sunt vnum, sed sunt simul vnita. Vnitas ergo constat, aut ex continuitate, aut ex cōtiguitate. patet hoc per quęsita corporis humani principia, & sic habetis quænam sit ista temperatura, quæ nuncupatur sanitas, quæ sanitas est habitus perfectus ex debita compositione membrorum, & principiorū corporis humani, cum debita proportione. ægritudo autem constat oppositis principiis sanitatis, quæ est priuatio sanitatis. Sanitas verò est habitus. Neutra autem dispositio constat ex principiis mediis partim salubribus, partim insalubribus. Sanitas præterea habet latitudinem magnam, & plures gradus: & sic potest ægritudo diuidi per multos gradus: pariter & neutralitas. atque ipse Gale. distinguit sanitatem in tres tantum gradus, quia isti tres gradus sunt magis annotandi: primū gra-
dum

dum appellat sanitatem simpliciter, secundum sanitatem vt multum, tertium sanum vt nunc, de quibus satis superius copiosè dictum est. opposita dispositio sanitati est morbus, qui tot habet gradus, ægritudo enim simpliciter, vt multum, & vt nunc: sic etiam debet habere neutra dispositio, & sic iam erunt nouem gradus. Sed quia neutrũ adhuc diuiditur: nam aliud est primi modi, aliud secundi modi, & aliud tertii modi: quorum vnumquodque aut est simplex tale, aut vt multum, aut vt nunc, sicque in totum erunt quindecim gradus sanitatis, & morbi, & neutralitatis. ista autem necessaria considerantur hic à nobis, vt rectè habeamus, quid sit sanitas ipsa, & notitiã eius pernoscamus: & quia quærebamus, quomodo conseruetur sanitas ipsa, ideo oportet habere, quomodo fit sanitas: hoc autem fit per cognitionem causarum tam conseruantium, quàm alterantium, quæ sunt sex, cibus & potus, inanitio, & repletio, animi perturbationes, venus, exercitium, somnus & vigilia, quæ causæ cum applicantur corpori, sicuti decet, conseruatur ipsa sanitas: & ipsæ dicuntur tantum causæ conseruantes. si verò aliter, & alio modo applicantur istæ causæ, tunc destruitur sanitas, & dicuntur tunc causæ alterantes sanitatem in pe-

ius,& hoc est secundum membrũ,ipsæ causæ.Signa autem,per quæ deuenimus in cognitionem harum,faciunt tertium membrum,& Gal.alias tradit per ordinem resolutiuum,nunc modo proponit hæc, & inuenit methodum,qua vobis traderet hæc per ordinem definitiuum,non autem resolutiuum,& talis ordo procedit per definitioné, quam si tradidit Gale.in principio primi libri proponendo hæc dicens,medicina est scientia salubrium, & insalubrium, & neutrorum,super quam definitionem totus ille liber fundatur,& sic explicabuntur omnia,quæ sunt cõtenta in tali definitione data à Gal.quæ contenta sunt Analogata,& cum sint Analogata,ideò prius sunt distinguenda.nam sanum prius dicitur de corporibus,quia est crebrius,deinde de signis, tertiò de causis.quantum autem ad ordinem definitiuum, videbimus in processu, quomodo ipsum seruauerit Gal.incipit autem ipse à corporibus suscipientibus sanitatem. & notate inter ea, quæ erant necessaria ad hanc cognitionem.primò erat videndum, in quo consistat illa debita proportio, & ideo aduertenda erant principia nostri corporis tam materialia,quàm formalia:materialia primò,vt elementa,deinde humores,post formalia:vt temperatura, & compositio

positio, & vnitas, tandem hæc omnia inquam erant habenda. sed Gale. prætermisit ea, & tacuit: nam tantùm in primo libro dixit de latitudine sanitatis, quam ob rem videtur deficisse valde à suo proposito, vt multi existimauerunt, qui dicerēt primum librum frustra esse compositum, & sine ratione ab eo, propterea quòd prætermisit magis vtilia: posuerit verò necessaria minus. quare autem hoc fecerit Gale. nos docebimus quando dabimus tabulas primi libri, & iam publica declarauimus, quid velit dicere in primo libro, & quod non deficit vllo modo in eo, quia suus scopus fuit in primo libro, vt traderet de corporibus per conclusiones, deinde accessimus ad secundum librum, in quo primum tractat de signis in vniuersali, deinde dat methodum ipsorum in particulari agens de singulis. vniuersalia autem tractauit in primis octo capitibus. Nos autem declarauimus ea, proposuimùsque duas tabulas, quas diximus esse vniuersalis methodi signorū, quoniam respondent illic signa in vniuersali: & vt bene discatis, & memoriæ omnia mandetis, rectéque contineatis vniuersalia cum particularibus, primùm proposuimus vniuersalem tabulam paruam, in qua ostendimus, & etiam ostendemus, quomodo iste

liber habet ſuas partes ita ſimul connexas, vt ſi demeretur vna etiã minima, deſtrueretur tota ars medicinæ. Vidiſtis præterea eſſe quindecim latitudinis, vel quindecim affectuum gradus à ſanitate incipiendo. ſi modo eſt verum, quod dicit Gale. medicinam eſſe ſcientiam corporum ſalubrium, inſalubrium, neutrorum, & ſignorũ, & cauſarũ: atq; corpora, & ſigna, & cauſas æqualiter proportionari. ſub hac definitione apertè quidem fecimus nos hanc primam tabulam, vt haberetis connexum omnium, quæ iam dicta ſunt, & omnium eorum, quæ dicentur, & quomodo ſecundus, & quomodo tertius liber correſpondeant primo, & reſpondeant corporibus, quæ tabula eſt de ſignis ſalubribus, neutris, & inſalubribus. præterea dedimus tabulam de ſignis vniuerſalibus, & primum de indicantibus ſignis ſanitatem in ipſa tabula, & iſte etiam eſt ordo naturæ, eo quia ſanitas eſt habitus, morbus verò eſt priuatio, quemadmodum dicit Ariſto. prædicamento qualitatis, & ſanitas eſt tanquam regula ad omnes diſpoſitiones corporis, qua ſanitate cognoſcitur & ægritudo, & neutralitas, meritóque ab iſta regula primùm erat incipiendum, deinde ab inſalubribus, poſtremò à neutris. Methodus autem ſignorum in vniuerſali

hau

hauritur à quatuor fontibus, qui ſunt vniuerſales, quemadmodum patet in tabula ſupra poſita: aut enim emanant ſigna ab eſſentia, quæ eſt, vel temperatura, vel compoſitio, aut ab operationibus, quæ ſunt in genere quatuor animalis, vitalis, naturalis, & generatiua in teſtibus: aut per excrementa, aut ab accidentibus extrinſecus occurrentib. Dabo etenim vobis rationem methodi fontium ſignorũ ad omnes tabulas. Notate, quoniam debetis ſcire, quemadmodum inquit Galę. in libro an mores animi temperaturam corporis ſequantur, & varientur ad variationem temperaturarum: quod ſi variantur actiones, & paſsiones in animali ſecundum varios gradus temperaturæ ipſius, & cõpoſitionis, prout iſtæ duæ immutantur in corpore humano, pariter immutantur etiam ipſæ actiones, & paſsiones: ſi ſic eſt, ergo nos per ipſas actiones, & paſsiones poſſumus deuenire, & deuenimus in cognitionem iſtorum in corpore. quoniam ſi actiones, & paſsiones ſint optimæ, vel malæ ſecũdum ipſam temperaturam, vel compoſitionem bonam, aut malam, debemus verſari circa actiones, & paſsiones, vt eas habemus: ex quibus cognoſcitur temperatura, ſi eam volumus habere, ſicuti etiam Ariſtotel. dicit, inquirere oportet,

quomodo, & quales actiones agunt, qualésque paſsiones patiuntur, cum omnino ex ipſis ſimus habituri tẽperaturam, & cõpoſitionẽ ſecundum naturam illius corporis. cum itaque hoc itinere procedendum ſit, & res ſic ſe habeat, prætereà videbimus quot modis ſint ſigna actionis, & paſsionis in corpore humano. Dico actiones, & paſsiones in corpore humano terminari in triplici differentia tantùm: vel enim ſic ſe habent, vt non progrediantur extrà, ſed intus retineantur in corpore, ibíque terminentur: aliæ actiones exeunt extra corpus, & terminantur etiam extra corpus: aliæ actiones medio modo ſe habent, quæ progrediuntur extra, tamen terminantur intra. porrò actiones, quæ non exeunt, ſed terminantur intra corpus, quod erat primum membrum, vel prima differentia. Hæ adhuc diuiduntur: aut enim ſunt naturales, aut animales: naturales actiones, quæ non exeunt, ſed terminantur intra ſunt illæ, quæ attinent, & faciunt ad eſſentiam corporis, vt in calore ratione tactus, in colore viſus, in duritie, & mollitie, & in piloſitate: propterea quòd conſiderantur pili, aut ratione multitudinis, aut augmenti, & ratione coloris, & ratio eſt, ſicut dixit Galen. in libro, de ſemine, quod à

prin

principio, quamuis natura, & vis formatiua eadem facit, & effingit membra ipsa secundum naturam, & substantiã materiæ; vel enim materia est dura, vel liquida, vel viscida, vel tenuis: præterea secundum potentiam, & vim caloris innati, & diuersitatem ipsius materiæ, vt dixi, variantur in principio, generantur ipsa membra, & cauitates variæ, variique meatus. secundum itaq; variam substantiam materiæ, & virtutem caloris naturalis variãtur ipsa membra, variiq; fiũt meatus, variæ superficies, variæque formationes, & variæ cauitates, & quas omnes sequuntur alia accidentia, & calor fit talis, vel talis variatur, & color: sic accidit pro diuersa natura formationis, & materiæ. Hæc omnia sunt in prima parte, atque sequuntur deinde & alia, quæ attinent ad tactum, & durities, & mollities, quę omnia sunt reducẽda ad vnam generationem, tanquam ad suum principium. istæ sunt actiones naturales, quæ exterius non prodeunt, sed intus in corpore permanent, & terminantur: & ista etiam attinẽt ad augmentum. Virtus quoque naturalis vegetatiua habet tres virtutes: primum habet generare, deinde augmentare, tum nutrire: omnia autem hęc opus est in primis habere rectè. cùm hæ sic se habeant actiones

illæ naturales, quæ intra terminantur, faciúntque ad generationem, & ad augmentum, ob id primò, pars hæc est habenda, vt recta intueri possitis formationem corporis, magnitudinem, situm, & numerum, & quæcunque continentur membra sub formatione ipsa, vt figura, superficies, meatus, & cauitates: sic de magnitudine. Si rectè vultis habere signa, ex quibus naturalibus actionibus dictis oritur vnus fons signorum, qui sumitur ab essentia, quæ quidem essentia consistit in temperatura, & in compositione corporis, ita vt cum dicimus signa sumpta esse ab essentia illa rei, sumuntur à temperatura, & compositione, quam temperaturam necesse est, vt primum cognoscamus, deinde omnes, quæ ex ea prouenient actiones. Hæc satis de actionibus naturalibus, quæ non prodeunt extra, sed intra terminantur. Dicamus itaq; de actionibus animalibus: quæ non exeunt extra, sed intra terminantur. Nam & aliæ sunt, quæ extrà sunt: quæ autem terminantur sunt cognoscendi virtutes, & dicuntur omnes potentiæ animæ interius. vel enim est imaginatio, quæ habet vnum obiectum intus, deinde est discursus, phantasia, & memoria, quæ omnes non exeunt, sed terminantur intus: hæ sunt animales interiores.

res. sunt & aliæ actiones animales externæ, quarum alia nuncupatur motiua secundum locum, & hæc pertinet ad ipsos musculos, & est propria ipsi cerebro, & ab ipso prouenit: & est alia virtus cerebri, quæ dicitur cogitatiua, quæ est in ipso cerebro, & ab ipso prouenit. Et ideo non sunt animales omnes eædem. Nam multa sunt, quæ à cerebro sunt, non tamen manent in cerebro ipso, ob eam rem quæ extra ducuntur, sunt à cerebro, non tamen in ipso, sed sunt in musculis, & hæc sunt sicut virtutes animales, quæ non progrediuntur extra. sunt etiam aliæ medio modo se habentes, quæ progrediuntur extra, & terminantur extra, quarum vna nuncupatur expulsiua extra, cum animal sit compositum, & constitutum ex calido, & humido: quod si debet viuere, assumit alimentum; quod quidem primo est dissimile ante, quàm concoquatur: deinde dum coquitur à calore innato partim fit simile, partim remanet dissimile: quod non potest assimilari, conuertitur in excrementum, & diuerso modo secundum tres varias, ac diuersas constitutiones: de quibus alias diximus abunde. excrementa quidem necessariò oportet, vt excernantur: quæ duplicem habent dffe-rentiam: nam horum quædam dicuntur,

quæ

quæ nullo modo ſunt partes corporis, ſed pro vſu eius, vt ſunt pili, qui non verè debent duci excrementa, ſed debent potius reduci ad eſſentiam corporis: quædam nec partes, nec pro vſu corporis. Habemus itaque ex his, quæ progrediuntur extra, & terminantur extra, dici excrementa, & ipſorum alia ſunt verè excrementa nullo modo partes corporis, alia debent potius dici partes corporis, quàm excrementa. ſunt autem aliæ actiones, quæ progrediuntur extrà, ſed terminantur intrà: & harum adhuc eſt duplex differentia: nam quædam actio ſic à natura progreditur extrà, vt etiãſi habeat obiectum intra corpus, tamen non eſt pars corporis, & non excedit ipſos limites corporis: quædam actio habet obiectum extra corpus, quam actionem facit, vel attratrix, vel concotrix, vel retentrix: Hæ enim tres virtutes habent ſuum obiectum extra corpus, quod quidem nulla pars corporis eſt. & ideo iſtud habent extra corpus obiectum progreſſum, non tamen locabitur, ſed extra corpus: propterea quòd extra ipſum non ſit aliqua pars corporis Alia etiam ſunt, quæ progrediuntur extrà, habentque ſuum obiectum exterius, quemadmodum ſunt omnes ſenſus exteriores, viſus, auditus, olfactus, guſtatus, &

tactus.

tactus. Hæc sunt omnia tum ab ipso cerebro, tum in ipso, ideo progrediuntur extrà, & habent obiectum extra, vt visus habet obiectum suum colorem, olfactus odorem extra, & sic de singulis aliis. habent enim omnes sua obiecta exterius posita, tamen terminantur interius. Sed quoniam iudicium, & cognitio fit in partibus interioribus rerum sensibilium, & iam patet differentia harum actionum omnium, à quibus nascitur fons alius vniuersalis signorum, & est alius fons sumptus ab excrementis secundum Gale. qui satis sit ad habendam differentiam actionum, & dispositionum omnium in corpore humano: Nam excrementa faciunt fontes dispositionum ipsarum. àctiones autem ipsæ, vel dispositiones, vel pasiones duplices sunt: alia enim ab exteriori sunt, a liena vero ab interiori, quæ sunt interius, hę proprię sunt membrorum maximè principaliũ, quemadmodum cerebri pasiones, vt somnus, & vigilia, tametsi somni, & pasiones sunt optimæ, tamẽ pasiones ipsius cerebri, quædam versantur in eodẽ genere, & in eodem subiecto, vt affectus idem ipsius cerebri, & vigiliæ fiunt actiones: tamẽ ipsæ non sunt actiones, sed pasiones: sicq; somnus facit. quanquam somnus & vigiliæ sunt affectus

cereb

cerebri, tamen proueniunt ab exteriori. Sic dicitur iracundia, quæ est affectus cordis: pruritus est passio testiculorum, fames est passio ventriculi, appetitus voluptatis est hepatos affectus, à quibus affectibus omnibus sumitur methodus ignotum & cognoscendi dispositiones membrorum. Nam à fame, & à priuatione famis cognoscitur dispositio ventriculi, quænám sit: idem dicatur de cerebro, sic de corde, sic de hepate sic de testiculis: sunt & alij affectus ab exteriori, qui proueniunt à sex rebus, & causis alterantibus, nimirum à sex rebus non naturalibus. Nam corpus quod læditur à calore, vel à frigore, vel à cibo, dum tale corpus læditur, tunc ex hac læsione in cognitionem deuenimus harum temperaturarum. Hæc enim omnia sunt rectè pernoscenda, quoniam si hæc vniuersalia applicabimus comparando particularibus, videbitis quænám fuerit vobis ista vtilitas, legatis vos modo nostram tabulam, & videbitis omnia magis clara. primus itaq; fons est ab essentia, secundus ab operationibus, quæ genere sunt quatuor, alius fons signorum ab excrementis, vltimus ab extrinsecus occurrentibus, & hæc sunt vniuersalia, de quibus posteà in particularibus est agendum.

CAPVT. IX.

HIS itaque ſic declaratis reſtat applicare vniuerſalia ipſis particularibus, accedamus ad particularia: nam de vniuerſalibus ſatis dictum eſt, circa quæ tantum inſiſtit medicus, vt ſciat ipſa recta ratione particularibus applicare, & per ipſa vniuerſalia ad particularia cum ratione deuenire poſsit per analogiſmum: eſtque deueniendum ad particularia, cum in ipſis verſetur medicus, quemadmodum facit Gal. atque particularia excernuntur, & cognoſcũtur in membris, quæ primo ſunt in duplici differẽtia: nam membrorum quædam ſunt conſiſtentia, diuiduntúrque tripartitò: vnum eſt venter ſuperior, ſeu caput, aliud eſt venter medius, quod eſt pectus, in quo reſidet cor, ſicut in primo reſidet & eſt cerebrum: tertius venter eſt, in quo collocatur hepar, quibus mediantibus homo viuit, ſine his nec viuere poſſumus, nec poteſt animal eſſe: ideo ex his præcipuè conſtituitur, reliqua verò membra tanquam adminiſtrantia, iſtis deſeruiunt tribus, & dicuntur membra, vel artus, vt ſunt brachia, manus, ſiue coxæ, quę omnia ſunt, vt famuli, & ſeruẽtia tribus iam dictis. cum ergo corpus ſic ſit diuiſum in tria membra præcipua meritò Galen. primo incipit ab

ipsis ventribus, quibus ipse homo vitam ducit, pòst de aliis pertractat, & dum incipit ab ipsis tribus nobilioribus primo auspicatur à nobilissimo aliorum omnium à capite: & quoniam est membrum nobilissimum, & sensibus valde expositum, cũ in eo præcipuè quatuor existunt sensus, ita vt nullum aliud sit membrum magis patens sensibus ipso capite. alij ventres non sic se habent, sicuti narrat Gal. Nullũ membrorum esse ita expositum sensibus, & visui, quàm caput, & ideo physionomici maximè cõsiderãt circa caput: & si rectè animaduerteritis, quæ iã diximus, euadetis optimi physionomici præter vtilitatem, quam habetis in arte medicinę. meritò itaq; Gal. à capite incipit, tanquam membro nobilissimo, & magis sensibus noto, & etiã quia semper à notioribus est incipiendum, primum à capite incipiẽdo, sic præponit quędam genera, vel fontes, aut dicamus indicia, quibus habetur, & deprehendi possit ipsa salubritas capitis, & cerebri, ita vt cum viderimus tale caput, cognoscemus an ille habeat cerebrum secundum substantiam, & temperaturam bonam, siue malam: indicia verò, vel signa per quæ potest cognosci tẽperatura cerebri siue bona sit, néne, sunt sex, quorum quinque sunt essentialia,
&

& aliud accidentale, siue ab extrinsecus aduenienté, sicque facit Gale. nam proponit quinq; indicia essentialia, aliud accidentale, & separatum. modo accedamus ad textum. ISTA INDICIA &c. Indicia autem singularum temperaturarũ sumpta à cerebro. DE INDICIIS DEINCEPS DICEMVS &c. Quare sic à capite incipiat iam superius vidimus.

CAPVT. X.

SVNT ergo quinque &c. Et sic persequitur enumerando: primum quidem dispositio totius capitis, quoniã diximus fontes signorũ omnes oriri ex duobus, vel ab actionibus, vel à passionibus corporis: actiones enim, & passiones producunt omnia, quæ cõtingunt circa corpus nostrũ, ab aliis locis nequaquã sumuntur signa. nam sumus in particularibus, videamus modo, si quod dicit Gal. verũ sit in particularibus ipsis nécne? nam dicit esse quinq; signa, vel genera insita, ostendentia naturam ipsius capitis: & primum dicit, quæ est totius capitis dispositio, quæ dispositio à magnitudine sumitur, à figura, & à capillis, vt apparet in sequenti capite. Itaque indicium vt fons oritur, aut ab actionib. aut à passioni-

bus,cum totius capitis dispositio consistat in figura, in magnitudine, & in capillis: magnitudo autem vnde oritur, & vnde producitur? Dicebamus naturam à principio generationis facere membra secũdum talem, vel talem figuram, secundũ naturam materiæ, & secundum virtutem formatiuam, & fortitudiné caloris innati fit tale, quandoque membrum, vel tale, vel talis, vel talis figurę in colore, in duritie, in asperitate, & in molitie. generatiua enim & augmentatiua virtus, & operationes sunt, quæ faciunt, & producunt membrum secundum dispositionem materiæ: ex qua fit mẽbrum ipsum, & sic etiã omnia facit. Vnde quãdo dicit Gal. dispositio cerebri sumitur ab his tribus à magnitudine, figura, & capillis, intelligit de virtute augmẽtatiua, & generatiua, quia magnitudo oritur ab his duobus secũdum dispositionem materiæ. sumatur ergo indicium capitis, & cerebri primum à dispo sitione, & virtute generatiua, & augmentatiua. sed dicat quis cur Gal. Non dixit ab operationibus, sicut dixit à dispositione, quæ constat magnitudine, figura, & capillis? Notate operationum quædã sunt per se, & per se indicant occultum, & dispositiones membrorum latentes, quemadmodum omnes virtutes sensitiuæ tam exterio

exteriores, quàm interiores, quæ & per se manifestant sine aliquo medio dispositionem membrorum, ex quibus dispositionibus oriuntur operationes, vt de intellectu: si quis bene cogitat, tunc indicatur cerebrum esse sanum: & de oculo, si quis bene videt, indicat sanitatem in oculo, & illud organum esse bene temperatum, benéque dispositum. istæ igitur operationes habent immediatè indicare temperaturam, vel dispositionem membri, qualiscunq; sit. sunt autem & aliæ operationes pariter occultæ, quæ non indicant dispositiones immediatè, sed mediatè, quæ media sunt operationes, & effectus illi producti, qui habent indicare dispositionem illius membri: quænám sunt istæ virtutes, quæ per media sua indicant de dispositionibus membrorum? hæ sunt generiua, & augmẽtatiua, quæ non per actiones, & passiones, sed per operationes, seu per media indicant, & hoc potest haberi à principio generationis, an sint fortes, & validæ, vel non, & tantum per sua media, & per suas operationes faciũt, hocque maximè virtutes naturales, quæ indicant de fortitudine, vel debilitate ipsarum vurtutum naturalium. Vnde Galen. volens ostendere virtutem generatiuam, & augmentatiuam validas esse, declarat id ex

operationibus, & affectibus generatiuæ, & augmentatiuæ, à quibus magnitudo peruenit, figura, & capilli. Itaque merito Gale. dicit totius capitis dispositionem ex magnitudine, & figura sumi, atque capillis, quæ tria si fuerint, vt esse debent, & secundum naturam, erit etiam secundum naturam eius dispositio, licet Gale. non ponat suas conditiones, quæ sunt & durities, & mollities in mediocritate, calor viuidus, & suauis in tactu, capilli, & pili moderati in multitudine, colore, & augmento: & quod color eius sit visu iucundus, quæ conditiones consequuntur virtutem generatiuam à principio, & augmentatiuam: meritoque tantum hæc tria posuit: alia tacuit, & suo loco dicet de illis, vt ostenderet fortitudinem harum, virtutis nutritiuæ, & augmentatiuæ: dicit autem magnitudo est, vt oportet sic figura, sicque capilli, & sunt talia temperata, tria indicant tūc cerebri, & capitis bonam substantiam, & bonam temperaturam, & per oppositum si fuerint ægra, & mala magnitudo, figura, & capilli indicabunt malam cerebri temperaturam, & malam substantiam, & hoc indicio sumpto ab operationibus naturalibus intus permanentibus, non extra progredientibus. SECVNDVM VERO SENSIBILIVM OPERATIONVM

NVM VIRTVS, ET VITIVM &c. Secundum indicium, vel secundus fons est à sensibilibus operationibus, à virtutibus, & à vitiis, quæ omnia videntur oriri, & oriuntur ab actionibus. Quænam sunt istæ operationes? sunt quæ progrediuntur extra, & terminantur intrà, sunt omnes virtutes cognitiuæ sensuum exteriorum: prodeunt enim extra, propter obiectum suum, per quas virtutes quandoque datur cognoscere dispositionem capitis, quod est vegetum in omnibus sensibus. quia si sensus erunt vegeti, indicabunt cerebrum validum, in quo oriuntur. ET TERTIVM ACTIVARVM &c. Tertius locus est, qui sumitur à virtutibus actiuis, à motu virtutum id est, à motiua virtute, quæ est actiua, quia mouet totum corpus, & iste est locus sumptus ab operationibus, & actionibus animalibus motiuis, quæ actiones animales motiuæ mouẽt non tamen ducuntur extrà, sed intus terminantur: quoniam habent suum instrumentum intus, ideo intrò terminantur eius operationes. talis igitur est virtus animalis motiua. QVARVM PRINCIPALIVM &c. Iste quartus locus est valde proprius ad indicandam temperaturam cerebri, quia est fons earum virtutum, quæ in cerebro tenent principatum, ideo ad hoc sunt ma-

ximè propriæ:& licet sensitiuæ, & motiuæ, sint à cerebro, non tamen sunt in ipso, eo quod non valet, oculus est malæ substantiæ: ergo cerebrum malum. Hoc inquam non sequitur necessariò, quia oculus est instrumentum particulare. pari modo si virtus motiua est quandoque debilis, non debet necessariò argui, ergo cerebrum est male affectum, quia potest esse cerebrum bene dispositum ipsa existente debili, & læsa. Itaque hæc in cerebro non sunt, tamen ab eo fiunt. Quænam sunt hæ præcipuæ virtutes? sunt cerebri virtutes interiores; quę sunt à cerebro, & in ipso permanent, sunt ideo omnes cogitatiuæ imaginatio, ratiocinatio, & memoria, suntque in cerebro hæ, & perueniunt ab illo, vt à suo proprio instrumento. vnde bene nunc valet, si bonum est cerebrum, ergo & ipsæ necessario optimæ, & sanæ sunt. si verò à contrariis hæ fuerint læsę. ergo & cerebrum erit malè affectum, quia semper in ipso sunt, & ab eo dependent. nam nullum habent instrumentum, sic itaque valet affirmare genere, quoniam vegetæ indicantur hæ bonæ, sunt virtutes tres animales interiores, ergo & cerebrum sanum erit. si verò malæ, & læsæ: ergo & cerebrum. ET QVINTVM NATVRALIVM &c. Quintus locus sumitur

mitur etiam ab actionibus tantum, quæ ſunt naturales, & quatuor videlicet attractio, retentio, concoctio, & expulſio. & notetis ex ſe iſtæ virtutes non patent, & ſi ab ipſis ſumuntur indicationes de bonitate, vel malitia cerebri: nam nemo has videre poteſt, ſed tantum nunc earum operationes, & ſui affectus. & ideo cognoſcuntur per alia ſigna, quàm cognoſcantur cæteræ virtutes animales, & vitales. In harum enim cognitionem deuenimus per ſuos affectus, vt per ſua excrementa, eſſe bona concocta, aut non concocta, ſed inquinata, tunc qualia erunt dicemus, & concoctionem ſui nutrimenti talem eſſe: ſi bona excrementa apparuerint, ergo bona concoctio facta eſt, & virtutes naturales erunt optimæ, & ſanæ. ſi verò ſunt inconcocta, vel arefacta indicabitur idem de ſua concoctione. ergo actualis virtus concoctrix læſa. virtus etiam expulſiua indicabit de ſua bonitate, vel de ſua malitia per tempus: quia ſi debito tempore excreta fuerint excrementa, erit bona expulſio: ſi verò nimis citò, vel nimis tardè, læſa eſt expulſiua. retentiua verò indicatur ſana, vel læſa ex pondere excrementorum, vel ex rugitu: propterea quòd ſi ſentiemus rugitum, & nimis aggrauetur, indicant reten-

tricem esse læsam. itaque si hæ virtutes peccant, aliorũ ratione mẽbrorũ peccant, quia non bene digeritur alimentum. nullaque harum virtutum est, quæ ex se cognoscatur, nisi merito suarum operationum, & suorum effectuum, vt per excrementa ipsa, à quibus operationibus debemus sumere indicationes earum, quia patent ipsæ, non autem, quæ latent. quod quidem & Galenus facit inferius, & hoc etiam diximus in tabulis. hactenus habuimus quinque genera, vel quinque fontes signorum de dispositione totius capitis ab actionibus, restat nunc & aliud secundum genus, quod sumitur à passionibus, & non est hoc ab essentia, sed ab extrinsecus occurrentibus. passiones autem sunt in duplici differentia, quarum aliæ oriuntur ab interiori, aliæ ab exteriori: ab illa, vt somnus, & vigiliæ: sed partim eas prætermittendo Gale. silentio transit internas. nam non propriè de his hic agit Gale. quod postea vbi aget de particularibus, seruat. tacuit enim hoc in loco hũc secundum fontem sumptum ab effectu intrinsecus, sumpsit tantum locum à passionibus exterioribus, quæ sunt accidentia extrinsecus occurrentia maximè signum est horum, quando quis afficitur à nocumento in capite per calidum, frigidum, humidum, & siccum:

atque colligitur hoc signum, quando quis bene tolerat, vel male tolerat. ex hoc maximum documentum affertur vobis ad cognoscendam cerebri temperaturam, vt melius videbitis in particularibus, quando hęc tolerantia afferat maximam notitiam ad cognitionem dispositionis capitis & cerebri, & ista sunt sex capita vniuersalia tradita à Gale. ad cognoscendam cerebri temperaturam, de quibus sigillatim in particularibus pertractabimus.

CAPVT. XI.

INCIPIT modo Gale. à particularibus dicens, ET QVIDEM TOTIVS CAPITIS DISPOSITIO &c. ET MAGNITVDINE. Incipit à magnitudine &c. PARVM IGITVR CAPVT VITIOSAE CONSTITVTIONIS CEREBRVM ESSE PROPRIVM EST INDICIVM &c. Quantum ad primum membrum, vel ad primum genus horum sex de quantitate, figura, & capillis, primum incipit Gale. à ipsa magnitudine. Vnde debetis notare quemadmodum natura fecit hos tres ventres, & hæc tria membra principalia, & præparauit etiam ipsis sua receptacula conuenientia, & domos suas, vt be-

ne vnumquodque illorum collocetur. Itaq; in ventrem inferiorem posuit ipsum hepar, sicut medium præparauit cordi, supremum verò cerebro. Vbi enim fuerit hæpar sanum, & bonæ temperaturæ, tunc hæc signa bona apparent in magnitudine, & in figura: quoniam venter ille erit magnus, & proportionalis hepati, sic dicamus de medio ventre, nimirum de thorace, in quo residet cor, qui secundum temperaturam cordis erit vel magnus, vel paruus, vel altus, vel profundus: sic dicendum de capite, quod eadem ratio fuit de eo, sicut de aliis duobus membris in cerebri temperatura, tale erit circa caput: si cerebrum temperatum, caput ei quoque proportionatum, & optimum: hæc enim machina capitis mira arte fuit facta à natura, ratione magnitudinis, & substantiæ cerebri. nam habet homo cerebrum, maius cæteris animalibus, quemadmodum in quodam discursu dicit Gale. in sexto epidemiorũ commento primo apho. secundo: his enim sic stantibus cum caput sit genitum ratione substantiæ, multitudinis cerebri, dicit optimè Aristo. in secundo de partibus animalium cerebrum à natura genitum esse maius hominibus, quàm in aliis animalibus, quoniam homo habet plurimos vsus ad ipsum attinentes cerebrum:

vtpote qui eſt plurimarum, & maximarum operationum in motu, in diſcurſu, & cerebro vtitur ad vſum vitæ, & non tantùm ad plurimam ſubſtantiam cerebri, & maiorẽ, ſed etiam habet plurimos ſpiritus. Et ideo propter magnitudinem eius, & multos ſpiritus fuit neceſſarium magnum etiam os præparari, quod commodè amplecteretur ipſum. Vnde dicimus cum Gale. vbi caput erit paruum, neceſſariò illud erit malum. nam ſi pauca ſubſtantia cerebri erit in capite paruo, illud quidem manifeſtũ malum: quia paruum in ſubſtantia cerebrum non poterit conficere bonas operationes. quod ſi multa erit cerebri ſubſtantia in paruo capite, tunc læditur illa ſubſtantia, non commodè continetur huiuſmodi ſubſtantia in hoc capite: ergo etiam malum caput, vbi ſubſtantia multa, & ſi hoc raro contingat, cum multa ſit cerebri ſubſtantia in paruo capite. ſemper ergo caput paruum erit malum. nam non eſt probabiliter, & optimè conſtitutum, & per conſequens non poteſt bene ſuas operationes exercere, & ſi eſt plurima ſubſtantia, neceſſario debent eſſe plurimi ſpiritus, qui plurimi non poſſunt includi in capite paruo, cum multi ſint ſpiritus ipſi. itaque neceſſariò caput paruum ſemper erit malum: quod vitium paruitatis

capitis

capitis fit in generatiua virtute, vel in calore debili, & ideo signum est, quod natura in principio generationis non habebat materiam idoneam. & notandum est hoc, quod dicit Gale. de paruo capite hoc tantum verum esse de homine. nam in animalibus brutis, vt in equo non ita est: modo in equis, opposito modo debet se habere hoc dictũ, quod debeat habere caput paruum, quin ipsi non egent hac operatione, vt discurrãt, sed magis egent velocitate. Vnde fit, vt caput paruum in equis sit magis laudabile, quàm si non paruum sit: propterea quòd sunt viuaciores, & ipsi, vt diximus, nõ egent virtutibus animalibus interioribus, quibus homo eget. non enim se habet exercere cũ cogitatiua, sed in velocitate currendi: ideo natura fuit prudentissima, dum dedit caput paruum equis, vt essent veloces, & agiles. Vnde boni sunt equi illi, qui habent partem anteriorem capitis paruam: posteriorem verò crassam, & latam, à qua nerui, & spondyllia oriuntur propter motum, & validitatem. caput ergo ante equo debet esse paruum, post in capite latum, & ceruix valida cum diuersa munera habeant fungi: boniq́ue equi sunt, qui caput paruum habent, & sic dicimus dictum Gale. nunquam laudabile caput paruum, esse verum, sed

tantum in hominibus. In brutis autem multis minimè. PARVM IGITVR &c. Paruum itaque caput necessariò malum in homine, magnum verò non necessariò indicat bonam cerebri temperaturam, compositionem. Sed quare hoc: quoniam ex magnitudine capitis indicatur multa materia cerebri, & ideo hoc erit bonum signum, vbi cerebrum magnum, si etiam cætera, quæ inferius dicemus, affuerint: sed si alia non aderint, poterit bene esse cerebrum magnum, tamen sit figuræ admodum rebellis, & incongruæ. non ergo bonæ substantiæ, quia & si fuerit cerebrum magnum, tamen potest esse malæ temperaturæ, ideo requiruntur etiam aliæ ad indicandam bonam substantiam cerebri. præter magnitudinem enim duo sunt necessaria ad bonitatem cerebri, quod sit multū, & bonæ substantiæ: nā debet esse substantiæ mediæ inter mollitiē, & duritiē, mediocrisq; inter leuitatē, & asperitatē, nec nimis calidū, nec nimis frigidū, aut valde siccū, siue nimis humidū: nā ex humiditate nimia redditur imbecille cerebrū. Quare videmus, quod magnum caput non indicat necessario bonam cerebri substantiam, nisi sit mediocre, & temperatum in qualitatibus actiuis, & passiuis primis. ET IN MOLITIE &c.

Potest

Poteſt enim cerebrum, vt ſæpe apparet, eſſe magnum. & tamen ſegne, vel nimis aſperum in ſubſtantia, tunc erit malum ſemper ſicut & paruum neceſſario ſemper eſt malum. dicit ergo rectè Gale. magnum caput non indicare neceſſariò bonitatem cerebri, ſed quomodo diſcernemus an cerebrum magnum ſit bonum, vel malum. Dicit Gale. quod hoc cognoſcitur ab ipſa figura capitis, & ab agnatis cerebri anterioribus, vt ab oculis, & agnatis poſterioribus, quemadmodum ſunt vertebrę, & nerui, & à ceruice. iſta enim ſunt agnata eſſentialia cerebri, ſi debet cerebrum eſſe bonum, & laudabile, oportet, quod ſua figura, & ſua agnata ſint optima quantum ad figuram, debetis ſcire, quod magnitudo capitis, & cerebri ſequitur magnum, & fortem calorem naturalē, & ſic dico ad bonam figuram capitis ſequi bonam ſubſtantiam cerebri. nam vbi materia fuerit bona, & obediens, & calor fuerit fortis, fit per virtutem formatiuā à principio caput proportionatum, cum debita, & optima, ac concinna figura; ſed quænam eſt optima figura capitis? Dico illam eſſe congruam ad vſus exercendos optimos, qui modo ſunt vſus exercendi capitis, & cerebri, dico cerebrum eſſe factum propter decentes ſenſus exteriores, & interiores, & pro-

pter decentes ſenſus exteriores, & interiores,& propter motum. ſenſus verò oriuntur à parte anteriore capitis, motus autem à poſteriori. ſed illud membrum eſt optimum ad vſus exercẽdos, quod habet ſuam figuram concinnam, & aptam. ſi cerebrum modo debet exercere optimè ſenſus, & motum, oportet, vt in cerebro à parte ante, & poſt eſſent propagines tendentes extrà, & eminentias à parte anteriori, & à parte poſteriori etiam propter ſpondylia valida, & nernos facientes ad motũ. vnde optimum caput debuit habere ſcilicet ante, & poſt & quoniam ſubſtantia cerebri, vt habetur octauo, & nono de vſu partium, debuit eſſe ad multos vſus; conueniens fuit etiam figuram capitis, & formam eſſe rotundam: quoniam figura, quæ eſt rotunda dicitur eſſe optima: ideo forma illa erit magis conueniens ad vſus. prætereà debuit ſic eſſe figura capitis, quia minus nocetur aliis ab extrinſecus occurrentibus: hæc inquam eſt capaciſsima, & minus læditur. Itaque colligitur formam rotundam, vel ſphæricam capitis, & neceſſario debere eſſe, quoniam indiget his duobus: primum, vt ſit rotunda figura, ob cauſam iam dictam, & quia magis ad vſum apta, & minus læditur, quamuis figura ſphærica ſit compreſſa à

lateribus,& eminens à parte anteriori, & à parte posteriori, propter sensus, qui anterius oriuntur, & propter motum, qui posterius oritur à neruis,& spondyliis, tamen caput istud erit optimum,& ille homo habens huiusmodi caput habebit omnes sensus bonos, & vegetos, & erit boni intellectus, optimíque discursus, & motus erunt optimi,& validi:quia figura hæc est optima. Figura verò capitis deficiens, & declinans ab hac perfectione, & ab istis conditionibus est mala,quia vel est vitium à parte ante,vel à parte post. Et ideo qui defecerint in parte anteriori tantum, homines illi sunt prompti admodum, & fortes: in sensibus autem sunt segnes,& pigri, & malorum morum.qui verò deficiunt tantummodo à parte post,illi contra sunt boni sensus,optimè discurrunt, boni ingenii sunt, & habēt bonos mores,sed debiles,& manci in motu,& fortitudine corporis.quod si caruerint ambabus eminentiis, deficientes & ante,& post,illud est pessimum signum, & quoad sensus, & quoad motum. tales inquam dicuntur à Græcis φόξοι auari, quia caput est valde diminutum.non enim sunt tantum stupidi, sed inutiles ex toto, tam ad actiones motiuas,quàm animales. Vnde bene Homerus descripsit caput Thersitis,

fitis, qui erat in omnibus inutilis, quoniam habebat nec anteriorem, nec posteriorem eminentiam. Vtrum modo detur quarta figura capitis, quemadmodum habetis in octauo, & nono de vsu partium, quæ figura habet eminentias à lateribus, vbi sunt aures? dicit Galen. non posse dari talem figuram, nec quidem rectè imaginari: quomodo posſit esse, si eminentia anterior est facta propter decorum sensus, & ponatur eminentia talis à latere, hoc non potest esse, quia non videmus in auribus, & sensus est præcipuus in capite: nec in lateribus potest esse eminentia posterior, quia spondylia, & nerui facientes ad motum non possunt esse à cerebro, nisi per partem posteriorem. & ideò non potest secundum Galen. dari tale caput habens eminentias à lateribus, propterea quòd si imaginantur posse dari, hoc est monstrosum, & pesſimæ figuræ, & licet Gal. neget hoc non posse dari, tamen Andræas Vesalius dicit, & affirmat se vidisse talem figuram in multis hominibus: vtcunque sit iam habetis, quid sit figura bona naturalis cerebri, & capitis, & quæ mala, & præternaturalis. Debetis itaque scire, vt dicit Gale. his visis caput magnum concinnum, & cum bona figura ex toto bonum

esse,& laudabile,& habere eminentias anterius,& posterius.nam tale caput erit validissimum,& optimum,vt dicit Gale.in sexto epidemiorum commento primo apho.secundo.tale fuit caput Periclis Atheniensis,qui fuit vir optimus:habebat enim maximum caput, ita vt ab illis diceretur prudens:tamen erat validè concinnum,& propagines ambæ optimæ erant:habebat optimos sensus,& valida agnata. efficacissimum ergo erat simpliciter huiusmodi caput,& ob eam rem vir ille fuit præstantissimus. bonum verò erit illud prout non simpliciter deficiat. quod si deficiat eminentia anteriori,tantum erit bonum in parte posteriori; quemadmodum sunt baiuli isti,qui sunt validissimi corpore,tamē sunt sine ingenio,sine discursu, & ratione inertes,ideo in sensibus.quod si opposito modo fuerit caput, etiam id caput erit bonum tantum secundum quid, & si deficiat eminentia posterior,sed desit pars anterior conueniens,vt fuit Aesopus,qui quidem fuit piger,& deformis,& debilis ad motum,tamē habuit integros, & debitos sensus omnes, ideo fuit ingeniosus valde, & prudentissimus.præterea à tali capite fiunt alii defectus in homine.sed si quidem caput ad insitæ virtutis robur,inquit Gale.fuerit magnum,

gnum,bonum ſignum eſt,quod virtus formatiua à principio generationis fuit valida,& fuit multa materia proportionata, & bona cum calore forti,& omnia requiſita debita:quod ſi oppoſito modo apparent, nō bonum ſignum erit,ſed ſignum, materiam fuiſſe ſegnem,& hoc cognoſcitur ex duobus ſignis ex figura mala,& agnatis cerebri:quod videbitis aut anterius, aut poſterius,aut ab vtroque, ſicut manifeſtauimus in tabulis. FIGVRA QVIDEM SI CONCINNA &c. Bonum erit illud ſignum boni capitis,ſi figura eius fuerit concinna, & apta,pro quo intelligatis, vt plurimum de ambabus propaginibus,& de agnatis, cum orta ſemper atteſtentur de ſuis principiis. ſi enim ſenſus optimi,& nerui validi, ergo & ſubſtantia cerebri erit optima. PROPRIA AVTEM CAPITIS FIGVRA &c. Iam diximus, quæ ſit figura ſphærica capitis, QVAE VERO VNICVIQVE CONSISTVNT &c. Accedamus modo ad literam:in hac parte Gale. declarat magnitudinem capitis cum aliquo vitio, quomodo ſit indicanda. Vnde veteres quidem, magnitudo capitis, & figura poſſunt variari, & eſſe varia,& ſic poteſt cerebri temperatura vitiari:nam magnitudo, & figura faciunt bonum caput, vel malum. igitur ex

diuersitate horum duorum potest variari indicatio de temperatura cerebri. quæritur modo, si potest dari caput paruum cum concinnitate, & bona figura, deinde quæritur, si datur tale caput paruum cum bona figura, an sit laudabile nécne? ad primum respōdeatis, vtrum posſit dari tale paruum caput cum concinnitate, dicatis posse dari: & ratio est, vt dicit Aristo. in libro de iuuentute, & senectute, quòd natura semper eligit, quod melius est in suis actionibus, quæ est iustissima. stante posito hoc, quod in principio generationis pauca substantia cerebri, calor naturalis bonus, & virtus formatiua valida sit, sed pauca materia, tunc necessario per hæc media fiet caput paruum, sed bonum, & concinnatum in figura: postquam natura cogit generare caput paruum, tamen facit ipsum cum figura laudabili: quia etiamsi materia pauca sit, tamen est obediens. Sequitur ergo ex his omnibus tale caput paruum esse, sed concinnum potest oriri. Ad secundum modo an posſit dari talis figura capitis parua, & concinna, quæ sit bona, respondeo non, siue tale caput paruum sit concinnum, siue non, quoniam talis figura capitis parua, vel concinna, vel non semper est mala: nam omnium natura constantium sem-

per

per debet eſſe.quum determinata quantitas, vt viuus homo ſecundo de Anima, & æternum, ſi debet habere bonitatem, debet habere ſuam debitam quantitatem: quia in tali capite paruo non ſit recta, & debita quantitas, non erit igitur bonum tale caput aliquo modo, ſed malum.

Sed ſi caput paruum eſt bonæ ſubſtantiæ, & bonæ temperaturæ, & formatiua virtus, quæ ipſum formauit, fuit valida, & habet etiam figuram idoneam ad operationes fungendas, quoniam propago anterior, quæ eſt pro ſenſibus, eſt congrua, videtur eſſe bonum, deinde concinnitas poſterior, quæ facit ad motum, & fortitudinem corporis eſt apta. Vnde fungetur officio ſuo, cum bene agat tale caput: quod ſit bonum tale caput, apparet: nam vnumquodque membrum, quod exercet optimè ſuas operationes, illud proculdubio debet dici ſanum. prætereà iſti, qui tenent tale caput eſſe bonum, habent autoritatem Ariſto. in primo de hiſtoria animalium, quo in loco dicunt noui Ariſtote. ponere caput paruum eſſe ſignum maximæ prudentiæ in homine: ergo caput paruum, & concinnum eſt optimum, non malum, ſícque Gale. maledicit. cum ſuis his ambiguitatibus permittunt hoc dubium inſolutum inter Ariſto.

& Gale. ſed nos dicimus partem affirmatiuam tenendam eſſe cum Gale. caput paruum, quodcunque ſit, ſemper de neceſsitate eſſe malum: primùm quia ſubſtantia cerebri eſt pauca, à qua proueniunt operationes, nam homo debet habere magnam ſubſtantiam cerebri, quod naturale eſt, qua parua exiſtente non poteſt fungi homo ſuis operationibus: & ſi talis ſubſtantia eſt bona, tamen eſt pauca. Ideo deficiente ea in quantitate, nihil etiam valet formatiua virtus, nec calor naturalis, nec debita, & concinna figura, deinde tale caput eſt malum propter ventriculos cerebri: nam ſi pauca ſubſtantia aderit, neceſſariò parui ventriculi: ſed ad bonas agendas functiones conuenientes requiruntur ventriculi cerebri proportionati in quantitate, ideo cum ſint coarctati, & parui, non poſſunt fungi officio ſuo: ſícq; mali, & malum caput paruum. tertio ratione ſpirituum eſt malum, quoniam ſpiritus ſunt neceſſario facti ad omnes actiones obeundas. ſed ſi parui fuerint ventriculi cerebri, ſpiritus coarctantur, & ſuffocantur ibi. vnde à ſuis operationibus naturalibus impediuntur, & exercentur cerebri ſubſtantiæ. Nam cum clauduntur intus, neceſſario ſunt ibi, habéntq; comburere ſubſtantiam cerebri. omne enim
cali

calidum in loco angusto,modo non subitò suffocentur, efficitur seipso acutius, & comburitur:sic dicitur de spiritibus. Itaque caput paruum, siue concinnum, siue non, semper necessario est malum. Ad Aristo. autem, dico istos malè intelligere Aristo. quod quidem dicit caput siccum magnũ, vel paruum esse signum prouidentiæ:non enim legitur absolutè, sed cum respectu: quia dixerat superius, quod qui habent caput humidum, sunt mali,quia spiritus eorum sunt segniores. non ideo elegit caput paruum malum, sed in spiritus natura,vt dixit Philosophus in illo libro, suprà dixerat omnes infantes & pueros,qui habent caput magnum,& humidum, & excremen tosum esse segnes,& pigros,& malos:propterea quòd sunt inepti ad operationes obeundas propter nimiam humiditatẽ exuberantem quia spiritus sunt nimis humectati,& segnes. Oppositum verò huius capitis est bonum,quod paruum est, & siccum.neque verò loquitur Aristo.absolutè caput paruum esse bonum,& signum prouidentiæ:sed in respectu loquitur ad magnum caput,& humidum, dum non fiunt adulti,si remanet caput paruum,& siccum, illud est bonum,& signum prouidentiæ,ac prudentiæ. ergo non loquitur de paruo ca-

pite, quod sit bonum in specie. si verò in pueris magnum caput restat, magnum illud est signum stoliditatis. vnde isti qui profitentur physionomiam, non debent in medium afferre librum Aristo. de physionomia; quoniam in hoc Aristo. non debemus credere, cum dicat, quod proportio membrorum faciat operationes. si enim verum est, quod proportio membri reducatur ad operationes, fuisset necessariũ idem versatum fuisse in cognitione membrorum, partiúmque & dissimilarium, & similarium, in qua tamen Aristo. nihil fuit versatus, & dicit Auerroes ibi Philosophum non posse afferre veritatem huiusmodi, quemadmodum faciunt, qui versati sunt in Anatomia, sicut Gale. cum autem Aristo. non fuerit versatus in cognitione membrorum similarium, non potest afferre bonas rationes, quòd proportio membrorum faciat operationes. Itaq; suus liber de physionomia non est laudandus; quoniam tradit plura absurda, maximè vnum signum inter alia de oculis, vbi dicit, quod qui habent frontem eminẽtem cum oculis cauis, illi sunt prudentes: quoniam frons est eminens, & dicit Arist. illos assimilari serpentibus. At hæc non est causa vera, quia assimilentur serpentibus: nam serpentes non

sunt

ſunt prudentes,ſed quia cerebrum eſt exic=catum,& habet bonam temperaturam,vnde ſpiritus redduntur tenuiores,& adeſt bona cerebri ſubſtantia,ideo Gale.in libello an animi mores tẽperaturam corporis ſequantur, vt etiam Democritus atteſtatur, dicit ſiccitatem in cerebro, & ſpiritus ibi vegetos arguere prouidentiam, oppoſitum verò his arguit oppoſitum. Itaque eſt potius tenendum cum Gale.propter rationes iam dictas.caput paruum eſſe malũ,quod ſit paucæ ſubſtantiæ,& vẽtriculorum paruorum cerebri,& ſpirituum intro incluſorum:ex quo actiones bonæ omnes impediuntur.Non autem eſt credendum Ariſto. qui non adeò exercitatus fuit in his. caput ergo paruum, vel concinnum, vel non de neceſsitate ſemper malum:quoniam verò intextu ſunt nonnullæ ambiguitates, volui hæc dicere,vt vos omnem perfectã notitiam haberetis,& quomodo caput paruũ, & magnum,cum concinnitate faciant varia indicia cum ſuis agnatis circa operationes cerebri.poteſt enim eſſe caput & magnum, & paruum , ac vnumquodque horum aut concinnum, aut inconcinnum,& horum quodlibet caput poteſt habere ſua agnata poſterius,vt cõplicationes ceruices varias,& neruos,ſpondylia vel valida,vel

debi

debilia, vel craſſa, vel tenuia. quod dico in poſteriori parte, idem dicatis in parte anteriori de ſuis agnatis, in quibus poſſunt fieri variæ complicationes ipſorum. & ideo etiam fiũt varia indicia ex variis operationibus à diuerſis complicationibus. cúmq; capitis figura multis modis variari poſsit, ad habendam ipſam ſubſtantiam cerebri, neceſſe eſt habere hęc omnia exquiſitè: ſed quoniam iſta ſunt pauliſper difficilia, faciléque à memoria labuntur, ideo pro veſtra vtilitate has duas tabulas fecimus, quæ habeant indicare omnia iam dicta, & in eis poſuimus nouem complicationes de magna, & parua figura capitis. prima complicatio vel primum caput eſt, quando caput eſt mediocre in magnitudine cũ ſuis agnatis bonis, & eius figura laudabili, tunc hoc ſignum eſt cerebrum eſſe bonũ, & in temperatura, & in ſubſtantia, & bonũ motum, qui ad cerebrum attinet, niſi impediat cor, iſtud caput erit quidem optimũ. Nam eſt, vt regula aliorũ, ad quod omnia reducuntur. & iſti plurimum pollent in his operationibus, quantum ad cerebrum pertinet. ſecundũ genus capitis, vel gradus eſt, quando caput eſt magnum, & vtrinque concinnum antè, & pòſt habet ſuas eminentias, & agnata ſua magna antè, & retrò: iſtud caput

put parum declinat ab optimo capite. Habentes autem tale caput dicuntur sapientes, & validi, non tamen formosi, sed deformes satis. sed qui medij sunt, illi dicuntur magis sapientes, quàm qui sunt in secundo gradu, habéntque multam cerebri substantiam, & bonam. Tertius gradus est, quando caput est magnum, & cōcinnum: sed concinnitas tantum est à parte antè, quæ pars anterior est eminens, quę habet agnata sua valida, à parte verò posteriore caret eminentia, & agnata, posterioráque debilia iste gradus habet, dum est magnum cum eminentia anteriori, & concinna, sed posterius deficit, & dico istud caput semper indicare substātiam cerebri multam, sed humidam valde. & ideo est inepta ad constitutionem cerebri, quia deberet esse siccior, cum cerebellum constituatur à siccitate. habet igitur tale cerebrum materiam multam, sed humidam nimis: sed isti viri sunt deformes, & debiles, tamen sunt pudentes, & bonorum morum. habent enim partem anteriorem concinnam, & laudabilem, quæ est apta ad recipiendos spiritus, ideóque in tali parte cerebrum est bonæ substantię ad recipiendū antè, quia pars posterior manca, & debilis est, suntque debiles isti, & deformes, sed sapientes, & optimi. Quartus

gradus

gradus est oppositus huic tertio dicto: nam in hoc est caput magnum, quoniam habet eminentiam tantum à parte pòst; in parte verò anteriori minimè. qui etiam viri, tale habent caput, sunt valde robusti, sed mali, viríque obstinati. in his enim est cerebri nimia siccitas, quemadmodum accidit in baiulis. licet sit materia multa, tamen nimis sicca est. quintus gradus est, in quo, & quando caput est paruum, & vtrinque concinnum, habétque sua agnata ante, & retrò concinna, & valida, est etiam malum caput: sed non pessimum, quoniam tale caput indicat hoc cerebrum bonæ substantiæ, sed admodum paucę: atque malum est signum, virtúsque fuit valida à formatione, sed defecit materia. tales homines sunt obstinatissimi, supersticiosi, melãcholici, miniméque studiosi, & aliquo pacto non habendum est commercium cum ipsis, & sunt tandem pessimorum morum: & ratio est, cum caput vndique paruum sit, spiritus in cerebro coarctantur, & dum occluduntur, igneunt, & adurunt cerebri substãtiam. itaque caueatis ab his hominibus, caput paruum habentibus. Sextus gradus, quando caput est paruum, & ante est cõcinnum, sed posterius non: imò inconcinnum. isti non sunt sic mali, vt in quinto gradu iam

dicto,

dicto, satis bene cogitant, sed sunt debiles. Septimus gradus est eorum, qui habent caput paruum, sed posterius tantum concinnum, anterius verò non: & isti sunt dementes, stupidi, maligni, iracundi, tamen sunt validi: ratio est, quia istis ventriculi anteriores cerebri sunt bene positi, tamen sunt valde parui: vnde spiritus alterantur à corde: propterea quòd sunt depressi, non possunt exhalare. quare isti tales sunt necessario mali. octauus gradus habet caput magnum, vtrinq; verò incõcinnum, neq; ante, neque post est concinnum, nullámq; habet eminentiam. isti sunt stolidi, quemadmodum stultorum genus hominũ horum est in his mentibus, & in aliis, talis quidem indicat materiam multam, sed ineptam, & inobedientem calori: quoniam calor non potuit bene effingere bonam formam ex ipsa. atque sunt quemadmodum plantæ, & rarò est, quod non habeant membra alterantia, ideo sunt sicut monstra in specie humana. Nonus gradus habet paruum, & vtrinque inconcinnum sine eminentia aliqua, ideo in omnibus operationibus sunt pessimi, & turpes, deformésque, & iniquissimi, malorum morum qui tale caput habent. vnde erat quidem Ianelus apud Cardinalem Hostiensem Ferrarię, qui erat minus

nus

nus prudens,quàm canis,& erat minus,habebat etiam caput magnum,vt hęc manus clausa, & vt videretur illius caput esse pomum : iracundus semper volebat pugnare modo cum vno,modo cum alio,nesciebat nomen alicuius, nihílque prorsus sciebat, & quidē credo ipsum non habere animam rationalem, cum esset similis cani in omnibus operationibus, hæc satis dicta sint in tabulis, ne cōteramus tempus. in textu duo sunt notanda,primùm caput inconcinnum vtrinque,vel paruum,vel magnum non potest habere bona agnata : deinde vbi caput concinnum,vel paruum,vel magnum habet bona agnata,& valida. Iam itaque satisfecimus tribus primis fontibus ab actionibus,& passionibus,ortum habētibus pro dispositione capitis tam sensuum interiorum,quàm exteriorum,restat modo quartus fons, vel genus quartum actionis animalium interius cognoscentes, in quo genere non immorabor multum, vt faciunt quidem recentes in dicendo, quot sint potentiæ gubernantes,& dicūt multa,& falsa, ac nonnulli illorum cōfugiunt ad Arabas dicentes illas esse vij. in cerebro imaginatiuas,quæ nunquam Arabes imaginarunt. sed hæc non attinent ad munus nostrum, cum sit philosophi opus agere de his in se-

cundo

cundo de anima. Itaque hoc labore superſedeo: ſupponamus eſſe tres virtutes, vt dicit Ariſt. & Gal. imaginatiuam, diſcurrentem, & memoratiuam: ſicq; erunt tantum tres virtutes gubernandi interiores, quæ perpetuò faciunt indicia de temperatura cerebri. Nam ſunt propriæ ipſi cerebro, & ſunt in eo, vt in ſuo inſtrumento proprio. vnde valebit hæc bona conſecutio per conuerſionem: ſunt ſigna bonarum operationum, ergo & bona cerebri ſubſtãtia: ſi malæ operationes, ergo mala & cerebri ſubſtantia. ſi verò fuerit mala ſubſtantia cerebri, ergo & malæ operationes, & contra: ſi malæ operationes, ergo & mala ſubſtantia, & ſic conſecutio conuertitur, & rectius, vt ſi animal eſt rationis particeps, ergo riſibile, ſi riſibile, ergo rationis particeps. de his dictum ſit hactenus pro his, quæ tractauit Gale.

CAPVT. XII.

EARVM AVTEM OPERATIONVM, QVAE OBTINENT PRINCIPATVM, VIRTVS, AC VITIVM, TANTVMMODO INDICIA. Circa hoc caput Gale. facit duo præcipua, affert tria indicia, quæ ſumuntur ab operationibus, quæ indicant ſubſtantiam cerebri; de-

inde affert alia indicia, quæ ſunt pro temperatura cerebri, vt quando aliqua qualitas excedit: aut non: hæc ſunt de temperatura indicia. ſubſtantia verò, vel modus ſubſtantię ipſius; aut mollis, aut dura: lenis, aut aſpera: ſubtilis, aut craſſa. dicemus igitur proponere Gal. tria indicia, circa ſubſtantiam cerebri: deinde alia pro temperatura ipſius, & circa primã partem de ſubſtantia cerebri dicit Gale. Notate ſubſtantiam cerebri cognoſci à tribus: primũ ab ingenio, nam qui habet bonum ingenium, & ſagax, & ſolers, illa ſubſtãtia cerebri eſt ſubtilis: qui habet ingenium obtuſum, vt cum difficultate diſcat, habet ſubſtãtiam craſſam, & qui facilè diſcunt, arguunt ſubſtantiæ mollitiẽ: qui verò difficulter diſcũt, & ſunt tenacis memoriæ; illi habent ſubſtantiam duram, ſicut qui facilè obliuiſcuntur, & facilè diſcunt, dicuntur mollis ſubſtantiæ, & qui memorãtur, ſemper ſunt durę ſubſtantiæ: ſecundum ergo diuerſitatem operationum cerebri arguitur diuerſitas ſubſtantiæ eius; iſta ſunt indicia de ſubſtantia cebri, de quibus tribus primò agemus. Pro intellectione autem horum debetis primum notare ex verbis Gal. hoc in loco colligi manifeſtas has tres virtutes habere ſuũ proprium inſtrumentum, ſicut & exterio-

res.

res: nam ſicut oculus habet criſtallinum humorem, quod eſt ſuum inſtrumentum: ita hæ tres potentiæ, quę cognoſcunt, cerebri habent partem anteriorem in cerebro pro inſtrumento, & qui dicunt has virtutes non eſſe in cerebro, hi decipiuntur. Ariſto. ponit etiam cerebrum eſſe inſtrumentum harum trium virtutum, ita vt in parte anteriori ſint hæ ſpecies receptibiles, vt in libro de memoria, & reminiſcentia dicit, quod qui habent ſubſtantiam craſſam cerebri, illi malè intelligunt, quia nimia humiditas cerebri habet refrigerare cor. Nā Ariſt. vult etiam cerebrum eſſe factum ad contemperandū calorem cordis, nō ad refrigerandū nimis, & dicit ibi Philoſophus, quod vbi ſubſtantia cerebri, vel eſt calida, vel humida, vel frigida, vel ſicca, habet diuerſas facere operationes eius, ita vt qui habet cerebrum humidū, & craſſum, illi malè memorantur ob nimiam humiditatem, & ſic etiam Philoſophus ponit inſtrumentum corporum harum trium virtutum. Secundum quod debetis ſcire & habere, eſt, ꝙ ſiquid imprimatur in aliquo ſubiecto ſecundum tres dimēſiones, requiritur ſubſtantiam eſſe tenuem: quoniā hæc eſt valde facilis ad recipiendum, & minutiſsimè recipit, quod recipit: ſed dum ſubſtantia eſt

crassa, non facile recipit secundum omnes dimensiones: vel substantia sit dura, tum non facile sit impressio. præterea sciēdum, & supponendū, quòd molities nontantùm facit, & adiuuat ad hoc, sed etiam facit, vt facile deleatur. facit ideo humiditas, vt facilis fiat impressio, & etiam vt facile deleatur ipsa impressio, contrarium verò ei facit affectum contrarium: nam siccitas non solùm est difficilis impressionis, sed etiam adiuuat ad hoc, vt quod semel est impressum, diu detinetur, & nō facile deletur: sed diu remanet. primū ergo suppositum est, quod hę tres virtutes habeant suum instrumentum cerebrum: secūdum est facile, vel difficile impressioni, tertium suppositum, quod debetis scire, est quòd harū virtutum sunt tres naturales potētiæ: nam longe differt dicere, ingenium est facilitas descēdi, & ingenium est potentia bene agēdi. Nam primum ingenium esse facilitatem discendi, est potentia naturalis in virtute intellectiua communis intellectui, & imaginatiuæ, quando bene imaginātur, ac etiam facile accipiunt, quia sic est virtus naturalis in virtute intellectiua, & est proprium ipsi homini. facilitas enim ista discendi communiter attinet & ad imaginatiuam, & ad cogitatiuam. Ideo qui bene imaginantur, rectéq;

rectéque imprimunt, illi dicuntur facile discere. Memoria verò est naturalis potentia virtutis rememoratiuæ, suum contrarium est obliuio. Quãtum ad ingenium in summo, & in suo significato sumptũ dicitur de natura vniuscuiusq; animalis, ita vt Virgilius accipiat ingenium in hoc significato pro natura aruorum, dum dixit: haud equidem video. Dixit etiam & pro plantis, & pro animalibus irrationalibus loquendo metaphoricè, sed nos loquendo de ingenio propriè dicto dicimus, quod est virtus illa intelligendi, & virtus recipiens minutissimam speciem quamcunque: sic ergo capiendo ingenium proprio modo dictum quid est ipsum? ingeniũ nihil aliud est, nisi virtus interior concipiendi minutissimè rem, qualiscunque fuerit illi oblata, vt habeat omnes suas differẽtias illius rei cõpletè, & perfectè, ita vt nihil deficiat ad habendas ipsas differentias. Vnde quisquis fuerit talis ingenij, ille appellabitur ingeniosus, & solers, & erit tenuis substãtiæ cerebrum, ideo cum sit huiusmodi substantia, penetrabit intus ad omnes differentias exactè, quemadmodum dicit Aristo. in secundo de partibus animalium quarto, vel quinto, vbi dicit, qui habent sanguinẽ tenuem, hi habent intellectum magis exculptũ, quod

minutiſsime omnes lineas rei ſculpendæ, ac rei habendæ conſiderant,& vnamquanq; partem, & differentiam rei imprimendæ animaduertunt vſque ad profundum. Itaq; ſunt glafiloteria, vt exactè penetrent, conſiderantes vnumquodque in ipſa re: ſic enim aſſerit Ariſto. nam ipſe conuenit cum Gal. de modo intelligendi, licet non conueniant in inſtrumento. Diſſentit Galenus ab Ariſto. qui ponit ratione ſubſtantiæ tenuis ſanguinis ingenium eſſe: ille ponit ratione ſubſtantiæ tenuis cerebri ingenium, erunt etiã talis ſubſtantiæ ij, qui habent tale optimũ ingenium: ſatis eſt, qui erit huiuſmodi ingenii, erit etiam talis ſubſtantiæ, & qui habent tale optimum ingenium Anchini dicuntur, vt dicit Gale. propterea quòd proximè, & ad amuſsim rem attingunt, & accedunt. & ideo tales homines dicuntur ingenioſiſsimi: quia propriè recipiunt veritatẽ rerum, ſunt inquam iſti homines tales ingenioſiſsimi, ob hanc naturalem potentiã intellectus, quæ Anchinia dicitur, ſed facilitas diſcendi eſt aliud ſeparatum ab iam dicta. Nam facilitas diſcendi, & facilis apprehenſio vniuſcuiuſque rei, vel ſpeciei, nõ curo inquit, an apprehendant ſpeciem vſq; ad vltimas differentias, hoc non eſt munus horum, qui facilè diſcunt, imò qui facile

appre

apprehendunt, non sunt ingeniosi. Nam isti tales, vt facillimè discunt, ita facillimè quoque obliuiscuntur; & sunt temerarii, & leues non multum, & rarò perficiunt: quoniam nobilitas cerebri non sinit ipsos permanere in vno proposito: non autem manent in vno proposito ob caliditatem substantiæ cerebri: cum mollitie iudicant, sed temerariè: videntur enim multa scire, tamen pauca sciunt, & quæ cogitant, subitò dicunt, & ea volunt sic esse, & hoc propter calidam & humidam, siue mollem cerebri substantiam, & Gal. dicuntur isti προπετὰς. id est, nimis temerariè proferentes opinionem suam, suntque vt ardeliones pessimi cum modo in re vna permaneant, modo in alteram descēdant, & in aliam: sed qui sunt ingeniosi, aliter se habent, cum minutissime vniuscuiusque rei differentiam exactè considerent, & perpendant, ac in se retineãt, habent isti optimum iudicium, & semper perficiunt. Nam iudicium in ipsis semper idem permanet, tale autem iudicium non potest esse, & permanere cum caliditate, & humiditate cerebri, cum caliditas coarguat immobilitatem. ergo iudicium non potest stare, optimè quidem persistit iudicium cū cerebri frigiditate. vnde quicunque habent sanguinem frigidum, atq; tenuem, illi sunt

ingeniosissimi. sic enim caliditas in cerebro, facit admutationem, mobilitatem, & dementiam, vel temeritatem: frigiditas verò ipsius cerebri facit ad retinendum, & ad sapientiam, atque ad bonos mores. Vnde Aristo. in problemat. 30. problematum parte p. inquit omnes sapientes, ac philosophos fuisse melancholicos, non quia haberent sanguinem crassum, & adustum, sed subtilem, & tenuem, atque frigidum: isti enim sapientes profundè rem recipiunt; nõ autem facilè, imò cum difficultate, sed optimè respiciunt propter sanguinis subtilitatem vsque ad minutissimas, & vltimas differentias: habent præterea, quòd rectè ponderant, & perpendunt omnia ratione frigiditatis moderatæ, non stupefacientis; quoniam cum cordis spiritus sint admodum calidi, & actu calidi, ideo natura dedit cerebrum temperatè frigidum ad contemperandum illos spiritus calidos. Habetis iam quomodo tam facilè addiscere, & difficulter addiscere differunt, & quomodo facilè discere distat ab ingenioso, propterea quòd qui facile discit, non semper addiscit, ad ingeniosus semper, & optimè: vnde sequitur secundum propositum ibi. DISCENDI VERO FACILITAS &c. Discendi facilitas facit ad obliuionem facilem ob rationem

tionem dictam, quòd qui facile diſcit, facile quoque obliuiſcatur ſic enim difficulter memoratur, quod iſti ſunt pariter obliuioſi: & ſuum oppoſitum, qui difficulter addiſcunt, etiam difficulter obliuiſcuntur, & tales ſunt memores, & ita habetis facilitatem diſcēdi ſtare cum obliuione, difficultatem verò diſcendi cum memoria. ſed ingenium ſeparatum ab vtroque, quod diſtat contra nouos, oppoſitum tenentes: nam non diſtinguunt: ideo nihil mirum, ſi incidunt in maximas ambiguitates, & quàmplurimos errores inextricabiles. Bonnm ingeniū enim arguit tenuitatem ſubſtantiæ cerebri: facilitas verò diſcendi arguit mollitiem cerebri, & durities arguit difficultatem diſcendi: ſed cum memoria. MOBILITAS QVOQVE IN OPINIONIBVS CALIDITATEM: STABILITAS AVTEM FRIGIDAM &c. Vbi Galen. habet quod bene operari in his omnibus indicatur ſuper cerebri ſubſtantia, non autem de temperatura eius: ingenium enim dicit cerebri ſubſtantiam ſubtilem: at facilitas diſcendi arguit mollitiem, & humiditatem, & difficultas præſupponit ſubſtantiæ eius duritiē, non autem temperaturam. Hęc volui dicere ob nonnullos medicos, qui in collegiis obſtinati volunt, quod non eſt bonum in-

genium cum frigiditate temperata cerebri: ſed dicunt; ille habet bonum ingeniũ, ergo cerebrum calidũ: & negant id attribui poſſe frigiditati. apparet ideo iſtos falli, qui volunt ab operationibus argumentari ſuper qualitates ipſius cerebri, non autem ſuper ſubſtantia eius: & non vident iſti, quod ingenium conſiſtit in retinendo, & calidi non eſſe retinere, ſed ad mobilitatem: retinere verò eſſe ad frigiditatem temperatam non intenſam, quia ſi intẽſa frigiditas eſſet, deſtrueret, & non retineret.

Vbi erit ſubſtantia cerebri ſubtilis, illa tantum non erit limpida: nam non obſtat aliqua eſſe ſubtilia, quæ tamen non ſunt limpida; bene verum eſt, quod in multis, vbi eſt ſubſtantia ſubtilis, ibi quoque limpiditas patitur in multis. nam non eſt credendum, quod vbi cerebri ſubſtantia eſt tenuis, & ſubtilis, ſit limpida, quemadmodũ bene verum eſt in vrinis, & in venis: quanquam non ſemper: at in cerebro nunquam eſt limpiditas. Nam cerebrũ, cum habeat ſpiritus in ſe, non tamen dicitur limpidum. At anima quoniam apparet clara, limpida, tunc bene habet ſpiritus incluſos, ſic de vino. cum verò non eſt limpida vrina, nec vinum clarum, tunc carent ſpiritibus, & non poſſunt dici limpida, ſed & ſi cerebrum habeat

beat

beat ſpiritus,non tamen vnquam appellatur,vt limpidum. Ideo non credatis, vbi eſt ſubſtancia cerebri ſubtilis, nos intelligere de ſubtilitate cerebri, quemadmodum dicimus de ſubtili ſubſtantia vrinæ, aut vini, ſed tamen intelligi debet cerebrum ſubtile,quantum tolerat ipſa ſubſtantia cerebri. quoniam facile imprimitur omnis differentia ſecundum trinam dimenſionem,& ſi citò obliuiſcatur,ſic etiam de ſubſtantia cerebri,quæ cum difficultate capit,tamen optime retinet:ſicuti de memoria,quę cum fuerit ſubſtantiæ duræ,facilè retinet, quod apprehendit:quando verò eſt mollis,tunc facilè quod acquiſiuit,facilè quoque dilabitur.ſic dicta debent intelligi quod durities in ſubſtantia facit ad difficilem impreſsionem,ſed diu retinet, ſicuti de impreſsione in memoria oportet,vt fiat in ſubſtantia tenui molli,in qua facilis fit impreſsio,facile autem labitur memoria.tertium erat,quod dicebamus,quænam eſſet vis,quæ appellatur ingenium,quoniam qui facile diſcunt, non ſunt ingenioſi. quartum erat quod in ſubſtantia cerebri eſt quædam,naturalis potentia,vel impotentia, prout eſt ſubſtantia tenuis,vel craſſa,vel dura,aut mollis. Secūdum enim has differentias talis ſubſtantia producet illas tres virtutes animales interiores

riores,vel validas,& potentes, vel inualidas ad impreſsionem, quæ vires naſcuntur in corpore cerebri,ſed à qualitatibus ſubſtantiæ cerebri,& virtutis,quod fortè omnes recentes dicunt,& nihil magis certum habēt, & tenent,quod dicunt:iſtevir habet bonum ingenium,ergo habet ſubſtantiam calidam cerebri, quia habet ingenium ad intellectionē,habetque animæ operationes: ergo habet ſubſtantiam cerebri calidam: quod quidem expreſſe eſt contra Galen. vt per vos ipſos poteſtis videre. Nam inferius videbitis,quod indicatur caliditas in cerebro, & ſi arguat ingenium,vel nō;an vero aliud, & iſti per ſe citant locū hunc,quod omnino eſt contra ipſos,ſi bene videant, vt iam patet,& inquit frigiditatem cerebri facere operationes immobiles. Accedamus modo ad literam, INGENIVM QVIDEM &c. Arguit ſubtilem cerebri ſubſtantiam,quia quicquid ſubtile eſt,apprehendit rem, ſicut eſt ſecundum omnes differentias,& dimenſiones exactè, vt de vino etiam limpido, quod optimè apprehendit, etiam partes aquæ,ſi permiſceatur ei aqua. Sed omnes dimēſiones,& imaginationes intelligit: ergo Gale. cerebri ſubſtantiam tenuē,quia optime apprehendat: & manifeſtum eſt per ea exteriora, quæ ſunt ſubtilis ſubſtantiæ, &

etiam limpidæ propter ſpiritus: oppoſitum eius facit, quod eſt lutulentum, & craſſum. Nam ſic non poteſt habere ingenium, habet ille ingeniũ, quod diſtinctè poteſt percipere, & apprehendere omnes imagines, quia talis ſubſtantia eſt tenuis, & ſubtilis. TARDITAS INTELLECTVS AVTEM CRASSVM &c. Quia vbi eſt craſſa cerebri ſubſtantia facit oppoſitum ſubſtantiæ tenuis, quæ non percipit ſpecies, & imagines, niſi indiſtinctè ſecundum omnes dimenſiones, tale inquam dicetur ſubſtantiæ craſſæ cerebrum. DISCENDI VERO SVBTILITAS &c. Hæc omnia ſunt clara per iam à nobis ſuperius dicta. Suppoſuimus ſuprà ſecundum Galenum in ſubſtantia cerebri eſſe illam vim intelligendi, & vidimus cerebri ſubſtantiam eſſe ſubtilem aliquam, & etiam liquidam: quia in ſe habet ſpiritus, non tamen limpidam eo modo, quo vinum, aut alius liquor: ſed vt patiatur ipſum cerebrum, & vidimus, qui habent facilitatem diſcendi, & memoriam facilem, & fluidam, hi habent ſubſtantiam cerebri mollem, & humidam: facile enim ſuſcipiunt, & imprimunt ſpecies, & differentias rei ſecundum omnes dimenſiones, vt facit cera. Sed modo facilè pòſt non retinent, quod ſuſceperunt, imò facilè obliuiſcun

ſcuntur,& producunt ſuas impreſsiones ob cauſam iam dictam,quia ſunt valde mollis,& humidæ ſubſtantiæ. facile ergo ſuſcipiunt ſpecies,ſed eas non diu retinent. oppoſitum autem eſt de habentibus cerebri ſubſtantiam duram,ſiccamque;quoniam ſi cerebri ſubſtantia fuerit dura, illa difficultas conſiſtit in re,vel ſpecie:atque dum perceperit illa,difficillimè obliuiſcetur: diuq; retinet ſuas impreſsiones, quemadmodum fit in marmore,in quo difficulter fit impreſſio,ſed facta diu remanet, difficileque remouetur,non intelligatis tamen cum dico cerebri ſubſtantiam aut duram,aut mollē, vel fluidā quod ſit talis,vel talis ſicuti mellis,vel fluida ſicuti.vel qualis aqua, vel dura,quemadmodum lapis:non enim eſt dicendum hoc pacto, ſed dicimus ſubſtantiā cerebri humidam,& fluidam, vt fert ſubſtantia cerebri, & vt conuenit ipſi cerebro in comparatione, & in reſpectu ſubſtantiæ ſeparatæ.Nam vbi fuerit cerebrum humidius,quam conueniat,& par ſit,appellamus ipſum fluidū,non vt ſit qualis eſt aqua.Ideo quia eſt humidius altero cerebro vel minus humido,aut temperato,ſic dicimus de cerebri ſubſtantia dura,non quod ſit dura,vt lapis,ſed dicimus ipſam duram, quando recedit à temperato cerebro verſus duritiem,&

ſiccitatem, & ſic dicimus ipſum durũ, prout conueuit ſubſtantiæ cerebri. & ideo ſic debemus dicere, vel de humido, vel de duro cerebro; ſicut ſolet dici de formica vna, quæ ſit magna, cum nulla ſit magna, ſed reſpectu aliarum; ſic dicimus de cerebro in reſpectu alterius cerebri vel humido, vel duro: hæc omnia debetis ſupponere pro bono conceptu dicendorum. MOBILITAS QVOQVE IN OPERATIONIBVS CALIDAM, SVBTILITAS AVTEM FRIGIDAM &c. Diximus ab initio huius capitis quemadmodum Gale. intendebat tradere indicia ſumpta ab operationibus intrinſecus, vel à tribus virtutibus cerebri interioribus principatum obtinentibus, quæ indicia manifeſtarent de ſubſtantia cerebri, vt dum voluit tradere huiuſmodi ſigna indicantia de ſubſtantia cerebri, quæ ſumpta eſſent ab illis tribus operationibus, diuiſit in duo membra. prius tradidit, quæ ſunt in ſubſtantia, & quæ ſunt ipſius cerebri indicantia ipſam ſubſtantiam, qualiſnam eſſet, & qualis eſſet ſua naturalis potentia, vel impotentia, vt ingenium quale eſſet, vt de memoria, & de facilitate diſcendi, quæ omnia indicant ipſam cerebri ſubſtantiam. Nunc modo ex his operationibus regitiuis vult oſtendere, quænam ſit temperatura

peratura cerebri, iam dixit de ſubſtantia, & inquit quod mobilitas in operationibus arguit caliditatem cerebri, quod omnino eſt contra iſtos volentes eos, qui habent bonum ingenium, habere cerebrũ calidum. Videatis quæſo, ſi potuiſſet Gale. planius ponere, ſeu dicere oppoſitum horum recen tiorum, & verius: dum dicit mobilitatem, arguit caliditatem cerebri, quę quidem mo bilitas non facit bonum ingeniũ, ſed amen tiam: ideoq́ue errant. mobilitas igitur opinionum arguit cerebri caliditatem ſicut & ſtabilitas arguit cerebri ipſius frigiditatem pro exquiſita horum verborum veritate, debetis annotare quemadmodum cerebri ſubſtantia eſt vis harum trium operationũ, vel virtutum interiorum memoriæ, diſcurſus, & imaginatiuæ: ſicut enim hæ potentiæ non poſſunt operari, niſi habeant ſuum inſtrumentum congruum, ſicut etiam artifex bonus, licet habeat artem ſuam, non tamen vnquam poterit exercere eam, & ope rari ſine proprio ſuo inſtrumento: ſic etiam hæ potentiæ, vel virtutes cerebri internæ, & ſi perſiſtant in ſubſtantia cerebri; tamen nunquam poterunt operari ſine proprio ſuo, & debito inſtrumento, quod inſtrumen tum eſt ipſe ſpiritus: oportet enim ipſas habere ſpiritus pro inſtrumento: ſpiritus autẽ,

vt patet per ipſum Gal.in octauo, & nono de vſu partium,& in ſeptimo de placitis, & octauo,& alibi ſæpe probat ipſos ſpiritus eſſe proximum inſtrumentum, & præcipuum animæ.quod dicit Ariſt.ſpiritus eſſe proximum,& præcipuum inſtrumentum animæ? Hæc inquã debent ſupponi, vt manifeſta,& nota cum anima, & ideo harum potentiarum cerebri intus inſtrumentum ſuum proprium ſunt ſpiritus, nemini dubium eſt,quòd pro ſubſtantia,& diuerſitate horum ſpirituum,erunt etiam hæ operationes tales,vel tales,& iſte motus,vel diuerſitas indicatur à qualitate. ſicut enim verbi gratia artifex cytharœdus,vel muſicus habet ſuam artem ſonandi,qui ſi habebit ſuum inſtrumentum id eſt, cytharam, & pulſet,ſonabit,& habeat quodcũque inſtrumentum fuerit, modo pulſet, ſonando indicabit hãc ſuam artem,tamen pro qualitate ſui inſtrumenti vel falſi,vel boni facit bonam,vel malam armoniam, & variũ eius modum,ſecundum quod illud inſtrumẽtum tale,vel tale,& ita variabit ipſam: ſic de cerebro dicẽdum eſt; quamuis enim potentiæ tales,& virtutes hæ ſint in ſubſtãtia cerebri,tamen modus operandi ipſarũ veniet à temperatura cerebri,vt temperata fuerit talis,vel talis, vt puta calida ſic, &

ipsæ potētiæ alio modo operabuntur. Vnde si temperatura fuerit calida, facilè mouebuntur hæ potentię ad opus: si frigida ea erit, tunc non sic facilè, sed stabiliuntur, & firmantur. Vnde debetis etiam notare, cum spiritus sint præcipuum instrumentū animæ, & sint spiritus animales instrumentum harum operationum cerebri, vt operationes harum virtutū sint optimæ, opus est etiam ipsos spiritus esse bonos tenues, & temperatos, & bonum instrumentum earum ad bene operandum, & vt deueniant ad tale temperamentum, sint apti ad tale munus perficiendum, & cum ad bonum ingenium, non tantùm oporteat impressionem bonam, sed etiam retentionem à moderata frigiditate retinente, si debet bona operatio fieri, & cum spiritus animales generentur ex spiritibus vitalibus, vt habetis in nono de vsu partium, qui vitales exeuntes ab ipso corde sunt calidi, & mobiles valde, ita vt nesciant stare loco, tunc non sunt apti ad operandum: at cum transeunt illi ad cerebrum quod sua natura est frigidum, fiunt spiritus animales ex ipsis vitalibus, & contemperantur à frigiditate cerebri, non quod fiant stupidi, sed contemperantur. Vnde facta aliqua extinctione feruoris in illis, tunc stabiliuntur, & fiunt apti ad operatio

ratio

rationes obeundas;tunc enim ſtant,& poſſunt iudicare diſcurrendo, tanquam proprium inſtrumentum animæ,vt ipſa poſsit bene iudicare. Et ideò ſi illæ potentiæ debent bene operari, oportet inſtrumentum eſſe aptum, & ſpiritus animales, qui ſunt inſtrumentum animæ ſint ſtabiles, & temperati:non enim nimis calidi,nō nimis frigidi, quia nimia caliditas facit ad notum magnum,nimiáque frigiditas facit ad ſtuporem,& ad inſenſibilitatem.ſecundo boni,& temperati ſic bonum & temperatum debet eſſe ingenium. Vnde cerebrum ſecundum & Ariſt.& Gal.à natura ad hoc factum eſt,vt refrigeret, & contemperet ſpiritus vitales,ipſiq́ue vitales tranſeunt in animales. Dum igitur cerebrum eſt huiuſmodi naturæ,vt habeat contemperare vitales ſpiritus,ſi contemperat eos, tunc tales ſpiritus erunt optimi, & bonum inſtrumentū pro illis virtutibus animalibus.ergo & bonum cum ſit inſtrumentum,& eorum operationes erunt bonæ,cum aderit non nimia frigiditas,non nimia caliditas,ſed moderatio tantum. His ſic ſtantibus ſupponatur cerebrum calidius eſſe,& recedere à temperamento ſuo verſus calidum,& ſpiritus vitales aſcendere ad tale cerebrum calidum, quod quidem inueniūt ſatis calidum,ſi illa

cerebri temperatura ſit calidior, quàm con
ueniat, nõ poterit facere tunc ſuum munus
debitum, quod eſt, refrigerare, & contem-
perare illos ſpiritus vitales ferueſcentes,
imò dimittat eos calidiores, quia ſi tempe-
ratura ſit talis calida, poterit tantum cale-
facere, non autem refrigerare, & ſic non po
terit repræſentare illos ad primum ſenſo-
rium ad diſcurſum, & rationem. Quare ta-
les ſpiritus tunc erunt valde mobiles inſta-
biles, non poterunt firmari, nec temperari
ob cerebrum nimis calidum, quemadmo-
dum eſt videre in ebriis, qui modo imagi-
nantur vnam rem, modo aliam: ſic faciunt
phrenetici, qui in ſingulis verbis habẽt tot,
& varias ſententias, & hoc ob multos vapo
res calidos aſcendentes, & deſcendentes, qui
habent mutare ſua phantaſmata, & ipſa al-
terare, modo huc, modo illuc, delirant & lo
quuntur ſine propoſito, vnumquodque ver
bum prolatum habent per ſe ſubſtantiam
ſuam: nimis enim in his calidi, & feruidi
ſunt ſpiritus ipſi: ſic accidit veluti pueris,
qui propter vapores aſcendentes calidos
non permanent in ſententia, & mobiles
fiunt reſpectu iuuenum. ſic pariter dicen-
dum eſt de iuuenibus reſpectu ſenum eſſe
mutabiles propter eoſdem vapores ferui-
dos, & ſpiritus ebulliẽtes. Vnde dicit Ariſt.
ſepti

ſeptimo ethicorum, quod anima intelli-gendo, ſedendo, quieſcendo fit prudentior, quod ſpiritus limitantur, & illuſtrantur magis ſemper. vnde dicit iuuenes non eſſe aptos ad philoſophandũ in moralibus, quoniam non ſunt ſtabiles in opinione, & hoc ratione caliditatis, frigiditas verò eſt quæ ſtabilit: videamus modo quid faciat, etſi enim frigiditas temperata, ſeu moderata cerebri faciat prudentiam, & ſi ſit frigidior cerebri temperatura, quàm conueniat, & vt congelatio, & vitales ſpiritus feruidi ſecundum naturam, qui aſcẽdunt ad cerebrum, vt contemperentur, & vt refrigerẽtur, quod fit, quoniam ſpiritus illi ſunt tenues, ſubtiles, & temperatura cerebri eſt frigidior, quàm conueniat, fit hoc primum, vt bene contemperentur: ſed in hoc non perſiſtunt, vt ſunt ſtabiles, quoniam frigiditas illa eſt vehemens, facit deinde illos ſtupidos ex ſtabilitate, & tandem ſpiritus illi fiunt ita immobiles quemadmodum lapides, ſemper magis, ac magis augetur frigiditas cerebri, vel maior, vel minor iam fuerit. Ideò debet eſſe commoderata cerebri frigiditas ad contemperandos ipſos ſpiritus. Vnde Ariſto. in quinta particula problematum dicebat melancholiam temperatam in humano intellectu idem facere, quod vinũ mo-

deratè ſumptum, quod facit quandam hila ritatem ingenii, & moderationem: ſi verò immoderatè fuerit ſumptum, facit ebrieta tem; ſic dicendum eſt de frigiditate in homine, quæ dum eſt temperata, facit bonas operationes: ſi verò intēperata ſit, & nimia, tunc habet corrumpere actiones, & inducit ſtuporem, & inſenſibilitatem: hæc enim per ſe ſunt manifeſta. nam ſi exhibeatis opium, quod eſt valde frigidum inter ſimplicia, tunc inducet ſtuporem, ſi debita exhibeatur quātitas. ſi autem detur in magna copi a vltra debitam menſuram, inducit etiam mortem. quare debent eſſe moderata & caliditas, & frigiditas, & conſequenter ſpiritus animales, qui ſunt moderati, & in temperie illi ſunt boni, & ſic patet, quod mobilitas in opinione arguit caliditatem in tēperatura cerebri: ſtabilitas autem arguit frigiditatem etiam cerebri debitam. iſta autem duo, mobilitas opinionum, & ſtabilitas habēt etiam latitudinem, & multos gradus. Quæritur modo hic cur Gale. poſtquam poſuit ſigna indicantia caliditatem, vel frigiditatem in temperatura cerebri, quare etiam non poſuerit ſigna indicantia caliditatem, vel frigiditatem in temperatura cerebri: ſed de his tacuit, tantummodo dixit de calida humida per exceſ-

ſum,

sum, hoc quidem patet: cur ergo tacuit has duas? nam videtur diminutus? Notate si has numerasset duas, fuisset superfluus, quoniã iam superius locutus est de cerebro fluido, & duro, tamen videtur debuisse etiam mentionem facere de humido, & sicco. nequaquàm: nam fuisset ibi superfluum, & superuacuum, quoniam dum loquitur de fluido, & humido id est molli, necessariò intellexit etiam de humido, quoniam omne molle necessario arguit humiditatem, sic dicatur de duro. Nam durum arguit siccitatem necessariò, dummodo additæ sint duæ conditiones: quarum vna est circa mollitiem: quoniam si quod molle est, fuerit colliquatum, non valet dicere, tunc est molle, ergo humidum, & si sumatur aliquod ens, quod de natura sua est durum, & colliquatur, fiet molle, & præter naturam. nam suus naturalis status est durus, sic enumerandum est, plena pecuniis, crumena tunc est dura: si verò euacuetur, fiet mollis: sic dicendũ est de multis aliis. si enim colliquantur, tunc fit mollities, & liquefactio illa non arguit humiditatem. Ideò molle sine colliquatione arguit semper humiditatem, durum quoq; semper arguit siccitatẽ. modo sit hæc alia conditio, dum non sit cõgelatio: nam dum est durum, & est à congelatione, vt de gla-

cie,& aqua congelata,tunc durities illa nõ arguit ſiccitatem,ſed humiditatem:vel nõ ſit repletum aliquo, vt aliquod molle vas ſit plenum vino, tunc redditur durum,& non dicit ſiccitatem. Quare remota colliquatione,& cõgelatione ſemper molle arguit humiditatem,ſicut durum ſemper arguit de neceſsitate ſiccitatem. In cerebro hæc nõ poſſunt contingere,quoniam ſi cerebrum eſt molle,hoc non euenit,quia fuerit liquatum,nec inanitũ:ſic dum dicimus cerebrum durum,nec eſt durũ,niſi ſua natura,non quia congelatum fuerit, nõ quia repletum, vt poteſt accidere in exterioribus, ſed eſt durum:quia in eo dominatur elementum ſiccum,& ſua temperatura eſt ſicca.ſubſtantia ergo cerebri eſt dura, quia ſiccitas in eo præualet,ſic dicendũ de molli cerebro,quod eſt molle:propterea quòd humidum elementum in eo dominatur, dum dicimus cerebrũ molle, hoc eſt quòd humidum eſt, durum quòd ſiccum. quare Gal.dum indicauit per ſua ſigna molle cerebrum,quid ſit etiam indicauit per conſequentiam neceſſariam,quod indicat, quando eſt humidũ.pariter cum dicebat de duro,& iam indicauit per conſequentiam neceſſariam,quod indicat,quando eſt humidum. pariter dum dicebat de duro, etiam

indicauit de cerebro ſicco,quid notare vellet,ideo hic inferius tantum attulit ſigna indicãtia caliditatem cerebri in temperatura,ſeu frigiditatem temperiei.& ideo omnia poſuit.& nõ fuit diminutus, neq; ſuperfluus,& de his ſatis. ADHVC ETIAM DVO INDICIORVM GENERA MIHI VIDEOR PRAETERMISISSE &c. Vidiſtis iam , & oſtendimus quemadmodum propoſuit Gal.quinque fontes ſignorum:vnde ſumuntur indicia de temperatura cerebri.Primus fons,vt nos vidimus, de diſpoſitione capitis,ſecundus erat à ſenſibus operantibus:diximus,vnde ſumerentur,& vnde naſcerentur:tertius fons ab operationibus actiuis,quartus fons ab animalibus operatiõibus,& præcipuis.Dicit modo duo ſupereſſe quintum,& ſextum fontem:quintus eſt operationum naturalium, ſextus & vltimus ab accidentibus extrinſecus occurrentibus. pro intellectu autem horum verborum notanda ſunt duo, primum eſt, dum dicit ADHVC ETIAM DVO &c.Nam videtur tria prætermiſiſſe, non autem duo,nanque bene egit de virtutibus actiuis, & fuit tertium genus:dicit ſe dixiſſe de illo quarto prius, tamen non videtur,& quidem non dixit. Nam hoc fuit breuitatis gratia, non quia diminutus ſit.

Nonne vidiſtis quod, dum loquendo de figuris capitis, diceret, & eas diſtingueret, & loqueretur de operationibus capitis vel validis, vel non validis: indicabat ſuper agnata vel valida, vel debilia. nam qualia agnata cerebri, tales neceſſariò debent eſſe operationes: ſi operationes ſunt validæ, ergo bona materia, licet quandoque pauca, & cetera bona requiſita ad principium generationis pro agnatis, & dum agebat de his operationibus de diſpoſitione capitis, iunxit etiam actiuas operationes complectendo omnia ſimul, & hic de his non oportuit iterum dicere. meritò itaque tertium prætermiſit, duo reſtant dicenda prætermiſſa, non tria. præterea notandum has actiones naturales nõ eſſe proprias virtutes, nec propria ſigna cerebri, nec affines: nam aliquo pacto non attinent ad illud, quatenus cerebrum eſt, ſed tantum quatenus membrum ſimilare. ſicut & de cæteris membris, vt ſimilaribus pertinent. Membra autem dupliciter poſſunt conſiderari penes operationes ſuas, vno modo, vt ſimilare eſt, & inſtrumentum, alio modo, quia temperatura membri talis fuit, & vt oritur à quatuor humoribus, à quibus alitur, & nutritur. & quare temperatura mẽbri hoc facit? quoniam hæ operationes naturales indicant de bona, vel

na,vel de mala temperatura membri per ſuos effectus,vel per ſua media, quæ ſunt ipſa excrementa.& ideo Gale.dixit ſe velle conſiderare de his cerebri naturalibus virtutibus,per quas deinceps haberemus temperaturam eius.Nam cerebrum quod bene retinet,&quod bene extra mittit ſua excrementa,illud dicendum eſt ſanum eſſe, & bene diſpoſitum per ipſas vires naturales optimas,bonum enim membrum eſt, quod bonas habet operationes, quæ indicāt bonam ipſius membri temperaturam: cum autem Gale.velit oſtendere non tantum de ſubſtantia ipſius cerebri, quænam ſit,ſed & de eius etiam temperatura, quæ maximè indicatur per operationes naturales.Ideo meritò dixit ſemper ſunt duo, quorum vnum eſt dicere de his operationibus naturalibus,aliud eſt de accidentibus extrinſecus prouenientibus.tertium notandum eſt actionum quaſdam afferre indicationē ſine aliquo medio,ſed immediatè,ſicut ſunt operationes regitiuæ,vt ſi quis rectè intelligat,ille habet cerebrū ſubtile:ſi quis mobilis ſit,indicatur in eo eſſe caliditas dominās.Aliæ verò operationes nō immediatè,& per ſe indicant,ſed per ſua media:hæ ſunt naturales operationes:nō enim indicant ex ſe,ſed per alia media, per ſua

excre

excrementa, & effectus. Ideo habent cognosci hæ, & resolutæ ab operationibus suis naturalibus manifestis: quia ipsæ potentiæ naturales latent nos. quis enim cognoscet, quomodo fiat expulsio bona, & concoctio, retentio bona, vel mala ex se, nisi ex suis effectibus, qui minimè sic haberi possunt, nisi per sua media, quæ, vt dixi, sunt sua excrementa, & ad bonam concoctionem pernoscendã per suũ medium, quale erit? erit bonum: illud bonum excrementum, illud apparens: si sic, ergo bona concoctio. sic itaq; ad habẽdas bonas operationes naturales cerebri, oportet ire per sua media, quæ vbi erũt cõcocta moderatè siue fiant per aures, vel per oculos, aut per nares, aut per os, vel per palatũ, modo sint debita in quinq; suis cõditionibus, in bona substãtia debitæ quãtitatis, & qualitatis, sicut habuimus in secũdo prognosticorum hoc anno, cũ bene concoquat cerebrũ, ergo suæ operationes naturales bonæ: si bonæ tales virtutes, indicatur bonam esse temperaturam; si bona tẽperatura, ergo bonum, & sanum membrum: igitur sic est cerebrum. contrà si mala fuerint excrementa de primo ad vltimum membrum, vel cerebrum erit ægrum, & malè dispositum. Quare videtis iam quomodo hæ virtutes

indic

indicantur, nisi ex suis affectibus, excrementis: si enim bona sit concoctio nécne? sic dicendum de ventriculo, & aliis membris huiusmodi: si enim ventriculus est sanus, fit debita in eo retentio, & expulsio in debito tempore. ergo tunc bene concoquit, & sanus est, patétque has operationes animales, atque naturales manifestari non per se, & immediatè, sed per suos effectus manifestos, quæ sunt sua excrementa: vt si quispiã comedat cibaria mala, & vniuscuiusq; generis ei oblata, & bene concoquat, tunc iudicatis in eo virtutem concoctiuam validam esse: sic dicendum de aliis viribus naturalibus: quę dicta, quoniam sic se habent, videtis quid facit Gale. non potens harum virtutum per se, dat per sua media, per excrementa, & per accidentia extrinsecus occurrentia, & est sextum genus. Ideo dicit ADHVC AVTEM &c. Videtur subticuisse diu; de quibus dicit se postea dicturum, quoniam aliter non potest facere, nisi det indicia de temperatura cerebri per virtutes naturales, de quibus dicit per suos effectus.

CAPVT. XIII.

SIQVIDEM CEREBRVM SORTIATVR BONAM QVATVOR QVALITA

LITATVM TEMPERATVRAM &c. Incipit modo tradere ſigna indicantia ſalubritatẽ vel vt ſemper,& ſalubre vt nunc, pòſt indicat ſigna indicantia ſalubritatem vt nunc, quæ ſanitas appellatur ſanitas culpata. primùm ergo loquitur Gale. de ſanitate ſimpliciter dicta. OMNIA QVAE DIXIMVS HABET MODERATA &c. Pro intellectione horum verborum inquit Gale. ſi quis habuerit bonã temperaturam cerebri, ita vt nõ excedat in aliqua quatuor qualitatum, ſed ſit temperatura cõueniens ipſi cerebro, tunc non tantùm dicit Gale. iſtę actiones naturales erũt bonę, ſed omnia perfecta ab ipſo cerebro, videlicet ipſi ſenſus erunt optimi, virtutéſque regitiuæ etiam bonæ, & cerebri diſpoſitio bona, & capilli, vt diximus, ſe habẽt: ſed vnum hoc notate, quod dicit Ariſt. in primo de generatione, & corrupt. vbi inquit in omni miſtione quatuor ipſas primas qualitates inuicem agere, & inuicem pati, quæ quidem actio, & paſsio ita ſe habent, vt ipſæ qualitates agendo tandem deueniunt ad vnum vltimum gradum, qui eſt temperatura, & forma, quæ forma debet eſſe conueniens ipſius miſti actionibus, in quibus actionibus, & reactionibus accidit, vt quandoque ſit plus de vna virtute, & qualitate, quàm de

de alia, vt plus de calido, vel plus de humido, vel plus de frigido, ita vt ſemper vna primarum qualitatum habet excedere alias in ipſa miſtione, etiam ſecundum qualitates dominabuntur, altera alteri ſicut dominabitur in illo miſto, ſic de aliis. SI HVMIDITAS SVPERABIT, ET MOLLITIES ERIT EXCEDENS IBI &c. Et ſic ſecundæ qualitates habẽt ſemper in miſto vnum actionibus, & reactionibus ſequi actionem primarũ qualitatum. Vnde dico, quãdo vna primarum qualitatum dominatur alteri primarum, ſic ſua qualitas ſecunda dominabitur aliis tribus: at vbi nulla primarum qualitatum in miſto agendo excedit, ſed æqualiter ad pondus iuſtitiæ ipſum miſtum ſit, tunc vt nec miſtum ſit calidum, nec frigidum &c. ſed æquale in iuſtitia, ſi nulla primarum qualitatum ſuperabit alias, nec quidem vlla ſecundarum ſuperabit aliquam ſecundariam. nam miſtum tunc nõ erit nimis durum, nec nimis molle, quod peruenire ſolet ab exceſſu primarum, ſic etiã tunc non erit nec aſperum nimis, nec nimis læue, nec nimis tenue, ſed erit æquale in omnibus ſecundis qualitatibus, ſicut etiam in primis, vt ſuperius diximus, ſic cerebrum etiamſi nullum habuerit exceſſum: ergo erit temperatum: tum enim

enim erit excedens in tenuitate, non in crassitie, non in duritie, nec in mollitie. ergo ratione secūdarum qualitatum nec erit nimis læue, nec nimis asperum si erit temperatum cerebrum, ergo & suæ operationes in substantia erunt bonæ, & temperatę: quia non erit nimium mobile, nec stupidum, nec valde molle, sic nec durum. ergo optimè se habebit: ergo optimè discurret, bene imaginabitur, rectéq; memorabitur. præterea in omnibus sensibus exterioribus exactè habebit, & bona erit dispositio capitis. pręterea si cauitates bonę, ergo & habebit bonam, & debitam quantitatem. & si calor naturalis à principio fuerit bonus, & virtus formatiua valida, & sic habebit optimam formam: nam calor, & suum instrumentum formatiuæ. si enim caput erit bene formatum, & concinnum: ergo, & sua agnata bona, & vt oportet, & sic habebit operationes omnes tam interiores, quàm exteriores sanas, vt iam dictum est: & habetis etiam optima, quæ sunt dicenda, vt dicit Gale. signa de naturalibus virtutibus, quæ sunt excrementa, & accidentia extrinsecus occurrentia, optima afferent indicia in omnibus. Itaque erit tale cerebrum optimum, & temperatum.

SI QVIDEM CEREBRVM &c. Si omnia

omnia iam dicta se bene habebunt in capite, si fuerint temperata, vt dispositio capitis, & omnes sensibiles operationes tam interiores, quàm exteriores, & virtus motiua. deinde si excrementa erunt moderata, & laudabilia: ergo & operationes naturales erunt laudabiles, & sic cerebrum erit temperatum. Diximus enim suprà operationes naturales, non posse manifestari per se, sed per alia, nimirum media: quæ sunt sui effectus, & dicuntur excremẽta. Excrementa autẽ capitis, aut sunt per oculos, aut per nares, aut per aures, aut per palatum: quæ si fuerint laudabilia in omnibus supradictis conditionibus suis, indicabunt suas virtutes sanas, & optimas esse. cum ergo hę naturales operationes indicẽtur per accidens, non per se, quia nemo videre potest, concoctio an bona sit, vel mala, sic nec retentiua, quomodo hæc se habeat, sic dicendum de expulsiua, & attractiua: sed signa, quomodo hæ se habeant, sumuntur à suis effectibus, qui extra apparent. Nã si excrementa fuerint bona, & secundum naturam: ergo & actiones naturales erunt secundũ naturam, & bonæ, quæ sunt attractio, retẽtio, concoctio, & expulsio. si ergo operationes hę erũt optimæ, necessariò & temperatura erit bona, & naturalis. Nam loquimur hic de na-

turalibus in capite: vbi enim apparet bona actio, est & bona ibi facultas, à qua prouenit actio: si bona operatio virtutis, ergo & bona temperatura illius membri: quia ab ipsa temperatura proueniunt bonæ, vel malæ facultates. Dum itaque Gale. vellet videre signa indicantia bonas temperaturas, quæ sumuntur ab actionibus naturalibus, quæ signa sunt in substantia corporis, sed progrediuntur extra corpus, cum non sint partes ipsius corporis, quia versantur circa alimentum, & ista sunt excrementa, per quæ deuenimus in cognitionem virtutum naturaliũ, præterea debetis scire, quomodo vnumquodque membrum, dum viuit alitur, & agit: dum verò cessat agere, etiam à vita desinit. nam vita animalis consistit in calido, & humido, quæ caliditas est in actu, & fundatur in humido ipso, quo continuè nutritur: quod quidem humidum non tantùm consumitur à calore innato, sed etiam ad extimis, seu extrinsecus occurrentibus, vt ab aere, cui semper occurrimus necessariò. deinde consumitur à laboribus nostris continuæ vitæ humanæ, & ab accidentibus animi, à coitu nimio, & à nimiis vigiliis, & tandem ab omnibus sex rebus non naturalibus inordinatè factis. cum enim hæc omnia sic se habeant,

innata

innata est vna necessitas alimenti, cum ipsum humidum continuò ab multis resoluatur: quod quidem alimentum foueat ipsum humidum, & nutriat corpus, ne penitus absumatur. vnde ipsa natura fecit instrumenta conuenientia ad assimilandum cibum ipsum corpori, & vt alimentum possit conficere, & nutrire corpus, oportet, vt prius conficiatur in ventriculo: vnde fit prima concoctio: postea iterum rectificatur in hepate, & est secunda concoctio alimenti. vltimo fit tertia concoctio, quæ est pro vnoquoque membro corporis humani: in vnaquaque vero harum concoctionum necessariò generantur excrementa, quoniam alimentum, quod debet nutrire corpus, & omnia membra, si debet nutrire, oportet, vt assimiletur ipsi nutrito: sed nunquam potest alimentum fieri simile per concoctiones, nec alio modo ipsi corpori, quia omnino non possunt confici: remanent enim aliquæ partes inconcoctæ, & non mutatæ in nutrimentum corporis; quoniam omne alimentum habet in se diuersas partes, ideo necessariò in vnaquaque concoctione debent fieri excrementa. in prima enim cōcoctione fiunt excrementa, id propter natura ei præparauit meatus, & vasa ad expulsionem excrementorum

ipſorum, quæ eſſent ampla, & conuenientia pro tali expulſione, quoniam in prima concoctione excrementa ſunt ſatis craſſa, & corpulenta, & in ſecunda concoctione: fecit enim vaſa vrinaria, & vaſa bilis, quia excrementa non ſunt corpulenta ita, quia ſunt magis rectificata. præctereà & in tertia concoctione ſunt excrementa, quæ quidem ſunt ſubtilia in ſubſtantia in vno quoque membro & ideo cum ſint tenuiora, natura fecit tantum poros cutis: nã hæc ſatis ſunt, per quæ talia excrementa excernantur, vel per ſudorem, vel per inſenſibilem difflationem, vel per ſordes, & ea omnia ſunt excrementa tertiæ concoctionis expellenda: tamen natura habuit maximã curam præ aliis de tribus vẽtribus, de inferiori dictum eſt, ſed & præcipuè de ſuperiori, & de medio vẽtre, tum propter nobilitatem ſuam, tum propter ſuas operationes, quas agunt. Fuit igitur natura ipſa ſolicita, vt bene expurgarentur hi ventres duo, & mũdi eſſent: deinde quoniam ipſi ſunt ſuperiores aliis, & recipiunt excrementa continuè aliorum ventriculorum, cerebrum enim ſemper recipit excrementa aliarum partium ſubiectarum: nam ipſum eſt ſupra alia membra omnia, quæ cum recipiat, debet & ea excernere, & ita vario modo excernit excremen

cremen

crementa ipſa, vt per nares, per aures, per oculos, per palatum, & pars eorum deſcendit ad medium ventrem: qua de cauſa facta eſt aſpera arteria, vt muci expelli poſſint. Quare natura fuit valde ſolicita ad parandos meatus pro toto corpore, maximè ipſo capite ad excernenda ſuperflua: fecit enim nares, quæ ſunt canales ipſi cerebro: deinde fecit meatus intra os, & ſunt fauces, aures, oculi, & multæ aliæ cõmiſſuræ amplæ, variæ, vt exiret ſudor & ſordes. Quare videatis, quàm fuerit ſolicita natura, ad parandos tot meatus in capite, quot poſſunt & fieri excrementa in eo. Hæc enim volui dixiſſe, vt ſciatis, quoniam excrementa cerebri expulſa, & emendata indicant qualiſnám ſit temperatura ipſa, quoniam per hos effectus, vel per hæc media, qualia ſe habuerint cognoſcuntur operationes naturales, ex quibus deinde operationibus cognoſcitur temperatura ipſa. Dicit Gale. ſi excrementa bene fuerint concocta, & moderata in ſubſtantia ſua, in quantitate debita, ac qualitate, & in modo excernendi, & in tempore debito, talia habent indicare bonam temperaturam, & laudabilem in omnibus: & licet tantum excrementa indicent de virtute concoctiua vel bona, vel mala, conſequenter tamen indicant & de

aliis virtutibus naturalibus, quod ſi naturales fuerint bonæ, vt habetur in ſecundo de facultatibus naturalibus, & non tantùm naturales virtutes erunt bonæ, ſed cæteræ omnes in corpore. ſi enim bona erit concoctio, & quidem aliæ ſunt bonæ: ſi concoctio bona, etiam attractio bona, & etiam retentio. Nam nunquam fit bona concoctio, niſi & retentio ſit naturalis, ſed quomodo, & in quanto. ſi retentio non eſt bona, ergo nec attractio, & ſic nec concoctio poteſt eſſe laudabilis, & ſi hæc tria erunt ſecundum naturam, attractio, retentio, & concoctio, ipſa etiam expulſio erit naturalis, vt habetur in ſecundo prognoſticorum. & ideo bene valet, excrementa ſunt bona, ergo omnes quatuor operationes naturales ſunt optimæ, valet quidem affirmatiuè, nõ tamen fortaſſe valebit negatiuè. Vbi ergo excrementa facta habuerint illas ſuas quinque conditiones requiſitas, erunt proculdubio naturalia, & tunc indicabunt operationes naturales optimas, quæ operationes indicabunt & ipſę temperaturam cerebri optimam. ATQVE AB HIS QVAE EXTRINSECVS OCCVRRENT, MINIME LAEDETVR &c. Hic eſt ſecundus locus ab extrinſecus occurrentibus, per quæ indicat bonam cerebri temper

temperaturam, & inquit Galenus vbi erit talis laudabilis temperies cerebri, non facile ab extrinſecus occurrentibus alterabitur, imò ab ea facilè tolerantur ipſa extrinſecus occurrentia æqualiter, ſiue ſit frigidum, ſiue calidum, humidũ, aut ſiccum: tolerat quidem omnes cauſas exteriores æqualiter. pro quo debetis ſcire, vbi fuerit temperatura bona, quæ eſt vel forma ipſius membri, in quo quemadmodum dicit Gale. in lib. an Animi mores temperaturam corporis ſequantur, & ſi non eſt ipſa forma, eſt ſaltem bona, & præcipua ipſius membri actio, & tunc validæ etiam erunt facultates ſuæ. Vbi verò membri temperatura erit naturalis, & bona, ergo & facultates, ſic etiam ſua actio, & forma ſic patitur: contra vbi bona actio, & bona forma, ergo & bonæ operationes. ergo & bona eius temperatura. Hæc enim ſic viciſsim conſequuntur, hinc patet, naturam voluiſſe, vt conſeruaretur indiuiduum duobus modis, primum dediſſe alimentũ, vt alterẽtur & expellerẽtur excrementa: ſecundum, vt defenderet ſe ab externis cauſis occurrentibus: cum enim cerebrum tuetur ſe, & cuſtodit ſe ab omnibus extrinſecus occurſantibus, tunc ſignum eſt in eo bonas eſſe operationes: ſi bonę actiones, ergo optimæ ſunt facultates ſuæ, & bo-

na eius temperatura. Hinc elicimus errorē multorum, qui inquiunt corpora bene temperata non æqualiter, & optimè resistere causis externis, & hoc est eò, quia imaginatio, & assimilatur temperatura corporis humani aquæ tepidæ calidæ, quæ est sine forma sua naturali. & inquiunt per suas consequentias, formam aquæ, quæ est calidior, magis resistere, quàm aquæ temperatæ, & tepidæ: nam minus resistit aqua tepida frigiditati, quàm calida: sic inquiunt corpus calidum magis resistere causis exterioribus, quàm corpus temperatum, & sic volunt excessus habere maiorem perfectionem, quā ipsam temperaturam, & æqualitatem: hæc obiter satis sint, quod manifestissimo suo errore decipiuntur, qui talia esse putant, & vos si hæc vera esse existimatis. TALIBVS IGITVR CAPILLI CAPITIS, CVM ADHVC SVNT INFANTES SVBRVFI, CVM VERO FVERINT ADVLTI SVBFLAVI &c. Cum iam Galen. dederit indicia, quæ indicant de temperatura capitis sumpta ab operationibus naturalibus in capite, quarū obiecta sunt interius, deinde dedit indicia de accidentibus exterius, nunc modo Gale. dat indicia sumpta ab operationibus naturalibus quidem, sed quæ progrediuntur extrà,

trà,& terminantur intra,quæ significãt magnitudinem,figuram,& superficiem , & colorem,quæ quidem operationes sunt naturales,tamen aliquo modo non progrediuntur extrà,& hæ naturales dicuntur nutritiuæ,& augmentatiuæ. Incipit enim procedere ab istis virtutibus naturalibus intrà terminantibus,quoniam vult tradere notitiã, & indicia,per quæ deueniamus in cognitionem temperaturæ capitis. pro notitia istorum verborum,quoniam multi noui in his se intricant,confunduntur que ipsi,miscendo omnia dum extrà,suprà,& deorsum,nõ tamẽ volo narrare varios errores ipsorum, quoniam munus nostrum non est alios carpere velle: nam essem nimis prolixus, sed tamen, vt ex meis dictis suas deceptiones pernoscatis,easque caueatis,pro cognitione vera horum verborum,debetis habere terminos necessarios ab istis. Dicit Gale. talibus igitur capilli capitis &c. primum subrusi, deinde subflaui, postea flaui: in primis sunt habendi omnino isti termini. nam qui ignorant differentias colorum,& species,hi necessariò coguntur aberrare in his: nanq; etiamsi antiquorum vestigia sequuntur, tamen nomina hæc ab his malè vsurpantur: ideo nisi rectè scieritis hęc,incidetis in maximas ambiguitates: nomina enim græca

ſunt habenda, quæ incidant diuerſa: nam dum dicitur rufus, Gale. dicit in textu πύῤῥος, quod verò nos dicimus flauum, Gal. dicit in ξάνθος, ſunt hæc optimè notanda: nã apud græcos hæc duo nomina πυῤῥὸς, & ξάνθος ſunt duo nomina valde oppoſita, & ſunt in communi vſu, ſemper vſurpantur à Gale. Vnde πυῤῥὸς accipitur à græcis pro eo, quod habet colorem rufum, verum colorem croceum, & accedit ad rubedinem & perſæpe capitur πυῤῥὸς pro vera rubedine: hinc oritur prouerbium Suidæ ἅπαξ πυῤῥὸς ἢ δεκάτη ὠχρὸς &c. eſt enim prouerbium eorum, qui ad Hebræos accedunt pro vſura ſatius eſt ſemel erubeſcere, quàm decies palleſcere. Eraſmus in ſuis adagiis nos decipit cum ſua expoſitione: græci enim hunc vſum pro rubeo accipiunt, & pro pallido. nam dicunt πύῤῥος pro rubeo ὠχρὸς pro pallido. Gal. autem propoſito modo dicit, inquit enim πύῤῥον, colorem pallidum ξάνθον verò appellat rufum colorem, qui color accedit ad rufum, non omnino citrinus eſt, & videatis pro hoc Galen. qui in his eſt mirabilis in ſecundo de temperaturis, vbi loquitur de coloribus, vbi inquit colorem rufum medium eſſe inter colorem album, & luteum, & addit ibi rationem, quoniam color rufus generatur à pituita, & flauabile:

ua bile:flaua enim bilis,eſt lutea,& crocea: pituita verò eſt alba, quæ ſi ſimul permiceantur,fit vnus color medius citrinus,& in libro de atra bile dicit loquendo de ſpeciebus bilis,bilis rufa pura eſt coloris flaui, & vbi permiſcetur ei pituita, fit alter color, qui dicitur ὤχρος color pallidus,qui ὤχρος idem eſt cum verbo πύῤῥος ſecundũ Græcos.quemadmodum bilis flaua eſt pura, vt habetur ſecundo de temperaturis, facit colorem rufum,qui eſt medius inter album, & luteum:dum verò permiſcetur ei pituita, qui humor eſt albus,fit color medius, qui dicitur ὤχρος,vel citrinus ex permiſtione horum duorum humorum:dicitur enim citrinus,quia ſimilis eſt colori citri, & tandem ſimilis eſt,vt ſi permiſceatur aqua cum croceo,fit tunc talis color,qualis ex pituita, & flaua bile.prætereà Gale.in tertio de ratione victus ſalubris, vbi dicit colorẽ πύῤῥον videlicet colorem rufum non indicare ſiccitatem,ſed humiditatem,arguendo contra nonnullos volẽtes ſuſtinere Germanos eſſe flauos,ſed non ſunt flaui, imò rufi,qui color nobis indicat humiditatem adeſſe: nam Germani magis vergunt ad humiditatem:& ſic videtis quomodo ex permiſtione horum duorum humorum bilis, & pituitæ fiat color iſte medius citrinus,medius inter

album,

album,& luteum, sed in hac permistione plus est de pituita, quàm sit portio ipsius bilis. Ideo cum Galen. dicemus corpus illud humidum esse, quod sit rufi coloris, & tunc cognoscetis ex notitia huius coloris, dum apparebit, & est pura bilis similis quidem croco, & sic videtis, quomodo ex permistione horum duorum humorum fit color iste, & sic videtis quomodo verba Gale. consonent: iam habetis qui color sit rufus, quisue citrinus. his visis secundum notandum est, vos debere scire, quænam sit materia pilorum, & quænam sit causa efficiens: deinde quisnam sit eorum locus, & modus, vt generentur, quæ omnia habentur à Gale. in secundo de temperamentis, quia sibi inuicem correspondent ambo. quænam sit materia pilorum? materia quidem pilorum est vapor fuliginosus, qui modo ab vno humore, modo ab alio, vt puta modo à bile, modo à pituita eleuatur, & ab aliis putridis, & secundum diuersos humores putridos diuersi fiũt vapores, qui habent varios generare pilorũ colores. nam si à pituita putrida ascendunt vapores, ille vapor fuliginosus habet facere pilos albos, quoniam pituita de se alba est. si autem à melancholia ascendit vapor, fiunt pili nigri, quia melancholia est nigra. si à flaua bile vapor ille, tunc generat pilos

crocei coloris.ſin autem à ſanguine fuerit, tunc fiunt pili rubri. ſi vapor aſcendens eſt ab humoribus aduſtis,tunc fiunt pili coloris pallidi,& cineritii. ſi à diuerſis humoribus ſimul miſtis,generantur etiam pili diuerſorum colorum. vtimur enim nos his nominibus,prout iſti vſurpare ſolent. nam & alii alia horum afferunt nomina. cauſa verò efficiens pilorum eſt ipſe calor agens in materiam,vapores illos, & vt calor ipſe eſt,vel fortis,vel debilis,ſic generantur pili, vel robuſti,vel debiles,ſecundum magis, & minus.tertiò humida ſunt loca, in quibus oriuntur ipſi pili,quæ quidē loca ſunt meatus cutis:quæ cutis ipſorum pororum eſt repleta, & ſunt neceſſarii, vt poſsint exire. quartò eſt habendus modus,quomodo generantur,& quomodo deueniant per poros extrà,& quando non poſſūnt exire extra cutem,cur ſint minus craſsi. modus enim eſt vapores iſtos deuenire ad poros cutis,qui vapores ſunt craſsi de ſe,ibique inhærēt meatibus illis,& non exeunt : quemadmodum facit fuligo in fornace,adhærens parietibus ipſius fornacis, vel camini. poſteà veniunt alii vapores extrà,qui expellunt primos ad exteriores partes,deinde & alii expellentes ſecundos,& ſic dum exeūt adhærent ſimul extra exeundo, & generatur vna pars corporea,

porea,

porea,quæ appellatur pilus, nec cessat iste motus quousque non exeat tale corpus generatū,quod est rotundum,vel teres,rotundum in longum protractatum,vt apparet, sicque generantur pili. Quare patet quænam sit causa materialis pilorum quæ causa efficiens, quæ est calor agens in materiā illam,deinde quis sit locus,vnde exeūt, vltimò quisnam sit modus suæ generationis. habitis his quomodo fiant pili,& quomodo pullulent extra,& à quibus causis, propter hæc iam manifestum est, quare pueri careant pilis,& id est,quia non habent vapores illos fuliginosos aptos ad procreationē pilorum,habent quidem multos humores, & multos vapores,sed non fuliginosum,terrestres,vt fiant pili,sicuti fit in adultis. Humor enim est in pueris,vt aqua,& humidus valde:sed non habent causam agentem dispositam,& idoneam, nimirum calorem ad hoc munus obeundum, sicut nec causam materialem,nec locum. meatus cutis, quia cutis puerorū est tenera valde,& mollis valde,& est sicut caseus recens, & tener: quia si caseus perforetur, statim redit in se ipsum,vt prius:sic est cutis puerorum: nam si fiant meatus in eorum cute,denuo restringuntur. Ideo non sunt pili in pueris, nisi in ægris diu ob multos vapores putridos. Quare

re

re patet iam causa, cur in pueris non appareant pili, eadem causa est de mulieribus cur careant pilis, cum earum cutis sit valde mollis, & sint valde humidæ, in adultis verò fit totum oppositum, quod in pueris: nã in adultis materia est idonea, & multa causa efficiens debita, & locus cõueniens: nanque earum cutis non est sic tenera, sicque mollis, vt in pueris, & in mulieribus. In senibus tametsi ipsi sunt apti ad pilos generandos ratione causæ materialis, vaporum, & loci, tamen deficit in illis causa formalis, id est, calor, & cutis pori in ipsis non astringuntur, vt falsò dicunt multi medici, qui volunt caluitium fieri ex siccitate cutis, propterea quòd astringatur. Ideo meatus suæ cutis non obstruuntur, imò totum oppositum fit quoniam fiunt sicci, & cutis permanet dura, & sicca. vt ideo semper patent ipsi pori, & necessariò fit caluities in illis ob hanc causam. Itaque non video, quomodo ex siccitate secundum istos possunt claudi pori cutis, vt fiat caluities, imò, vt dixi, fit totum oppositum, qui pori remanent in ipsis nimis aperti, & cadũt pili, sic bene fit caluities. præterea quæ appetunt senes, illis sunt contraria: vnde multi mali humores generantur, & in senibus sunt multa excrementa fœtida, & maximè circa caput, & caluent ipsi

ipsi senes propter siccitatem, quæ facit poros permanere apertos. licet enim vapores in ipsis ascendant ad meatus cutis, nō tamē generantur pili, quia meatus sunt aperti ad hoc: nam sunt nimis lati, ac nimis ampli. ideo si pili debeant generari, oportet ipsos meatus esse non nimis amplos, nec nimis strictos, sed necesse est, vt medio modo se habeant. Quare patet caluitiem peruenire in senibus propter siccitatem in cute. TALIBVS IGITVR CAPILLI CAPITIS CVM ADHVC SVNT INFANTES SVBRVFI &c. Vbi enim fuerit bona temperatura in infantibus in capite, capilli illorum erunt subrufi; illud enim, sub, dicit diminutionem, non sunt verè rufi, tendunt quidem in colore ad citrinum albicantes. & si illi pueri fuerint temperati in cerebro, tunc ratione suæ ætatis abundant plurima pituita, & aliquanta bile, ideoque in capite apparent capilli subrufi vergētes potius ad albedinem, quàm ad colorem rufum: tales inquam capilli in infantibus apparentes bonum signum est, eos habere bonam temperaturam cerebri: sed posteà vbi fiunt adulti, calor incipit inualescere, ac pituita, quam habent plurimam ratione ætatis, incipit diminui, & bilis incipit augeri. Itaque tunc in pilis fit color aureus ratione bilis

bilis auctæ,& caloris. tunc ergo incipiunt tendere ad colorem magis luteum, & fiunt subflaui: dum verò adoluerint pueri, fiunt flaui, quia tunc calor,& bilis magis vigent, quemadmodum patet experientia quotidiana. Vnde dum pueri adolescunt habentes cerebrum temperatum, habent colorem flauum in pilis,& aureum. In prima ergo ætate capilli sunt subrufi vergentes ad albedinem: cum verò pueri fiunt subflaui in adolescentia, postea fiunt flaui. Medii qui sunt intra eos, qui omnino sunt crispi. Dum Gal. vsque huc egit de coloribus, adhuc non dedit causam crispitudinis, quæ triplex esse potest, vt habetur in 2. de temperaturis,& vna harum est calor debilis, qui non potest validos illos vapores extrà transmittere, sed imbecillè.& ideò exeunt obtorti,& in obliquum,& sic fit crispitudo,& quandocunque calor est validus in expellendo, tunc exeunt pili per rectum, & non sunt crispi, nisi parum, & vergunt ad quandam albedinem. secunda causa crispitudinis est calor magnus vehemẽs, qui quãdo potens est, impellit vapores illos cũ impetu extra, & fit crispitudo ita, vt adurat quasi calor ipsos pilos, quemadmodũ patet: etiamsi pilus, vel capillus apponitur igni, fit obtortus,& contrahitur:& quæsto sola-

mente vsano hoggi le care nostre madõne, contrahuntur inquam, quoniam pars terrestris aduritur, sicut apparet etiam in chordis cytharæ, si apponantur igni, sic inquam facit calor vehemens interius adurendo capillos: & isti, qui sunt crispi, hac de causa persæpe habent capillos ipsos, & pilos nigros ratione caloris vehementis, licet quandoque flauos, tamen sæpius nigros, vt videre est in Aethiopibus, & illa est vera crispitudo, & habet asperitatem, quæ est à secunda causa. nam aliqui reperiuntur crispi, & flaui; sed ista non est vera crispitudo. Qui verò habent capillos planos, illi indicant materiam planè humidam. At qui habent capillos medio modo, vt hic ponit Gal. isti habent cerebri temperaturam bonam, & mediocrem: propterea quòd capilli sunt medio modo, non omnino crispi, non penitus plani: & ideo non excedunt in aliqua quatuor qualitatum. Qui enim sunt valde plani, isti sunt frigidi, & habent cerebrum frigidum, & humidum, & isti per tempus nõ patiuntur caluitiem, vt patet in pituitosis, quia nõ habent temperaturam siccam cerebri. Præterea non fiunt calui, quando eis non deficit alimentum ad generandos pilos. ideò nihil mirum, si non facilè canescunt: sed qui habẽt temperaturam cerebri

cali

dam,idem habent pilos tendentes magis ad nigrediné, & crispitudinem:sic verum est crispitudinem causari ab ingenti caliditate,vt dictum est,quod facile experimento comprehédi potest. Nam si accipiantur capilli, qui appropinquantur igni, statim efficiuntur crispi, ob maximam caliditatem consumentem humiditatem contentam in ipsis.vnde tunc materia illorum pilorum contrahitur ad suum principium,& sic causatur illa crispitudo; atque etiam si isti tales abundant plurima bile adusta,eleuati vapores adusti ab ista,qui cum & ipsi expellantur ad pilorum generationem,nigredinem,& crispitudinem ipsorum pilorum præstare valent.

Pro his quæ dicebamus de coloribus capillorum capitis in variis significatis illorum nominum,ne quis decipiatur in dictis illis,quæ scribuntur à Gale.in primo de crisibus in capite de vrinis ex malo intellectu verborum,debetis scire, ibi Gal. sibi constare:sicut & in aliis locis vbique. Ideo pro certo habebitis,quod in eo loco vult colorem rufum,vel πύῤῥον à Græcis dictũ esse medium colorem inter album,& flauũ,vel luteum:& certum quidem est,quod ibi loquitur de his.nam ponit quatuor species colorum,vel quatuor gradus,inter quos gra-

dus appellatur ὤχρος id eſt, pallidus, quia habet nimium coloris & flaui,& citrini, vt palea, & eſt pallidus, licet habeat aliquid citrinitatis, vt ſe habet albedo quodam colore, hic eſt primus gradus, à Gal. hic poſitus. Deinde ſecundus gradus eſt, qui eſt intenſior & vocatur πύῤῥος id eſt, rufus: eſt enim color intenſior,& eſt medius inter albedinem,& flauum,& vergit magis ad albedinem, quàm ad rubedinem,& ſic diſtinguit pallidum à rufo ſecundum magis, & minus intenſum. De his verò differentiis colorum magis diffuſè locuti ſumus extraordinariè, de excremẽtis,& de vrinis in ſecundo prognoſticorum: ideo nunc ſatis dictum ſit: ad rem autem noſtrã accedamus. Dicebat Gale. vbi iam pergit de coloribus capillorum indicantibus temperaturã cerebri in homine, perſequitur modo, & inquit. QVAE VERO DICTA SVNT, AC POSTEA DICENDA INDICIA SVNT. Quoniam Gal. traditurus eſſet ſigna omnium temperaturarum tam bonarum, quàm non bonarum, quæ præcipuæ ſumuntur ab operationibus naturalibus,& ab effectibus, vel paſsiõibus, ſicuti ſuperius diximus, infráq; dicemus: paſsionibus inquam & membrorum, & totius corporis tam interioribus, quàm exterioribus: cum

vide

videret Gal.traditurus ſigna ſumpta ab operationibus naturalibus, & ab effectibus, videret inquam,ſumpta ab actionibus,quæ actiones permanent intus, & intus terminantur,non autem progrediuntur ab ipſo corpore,& hæc reſultant, & producuntur à virtute generatiua quemadmodum eſt figura,quæ producitur ab ipſa generatiua,calor,& pili cutis.cum ideo ſit dicturus de horum ſignis,viderétque hæc nõ ſemper eſſe vera,imò ſæpe fruſtrari,ob eam rẽ voluit hoc in loco Gal.afferre vnum documentũ, quo rectè obſeruato deinceps omnia hæc ſigna, ſumpta ab actionibus naturalibus erunt ſemper vera,& inquit. QVAE VERO DICVNTVR &c.inquit Gal.quæ iam diximus,& quæ dicturi ſumus de ſignis, & actionibus naturalibus ſumptis in cerebro diſtemperato,habent hoc commune,quod non verificantur,niſi in locis,& regionibus temperatis;ſic enim debent intelligi verba Gal.notetis multos nouos decipi, quorum vnus eſt Vgo. Nam non rectè aſſequuntur mentẽ Gal.in his,quæ dicta ſunt ſuperius, referunt hæc dicta ad operationes animales ſenſibiles, & tam de interioribus,quàm de exterioribus volunt intelligi ſignis:ſed dico tantum hanc regulam veram fieri in his,quæ proueniunt à virtute generatiua:vt

figura,calor,capilli,quia si sit Germanus,il le habebit operationes cerebri iam dictas bonas:ergo habebit cerebri temperaturam optimam,sed non habebit capillos colore correspondentes ipsi temperaturæ cerebri, quia non habitat in regione tẽperata. Ideò patet hos recentes malè intelligere verba Gal.quoniam verificantur verba ipsius tantum in regione temperata. Ideò patet hos malè intelligere verba Gale.& quomodo hoc sit verum,incipiamus à cute Germani, omne Scytharũ genus in 50.48.45.gradu, qui habitant sub Septentrione. omnes isti populi sunt de genere regionum frigidarum:postea ab alio latere sunt Indi, & Aethiopes,qui sunt oppositi Scythis ex Diametro. Nã & Aethiopes,& Indi versantur, & oriuntur sub maximo calore, & sunt nigri,parui,asperi,crispi. Germani verò sunt rufi,habent carnes molles,& albas cũ paucis pilis, & sunt corpore magni, sicut per oppositum,qui sunt Aethiopes,habent carnes aridas,nigras, & pilos nigros, crispos, aridósq;:nam sua cutis est calida, & sicca maximè:in Germanis verò pili sunt albicantes,flaui,vel subflaui,& propriè à Gal. appellantur rufi. In his ergo regionibus distemperatis cutis est varia, & figura, & color simul & pili. Itaque non possunt indicare

care

care varietatem, quænam sit temperatura illorum intra: capilli ergo horum non indicant temperaturam cerebri. Nam Germani, etsi non habeant multos pilos, tamen interius sunt calidissimi, & sunt fortes, iracundi, & optimi in armis, & habent carnes molles, albas, tamen in eis dominatur plurimum sanguinis: & si caro eorum, & pili indicēt dominium pituitæ. sed quia ipsi habitant sub aere frigidissimo, & in regionibus frigidis, ideò cutis & pili horum sunt tales ratione frigoris: sed habent calorem innatum validum interius, ratione cutis sunt animosi, & bellicosi Germani. ergo & Scythæ habent exteriora frigida ratione aeris frigidi, & regionis, atque habent carnes molles, albas, & pilos. Nam vapores eleuati sunt frigidi cum pauca bile, & sic sunt tantum extra pituitosi, & sunt rufi coloris. Nam color vnusquisque indicat hominem habere dominium humoris, sed in partibus interioribus sunt calidi, vt patet ex sua animositate, & audacia. quare ex eorum cute non potest haberi, quænā sit temperatura cerebri in illis, sed habenda sunt alia signa, si debet agnosci eorum temperies. Nam dicit Gal. in secundo de temperaturis, quod signa sumpta ab operationibus nūquam fallunt de se: signa verò sum-

pta extrà dicit, vt color pili, cutis figura sunt fallacia. ideo quãdo videtis Germanos, no lite ex huiusmodi signis afferre iudicium, quòd habent talem temperaturã, quia deci piunt vos. Nam opus est videre etiam operationes vniuscuiusq; membri, in quacunque regione fueritis, & tunc omnibus rectè perpensis non decipiemini in habẽda tem peratura. ex opposito sunt Aethiopes, vel Indi, qui sunt nigri, exusti, habent cutẽ duram, aridam, pilos nigros, indicant quidem summam caliditatem, sed tantum in parti bus exterioribus; quia calor ratione aeris, & regionis, in qua habitãt est dispersus extra: & intus sunt frigidi & humidi, ideò nõ sunt bellicosi, sed pusillanimes, & effœminati. cutis ideo Indorum, & Aethiopũ propter maximum excessum aeris calidi, est nigra, exustáq;, & arida, ac pili sui, qui proueniunt ab humore adusto, sunt etiã nigri, adusti, & crispi: intus verò sunt frigidi, quia calor totus extrà est expãsus. Non debemus ergo à cute, & à capillis in regionibus distemperatis, & extremis sumere indicia de temperatura cerebri, quia non potest hoc esse, nec verificari, nisi in regionibus tẽperatis, vt apud nos, & in Græcia, in quibus regionibus aer est temperatus, & mediocris. Vnde tunc cutis est talis coloris, qualis est

tem

temperatura interior, sic tunc bona indicia erunt sumpta à capillis,& ab ipsa cute. Regiones autem temperatæ sunt maximè Italia,aut Græcia:sic enim dicit Gale.& hæc sunt sua dicta de his hic. QVAE VERO &c. Deinde Gale.notat vnum aliud, hactenus omnia,quæ attinent ad cutem,& ad capillos sunt facilia,quæ ad cerebri temperaturam respondent. quantum enim attinet ad cutem,& ad pilos verum est dictum Gale. quod semper debemus attendere magis regiones temperatas,si volumus optimè habere cognitionem temperaturæ interius.at in capillis non tantùm debemus attendere regionem temperatam, sed & aliud, nimirum proportionem humorum in corpore humano dominantium,qui humores quidem proportionantur temperaturæ cerebri,& cum eo conueniunt. sunt nonnulli, qui dixerunt hoc esse proprium pilorum etiam,& non tantùm temperaturæ aeris, sed ratione humorum in corpore, nos dicebamus de materia pilorum, ipsam esse vapores fuliginosos humorum ascendentium ad cutem ratione caloris agentis,qui vapores habent diuersitatem inter se à varietate ipsorum humorum .quoniam si vapores oriuntur à bile flaua,generantur pili flaui. si verò à melancholia,vidētur pili nigri in

cute: si verò à pituita vapores illi, producũt pilos albos, quia pituita de se est alba. si autem à sanguine oriuntur, fiunt illi tunc pili rubei coloris. Itaque pili, & capilli semper habent suum colorem, secundum dominium humoris inter corpus; & si humores dominantes fuerint permisti & pili habebunt diuersos colores, & quales oriuntur ab illis humoribus. hoc enim verum est in se, quod non tantùm debemus attendere ad excessum aeris circa pilos, sed etiam ad humores, ipsos, & non tantùm hoc est verum in naturalibus, sed etiam probatur sic esse in affectibus, qui eueniunt: verbi gratia videmus aliquem, qui diu ægrotauerit, in quo fiunt capilli albicantes, tenues, quia diminuitur calor naturalis, & adiungitur pituita, vt apparet in phlegmaticis, & etiã patet in morpheis alba, & nigra, & dicuntur vitiligines. isti enim in talibus affectibus faciunt quidem pilos albos, & nigros, & faciunt pustulas albas, & nigras secundum diuersitatem humoris denominantis in eo. nonne ego vidi morbos, in quibus dum pili erant albicantes, fieri nigros: & contrà etiam, qui laborant morbo gallico, si habent pilos nigros, eos transmutari in albos. Itaque hoc manifestum est hanc mutationẽ pilorum fieri à diuersi

tate, vel dominio humoris prædominãtis: ficq; non debemus arguere temperaturam cerebri talem eſſe, ſicut apparet color pilorum: quia pili, vt iam probatum eſt, immutantur à dominio humorum, & nõ ſemper manent iidem. Iſta quæ dicta ſunt ab iſtis omnia ſunt in ſe vera: at expoſitio ſua non ſtat cum ſententia Gale. Nam ſi verum eſt hoc, quod dicunt Gale. ſibi contradiceret, nihilque boni diceret. Ad quid enim diceret Galen. capillos habere hoc proprium, quod mutẽtur in colore pro diuerſitate ho rum, qui dominãtur. Nónne hoc etiã conuenit ipſi cuti, & commune eſt ei, quæ mutatur ad mutationem coloris humoris dominantis. ſicut enim quilibet humor ad eã adhæret ſiue ſit ſanguis, vel pituita, vel melancholia, vel flaua bilis dominans mutatur: ſic color cutis vel in læuitate, vel aſperitate variatur, etiam in colore. nam ſi ſanguis dominatur, fit rubea: ſi pituita, fit alba: ſi bilis flaua, fit flaua: ſi melancholia, fit nigra. At Gale. cur dixit in ſecũdo de temperaturis, quod de cute hoc verum eſſe deberet, quæ mutatur à dominio humoris, & non de pilis? Dico quod hæc fecit, quia ex primo, & ſecundo dedit intelligere. Quare non vult dicere hoc tantùm eſſe verum, & proprium pilorum, ſed etiam cutis: nónne

quarto de tuenda ſanitate dixit, cutem variari in humoribus dominantibus, & in colore, & ibi non dixit de pilis. At quare hoc in loco dixerit hoc eſſe propriũ pilorum? Dandus eſt alius ſenſus verbis Gale. diuerſus à mente iſtorum: quomodo autem dici debet? Dico hoc ex ſe manifeſtum eſſe ab ipſa natura rei. Debetis inquam ſcire capillos in capite habere vnũ, quod quidem non habent pili cęteri naſcẽtes in toto corpore. Nam capilli habẽt hoc, quod nõ tantùm oriuntur à vaporibus aſcendẽtibus ab humoribus in capite, ſed etiã ab excremen tis contentorum in ipſo capite. nam cerebrũ habet ſua excrementa, ex quib. partim in capite generantur pili, capilli, & barba: cerebrũ enim ſemper emittit vapores extrà. Vnde capilli generantur longi, qui vapores proueniunt à ſubſtantia cerebri, ex quibus & barba etiam generatur non tantum ita, vt facit in capillis, quia dum aſcen dunt, magis fouẽt capillos, quàm barbam. Quod cum ita ſit, non tantùm oportet attẽdere ad dominium humorum, & habere temperaturam cutis, ſed oportet etiam cognoſcere temperaturam cerebri. Vnde dicimus capillos habere hoc proprium, quod pro ipſis non ſolùm debes habere temperaturam cutis poroſæ, ſed etiam cerebri ratione

tione vaporum à contentis cerebri ascendentium, & fateor quidem, quod aer multum facit ad colorem pilorum, & capillorum alterando eos, vt patet apud istas nobiles mulieres quotidie sibi caput sub sole, & capillos cõcinnantes, & inungentes. fiunt enim in sole capilli rufi, & albicantes: quod non est in rusticis, quæ habent suos nigros: facit quidem aer quid immutãdo capillos. sed præter aerem dicit Gale. habent etiam vnũ aliud, quod habent humores, qui proportionantur ad temperaturam cerebri. Habent ergo capilli respectum ad dominium humorũ præter aerem qui proportionatur ad cerebri temperiem, cum vapores multi ascendunt. supponatis vos, quod sit cerebrum calidæ & siccæ temperaturæ, capilli deberent esse nigri, dum asperi, vt melius infrà videbitis. Meritò igitur huius temperaturæ cerebri, ac substantiæ debent esse sicut dicunt. sed supponatur etiam hepar esse infrigidatum, ratione cuius infrigidationis inde plurimi vapores ascendentes, & materia pilorum habeat dominium frigidi, & humidi, dum ascendunt tales humidi, ac frigidi vapores ab hepate ad cerebrum calidum, & siccum, huius natura coloris tunc erunt isti: capilli quidem patet, quod non erunt nigri, nec crispi, & asperi,

vt

vt deberent esse ex substantia ipsius cerebri, non tamen sic sunt. Ecce etiam qualitates immutantur, quia sunt mutati colores. non sunt albi, vt deberent esse ratione materiæ ascendentes, nec nigri, & crispi, vt deberent ratione loci, cerebri, sed tūc erunt medij coloris, habēt medietatem inter album, & nigrum: medij etiam inter crispitudinem, & planitiem, & hoc quia suę causæ sunt etiam mediæ. nā cerebrum est calidum, & siccum: hepar verò frigidum, & humidum. Itaque ex his duobus extremis, medietas vna sit, qui non sunt albi omnino, nec omnino nigri, duri, & crispi. si verò cerebrum fuerit humidū, & frigidum, & vapores cerebri pro capillis sint pituitosi, tūc capilli erunt albi, & molles, ac plani, & sic patet, quod dicit Gal. verum esse, capillos habere hoc proprium, quod varientur secundum diuersitatem humorum, qui proportionātur dispositioni, & substantiæ cerebri. si verò cerebrum fuerit vnius temperaturæ, & humores in corpore habuerint aliam temperaturam, tunc fient alij colores in pilis. licet enim humores, qui sunt in corpore adhærētes cuti, alterant ipsam cutem, non tamen habent quid in se, quod proportionetur temperaturæ cerebri: quia sunt optimè temperati: sed humores, qui sunt

ſunt in cerebro proportionati, ij bene immutantur ad eius ſubſtantiam. & ideo non ad omnium humorum proportionem verificantur colores capillorum, ſed tantùm hoc, capillos variari in colore ſecundũ humorum temperaturam variam: quę ſic qui humores correſpõdent cerebri ſubſtantiæ, quia ſi non correſpõdebunt, ſic non erit verum hoc. & ex his dictis ſequitur vnũ correlarium notandum cõtra nonnullos medicos, qui in collegiis ſine vlla diſtinctione arguendo ſic dicũt, ipſe habet temperaturam calidam cerebri; quoniam habet criſpitudinem, & capillos nigros. Volunt ſic criſpitudinem, & capillorum nigredinem neceſſariò arguere cerebri caliditatem, & hoc prouenit ex ignorantia huius libri, quẽ continuè citant, & dicunt in ſecundo artis paruæ hoc, & hoc dicit Gal. quem minimè intelligunt: non ſunt enim ſic temerè pronuncianda verba Gal. vt ſonent. Nõ enim oportet dicere, capilli ſunt criſpi, nigri, duri: ergo cerebrum eius eſt calidum. & non aduertunt hoc poſſe prouenire à nimia hepatis caliditate, quæ poteſt trãſmittere vapores ſuos, & materiam aduſtam ad cerebrum frigidum, qui vapores habent generare capillos nigros, & duros, ac etiam criſpos, & tamen cerebrum ſit frigidum tem-

peratura, tales homines habentes huiuſmodi cerebrum ſunt bonorum morum. Qui verò ſunt temperaturæ calidæ, & cecebri, hi quidem ſunt malorum morum, & inſtabiles. Et ideo perſæpe tales capilli duri nigri, criſpi, tranſmittẽtis hepatis ſunt proles, proueniunt à tali materia aduſta hepatis tranſmittẽtis eã ad cerebrum. Itaque oportet prius conſiderare temperaturam multorum, quando apparuerint tales capilli: videréque cordis temperaturam, ac hepatis etiam: nã ſi hepar fuerit valde calidum, & capilli appareant nigri, duri, ac criſpi, tunc non debetis arguere ſuper temperaturam cerebri, ſed neceſſariò arguere, tũc cerebrum eſſe calidum: ſed oportet quærere aliam differentiam, videre omnes operationes hepatis, & cordis, an cor ſit tempe raturę frigidę, vel calidę: quoniã ſi cor erit frigidæ temperaturæ, & capilli ſint nigri, duri, aſperi, ac criſpi, nec hepar excedit in nimia caliditate, tunc bene valet dicere; quod ſit cerebrum in dominio calidum. at ſi cor ſit calidum & ſiccum, & capilli ſint, vt diximus, tunc non eſt arguere de caliditate cerebri neceſſariò: quia tunc poſſumus arguere, quod ſunt vapores aſcendentes ad cerebrum. vnde tales generentur capili. contra etiamſi magna eſt cordis frigiditas,

ditas, & caput habeat capillos albicātes,& planos, non ſemper debemus arguere cerebrum eſſe frigidum : ſic etiam ſi hepar fuerit frigidæ temperaturæ, & tales appareant capilli albi, & plani, non ideo eſt ſic temerè pronunciandum. & ideo dicit: QVAE AVTEM AD CAPILLOS ATTINET &c. SI VERO CALIDIVS SIT, QVAM OPORTEAT. Hactenus Gale. tradidit nobis ſigna indicantia bonam cerebri temperaturam ſimpliciter, & vt multum, nunc modo vult pertranſire ad alia indicia, quæ denotant cerebri temperaturam bonam vt nunc, quæ eſt diſcraſiata, ac culpata : nam habet exceſſum in qualitate:& ideo appellatur ſanitas vt nūc, quemadmodum habetur in illo libro an ars tuendæ ſanitatis &c. vbi appellat ſanitatem vt nunc, ſanitatem culpatam; de huiuſmodi ſignis Gale. in hac parte intendit agere, & primum affert vnum documentum, quod eſt commune in omnibus temperaturis. tale autem eſt, quod vbi eſt exceſſus in aliqua qualitate in cerebro, aut in corde, vel in hepate, ſi iſte exceſſus fuerit maximus eius qualitatis, etiam ſua ſigna in tali exceſſu appparebunt magna. ſi verò erit paruus exceſſus, ac ſigna eius erunt parua,& dicit. ſi enim cerebrum fuerit val-

de calidum, & excedat in caliditate: sic etiam signa eius caliditatis erunt magna in cerebro: si parua erit caliditas cerebri, sic parua apparebunt signa huius caliditatis. Hæc enim omnia sunt facilia: quoniam ista signa sumuntur à facultatibus naturalibus. ista quidem signa sunt ea, quales actiones: actiones verò sunt quales se habent facultates, facultates sunt vt se habet temperatura. membra omnia hæc se inuicem sequuntur, verùm secundum magis, & minus variãtur, &c. COMMVNIS AVTEM HAEC RATIO STATVATVR &c. Inquit aũt hoc documẽtum esse omnibus partibus commune, & membris præcipuis, à quibus signa temperaturarum sumuntur.

CAPVT. XIIII.

DEINCEPS SIGNA CEREBRI CALIDITATIS &c. Nunc Gale. accedit ad afferenda signa indicãtia nobis excessum, vel intemperiem cerebri, & prius dicit de cerebri temperatura in caliditate excedente, & inquit quęnám sint hęc signa, quæ sumuntur ab actionibus naturalibus, & ab effectibus. Diximúsq; superius actiones naturales duplices esse in genere; vna harum species est, quæ non progrediuntur

extrà;

extrà, sed intrà terminantur, quæ faciunt ad generationem, & augmentum, generatiua virtus, & motiua. Aliæ sunt, quæ non progrediuntur extrà, sed terminantur intrà, & hæ sunt quatuor naturales virtutes attractiua, retentiua, concoctiua, & expulsiua. Aliæ sunt, quæ extrà, & intrà terminantur, nunc incipit dare signa ab actionibus naturalibus, quæ operationes non progrediuntur extrà, vt superficies cutis, pili, & inquit quod hæc signa erunt in cerebro calidæ temperaturæ. prætereà, quæ diximus? dicebamus aliquarum qualitatum esse excessum magnum, & signa fore magna: si paruus fuerit excessus, parua etiam signa talia erunt. QVOD EA, QVAE CIRCA CAPVT OMNIA RVBICVNDA &c. Affert modo signa talia per sua nomina, & dicit primum apparere ruborem circa omnes partes capitis, & calorem, & venas in oculis magnas. Notandum est cerebrum calidum exigere sibi plurimum alimenti, quia plurimum consumit humidi. Nam ex hoc sequitur necessitas alimenti, quia quanto magis absumitur humidum à calido, tanto etiam maiori eget cibo pro restauratione. Itaq; Gal. secundo de temperaturis rectè inquit, qui sunt calidę temperaturæ, hi plurimo egent

alimento, & maximè dum morbo laborant. Verum ergo hoc est cerebrum calidum plurimo indigere alimento, & cum vnicuique membro attributæ sint quatuor virtutes attractiua, concoctiua, expulsiua, retentiua, quæ sunt naturales pro conseruatione mēbri, cúmq; aliquod membrum est calidum, plurimū attrahit alimentum, nimirum sanginem pro sua nutritione: si attrahit plurimum sanguinis, ergo est ibi multitudo sanguinis. præterea in cerebro calido adsunt multi spiritus ob mobilitatem actionum, & operationum suarum nō tantùm cognoscentium, sed etiam motiuarum. sunt igitur in cerebro calido plurimi spiritus, ac multitudo sanguinis. prætereà tale cerebrum habet vias amplas, ac meatus apertos, & latos. Nā vapores præparant sibi vias has. cum in cerebro calido hæc tria, plurimi spiritus, multitudo sanguinis, & viæ apertæ reperiantur, consequenter cerebrum habebit rubedinem in cute capitis. posteà quia sunt viæ amplæ, quæ sunt instrumenta apta, vt facile sanguis, & spiritus sibi vniantur, & ista est causa, quod qui habuerint caput calidum, habeant hæc signa, aduertendum tamen hoc signum esse non vniuersale, & semper verum. vnde multi decipiuntur: propterea quod
non

non valet hæc consequentia necessariò, est robur in capite, & calor, & apparent venæ magnæ: ergo calidum est tale cerebrum. sed isti volunt hoc valere, dicunt, habet venas amplas in capite, deinde habet colorem rubeum: ego suum cerebrum calidum est. Dico esse fallaciã, arguendo à superiori ad inferius affirmatiuè. valétne est animal, ergo homo? minimè. sic hoc in loco non valet, est color rubeus, ac calor percipitur, & venæ magnæ apparent: ergo cerebrum calidum necessariò? minimè. Nam potest esse rubor in capite, qui proueniat ab alia causa, & tamẽ cerebrum sit frigidum, non autem calidum, quia si sit hepar calidum valde, cuius humor calidus ascendat ad cerebrum frigidum, vnde cutis capitis sit rubea, & calida, cum venis magnis, tum hoc non erit ratione cerebri, quia est frigidum, sed hepatis calidi erit. Ideo collectio in capite plurimi sanguinis, ac multorum spirituum tantum ratione hepatis, & sic nõ est necessarium, quod in capite spiritus, ac sanguis existentes, sint à calido cerebro, sed à caliditate hepatis transmittentis illos vapores calidos, etiam si percipiatur caliditas tactu, non ideo necessariò debemus arguere, hoc prouenire à caliditate cerebri: & sic quãdo videtis colorem in facie

rubeum,non debetis arguere necessariò,ergo iste habet cerebrum calidum. Non, quia potest esse,vt appareant hæc signa alia de causa absque temperatura calida cerebri. Itaque estote attenti: nam alia sunt aduertenda signa,quia si in hoc venæ essent amplæ,& musculi ampli,& magna copia carnis:si etiam hæc aderunt,non est tum arguere cerebrum esse calidum:sed signa dicta superiora adsunt ob aliam causam.bene ideo ad hoc aduertatis,quia non valet venæ amplæ sunt;ergo necessariò cerebrum est calidum:minimè.caueatis igitur ab his,quia liber iste adhuc est malè intellectus, vt nequid nimis. sed si quæratur ab aliquo, an sua conuersio valet.si sit cerebrum calidum quod habeat talia signa supradicta, venas in capite amplas, ruborem in cute. Dico nec hoc valere necessariò. sed oritur maius dubium hic.Nam si supponamus hunc casum cerebrum esse calidum,& siccum: hepar verò frigidum, quod redundat multo sanguine pituitoso,cutis ipsorum erit alba, ac mollis,vt etiam dicemus inferius.Quæritur modo an vir iste habẽs huiusmodi signa,habeat in capite colorem viuidum, & sic coloris albicantis in cute,cum habeat caput calidum, certe non possumus dicere, quin habeat omnia signa illa, quæ debent

esse frigida, cum hepar quod est frigidum, primum generet illum sanguinem pituitosum: tamen illud cerebrum in hoc homine est calidum, & iste sanguis frigidus concoquitur ab ipso cerebro, dum deuenit ad ipsum. hoc enim est probabile, vt concoquatur. Nam semper natura intendit, & conatur facere, quod melius est. & ideo in principio generationis debebat facere hepar calidum, & magis, quàm cerebrum; quod in tali homine generauit magis calidum hepate. Ideo non videtur verisimile, quod sanguis ille debeat concoqui à calore eius cerebri. Nam rarò fit, quod natura generet hepar frigidum, & cerebrum calidum secundum æqualitatem. deinde est alia ratio: nã si ponamus cerebrum calidum in complexione ad hepar, & hepar sit frigidũ valde; quod quidem hepar dicatur frigidum respectu hepatis temperati, sic etiam sit cerebrum calidum respectu cerebri naturalis, & temperati. Dico ad hoc, istam frigiditatem hepatis esse magis calidam, & respectu caliditatis in cerebro calido, & quod frigiditas existens in hepate debet appellari caliditas respectu caliditatis existentis in cerebro calido: sic contrà caliditas hæc cerebri debet dici frigiditas respectu frigiditatis hepatis. Itaque modo sanguis iste pituito-

ſus non poterit concoqui à caliditate ipſa ce
rebri:nec valebit hęc ſua cōſequentia.vnde
dico,vbi eſt hepar valde frigidum,cerebrū
verò valde calidum,non apparebunt venæ
magnæ in corpore, non calor percipietur,
nec videbitur color rubeus, & ſic non valet
conſequentia, dicere neceſſariò hæc ſigna
ſunt in capite,ergo cerebrum calidum, nec
etiam contrà ſtat ſua conſequentia. Quare
vbi eſt cerebrum calidum, non debetis ob
id credere hepar,etiamſi ſit frigidum,quod
non ſemper ſit magis calidum, quàm cere-
brum calidum. Nam rarò fit, quod hepar
ſit frigidum, & cerebrum calidum, dum-
modo ſit homo ſanus. namque ſi hoc acci-
dit,fieri ſolet in ęgris.at nos nunc loquimur
de temperatura cerebri naturaliter, & non
cerebro malè affecto,vt contingere ſolet in
Hydrope.Itaque teneatis rariſsimè in ſani-
tate cerebrum eſſe calidum, & hepar frigi-
dum:& ſi etiam ſupponamus hoc eſſe verū,
tamen regula ſemper eſt vera Galen.& va-
lebit conſequentia,quam facit,& ponit hoc
in libro,ſi aderunt pili nigri cum criſpitu-
dine,& venæ in oculis amplæ, rubor in fa-
cie,ac calor ibi tactu percipiatur, quod cerę
brum huiuſmodi erit calidum. & contrà ſi
cerebrum erit calidum,& talia apparebunt
ſigna,etiamſi adſit frigiditas hepatis, tamē
tale

tale hepar dicetur cerebro calidius:quoniã, vt diximus, ſemper frigiditas in hepate quãta ſit,eſt maior in caliditate, quam ſumma cerebri caliditas.

Cum videtis illa tria ſigna adeſſe calorem tactu perceptibilem rubedinem in cute,& venas oculorum amplas,tunc eſt ſuſpicio de cerebri caliditate,non tamen eſt vera certitudo,ſaltem ſuſpicio : non enim eſt concludendum, ideo neceſſariò cerebrum calidum.tunc verò quid agendum eſt, cum huiuſmodi ſigna apparuerint in capite?debetis facere,ſicut in aliis : vbi enim habetis vnum ſignum commune, debetis quærere & alia ſigna per cõcurſum, vel ſyndromen ſignorum:ex quorum collectione fiat vnũ proprium perpetuum neceſſariũ, quod ſignum eſt indicationis, vt vbi omnia hæc ſigna videntur,illud vnum ſit per collectionem iſtorum, vt verbi gratia in pleuritide eſt dolor lateralis,qui eſt ſignum perpetuũ pleuritidis:tamen vbicunque percipitis dolorem lateris adeſſe, non ideo concludatis neceſſariò pleuritidem eſſe, ſed tamen ſuſpicio de ea fit.ſed quid facitis tunc?per ſyndromen ſignorum quæritis & alia ſigna. Quæritis ideo aliud, & videbitis anhelitus difficultates adeſſe, non tamen adhuc per hæc ſigna habetis certitudinem de pleuri-

tide,quia poteſt ibi eſſe dolor cum difficul tate anhelitus,tamen nō ſit pleuritis. Nam poſsibile eſt hoc eſſe ex aliquo flatu in mēbranis,& vitio illorum muſculorum, propterea quæritis & aliud per ipſam ſyndromen,& adeſt tuſsis,adhuc ſunt tres,non tamen iam habere poteſtis certitudinem de iſta inflammatione laterali: quoniā & alia deſunt pro cognitione vera huius morbi: ideo etiam perquiritis aliud,& inuenitis febrem:cum hæc quatuor habebitis,tunc quidem ſicut ſignorum numerus multiplicatur, pariter & pleuritidis ſuſpicio augetur: tandem ad certitudinem huius ęgritudinis, non tamen adhuc eſt exquiſita certitudo, quia ea ſit,quoniam poteſt in muſculis tantum exterioribus inflammatio eſſe,quæ indicat quatuor illa ſigna:non ideo erit pleuritis. Deinde fit concurſus vlterius,& quæritur aliud ſignum,quod eſt quintum,& vltimum ad habendam hanc coniunctionem, & eſt durities pulſus,dum non adeſt,nec apparet durities pulſus, poteſt eſſe in membranis illis inflammatio, & quod non ſit pleuritis. At dum eſt pulſus durities cum aliis connumeratis ſignis,& aſperitas venæ ſecandæ, tunc omnia hæc quinque coniuncta ſimul neceſſariò concludunt pleuritidē adeſſe, & veram pleuritidem. Dolor enim

pungitiuus adeſt, & anhelitus difficultas. deinde eſt tuſsis, ac etiam febris, vltimò eſt pulſus durus. Hæc omnia ſimul vnita, & cõiuncta indicant neceſſariò pleuritidem adeſſe. & contrà ſi adeſt pleuritis, ergo & iſta quinque ſigna per conuerſionem neceſſariò. Nam hęc omnia ſoli illi inflammationi conueniunt, & ſemper. At dum in cute apparet rubor, ac percipitur tactu calor, venæque in oculis ſunt magnæ, modo iudicetis tunc neceſſariò cerebrum eſſe calidum: ſed per ſyndromen, vt factum eſt in pleuritide habenda, ac inuenienda. ſunt alia ſigna per alia loca, ſed quænam ſunt hæc loca? Dicebamus ſuprà ab accidentibus, & à paſſionibus ſumi omnia indicia, & hoc manifeſtum eſt in tabulis noſtris. Gale. tamen ſuperius, vt vidimus, inquirendo diſpoſitionem capitis poſuit ſex capita ſignorum, & fecit concurſum omnium ſignorum, ſic dicit ad habendam cerebri temperiem calidam tria eſſe pernoſcenda. & primum eſt, vbi rubedo in facie, ſecundum vbi ſunt capilli criſpi, vel ſubflaui, & poſteà nigrantes, tunc ex hoc ſecundo ſigno augetur ſuſpicio de caliditate, non tamen adhuc habetur certitudo. & ſic fit, tamen ſi cerebrum frigidũ, & capilli ſint mediocriter criſpi, nigrantes in principio, deinde fiant ſubflaui, &, vt di-

xi,

xi, cerebrum sit frigidum, & capilli sic se habeant ob vapores acres calidos, adustosq́ue ascendentes ab hepate: ideo neque hæc concludunt cerebrum esse calidum, cum possint esse ab alio membro, hoc etiam visum est superius à nobis. deinde sunt cerebri excrementa, ad quæ cum accidetis, fit maior suspicio de cerebri caliditate, quando cerebrum fuerit calidum per excessum, sua excremēta sunt pauca, & bene cōcocta. Nam semper excrementa sumuntur ab actionibus naturalibus, quales fuerint actiones, talia inquam erunt excrementa capitis, si fuerint bene concocta, tunc suspicamur quasi de firmo caliditatem cerebri. deinde si sensus in eo capite fuerint vegeti, tunc per hoc indicium magis hæsitare de caliditate cerebri, quoniam caliditas arguit mobilitatem. deinde si istud caput lædatur à rebus calidis extrinsecus, magis quoque adaugetur suspicio de cerebro calido. prætereà etiamsi fuerit mobilitas operationis, tunc cum omnibus supradictis signis simul fit vna vera conclusio, & vnum infallibile signum, tale cerebrum esse calidum, & per excessum. Quare cum in collegiis multis concluditur de certo cerebrum calidum esse, colligatis omnia hæc signa simul videlicet rubedinem faciei, capillos crispos, subflauos, nigrican

gricantesque,& excrementa bene cōcocta, ac sensus vegetos,læsionem etiam rerum calidarum ab extrinsecus aduenìente: postremò operationis mobilitatem,tunc necessariò talecerebrum erit calidum: & si vnum tantum indicium adesset, videlicet quod tantum esset valde mobile in opinione,dico etiam illud cerebrum calidum esse:quoniam cerebri calidi hoc est proprium,nunquam ferè hoc fallit,cum sit maximum, & verissimum indicium caliditatis cerebri. prætereà etiam si per se,& soli sensus exteriores sint boni,ac vegeti,tunc hoc signum nullum facit ad cerebri caliditatem indicandam.quæ caliditas interius exiccat sensus,eosque vegetos reddit: iste enim habet oculos vegetos,aures acutas,ac omnes sensus valde sensibiles: ergo indicatur in hoc cerebrum esse calidum,sic etiam de motiua virtute,si talis virtus sit vegetabilis,indicabitur de cerebri caliditate. hæc enim signa sumpta ab actiōibus animalibus sunt maximi momenti, ac faciunt summopere ad veritatem.signa verò sumpta ab actionibus,naturalibus,& ab extrinsecus aduenientibus,quia faciunt cùtem albam,vel nigrā, asperam,vel mollem, ac pilos, variantque eos in colore,ea non sunt fide digna: quia possunt diuersos fieri, ac alterari à diuersis,

vt ab aëre, vt in regionibus distemperatis, vt patet, sic à diuersis humoribus. præterea hæc signa non sunt propria ipsi capiti, sed communia toti corpori, vt est de cute, non debetis ideo, quia non potestis rectè sentire, velle iudicare cerebrum esse calidum per tria prima indicia. nam nomina sunt, & alia omnia, quæ post illa, si vultis rectè habere veritatem huius vniuersaliter, semper errabitis: vt qui arguunt à calore, & capillis super cerebri temperatura, falluntur. nam omnia sunt perquirenda maximè essentialia. CAPILLI QVOQVE IN HIS STATIM IN LVCEM EDITIS IN CAPITE ORTVM &c. Prosequitur Gale. postquàm posuit signa sumpta à dispositione capitis, quod est capillus, vbi caliditas cerebri excedit, post ortum eius habere suum ortum: hoc enim est primum signum ab eodem fonte: à dispositione capitis, cum capilli oriuntur subitò post ortum huius viri. Hæc enim omnia de capillis prædicta iam superius sunt manifesta, & hoc etiam potest ratione palàm fieri, eos oriri à principio statim, eo quia materia capillorum, vt scitis, sunt vapores fuliginosi ascendentes ad caput in cute: causa verò efficiens est calor agens validus, vbi fuerit pilorum materia temperata in qualitatibus passiuis, cerebrum

rebrum erit temperatum: ſed vbi caliditas excedit in puero iſto, quæ eſt cauſa efficiens pilorum, & habet humiditatē, in qua agat, & dominetur, vt eam ſuperet, tunc calor facit multiplicare vapores fuliginoſos, ad quorum incrementum etiam pili multiplicantur, & ſic fiunt capilli, & pilli calidi etiã dominantur, meatus cutis facile fiunt, ac aperiuntur, & citò, dum duæ ſint cauſæ diſpoſitę adhoc, humiditas, & caliditas. CVM VERO NON MVLTVM &c. Quoniam caliditas poteſt habere multos gradus; ſi enim ipſa fuerit valida, & excedens valde, tunc capilli in principio ortus puerorum erunt nigri, criſpi, durique, ac robuſti ob magnum calorem: & ratio eſt, quia vapores aduruntur, qui fiunt nigri ab aduſtis vaporibus. prætereà fiunt duri, & robuſti: quoniam materia illa vaporoſa non deficit, & calor continuè agit in eam potens. ideo fiunt validi, quoniam materia eſt facta valde terreſtris. prætereà fiunt criſpi: cauſam autem criſpitudinis ſuperius enumerauimus. Vidimus, quod erat calor vehemens adurens aliquam materiam terream, viſcoſam tamen, & ita vt eam torrere, ac in ſe ipſam contrahere faciat, & dedimus exemplum de hac criſpitudine cum capillis appoſitis ad ignem, & de chordis cytha

ræ,

ræ, quæ contrahuntur ab ipso calore: & sic ab interno calore vehementer agente in vapores, & materiam capillorum, fit ipsa crispitudo. Itaque erunt nigri, robusti, & crispi, si calor est potens: si verò non est potens ita, tunc à principio erunt subflaui capilli. nam si calor deuenerit ad quandam temperiem, ita vt faciat bilem ex parte subtili sanguinis, quæ appellatur ἴχωρ, non tantum aduret, sed immutabit eum sanguinem subtilem in bilem sua caliditate leni, quæ bilis colorem habet flauum, tunc ex vaporibus illis biliosis generantur capilli primo subflaui, non tamen verè flaui: non enim possunt esse verè flaui in pueris, cum semper habeant quid pituitæ. ideo non possunt habere eundem prorsus colorem, sicuti habere deberet ratione bilis, cùm sit pituita permista: idque ab initio fiunt subflaui, non flaui: cum calor non excedat valde. DEINDE NIGRICANT &c. Cum verò in processu ætatis calor semper acuatur, & crescat vt dicit Gale. in secundo de temperaturis, vbi mouetur quæstio non declaranda in præsenti, an calor adolescentum sit maior, quàm calor puerorum? & ibi inquit verum esse in gradu, non autem in quanto, & nunc sumpto, calor sit maior in adultis. nam tūc calor est in summo, & ideo nigricant capilli,

li,non tamen dicit, ſunt nigri capilli, cum dicit nigricant:nam capilli nigri ex toto ſunt nigri,nigricantes verò tendunt ad nigredinem,tales quidem habent cerebrum calidum,ſed moderatè, & tandem iſti capilli participant de colore caſtanearum, AC PROGREDIENTIBVS. Diximus autem ſuprà ex quibus fiat caluities:nam fit ex defectu alimẽti pilorum,& ex nimia cutis ſiccitate,& capitis maximè:quoniam cum calor continuè veſcatur ex humido radicali,quem abſumit,& dum abſumitur humidum tale à calore,ceſſante nutrimento, ceſſat & calor innatus, & abolctur. ex quo ſuccedit ſenectus,quæ eſt ſiccitas,& frigiditas,& continuè pro ætate magis, atque magis fiunt ſicci:quoniam continuè humidum abſumitur,& patitur deficit calor naturalis deficiente humido naturali,cum calore innato redduntur corpora frigida, & ſicca,& ideò quia decidit humidũ, quod eſt alimentum pilorũ,ac etiam deſtruitur, qui eſt cauſa efficiẽs,& ſuccedit illi ſiccitas,quæ meatus,vel cutis poros relaxat magis,quod cũ ex nimia ſiccitate facti ſint ampli vapores,non poſſunt detineri, vt faciant pilos. Nam ſi debent generari capilli,oportet inter alia meatus cutis eſſe debitos,nõ nimis ſtrictos,nec nimis amplos,& ſic cum nimis

aperti sint vapores,& materia pilorũ,& capillorũ existat maximè in capite ratione siccitatis,quia cutis arida,& sicca,ac porosa valde.sic dum cutis valde arescit,& exiccatur,etiã pori maximè fiũt amplissimi:non mirum est, si amplius nequit retinere vapores fuliginosos,qui generent pilos,ac capillos,nec possunt amplius fieri pili ob nimiam eorum laxitatem,& sic ratione siccitatis causatur caluities. adueniente siccitate signum est consumi humidum, materiam capillorum , deficit & locus,& causa efficiens,calor,deficiente humido. prætereà est frigiditas,quæ est causa caluitiei : nã nõ permittit pilos generari, quia destructo calore augetur ipsa frigiditas:& sic fit caluities. Atque eò magis,quo plus modico sunt calidiores &c.tanto enim magis caluescũt, quanto magis redduntur calidi:quia dum habent temperiem calidã,citius fiuntcalui. excrementa verò quæ per palatum, & nares,& oculos parca,&.cõcocta ipsis exeunt. hoc enim est signum potens sumptum ab actionibus naturalibus , quæ , vt superius audiuistis, de se non faciunt indicia aliqua,sed per accidens,& per media sua, quæ sunt sua excrementa,sui effectus.non enim apparent hæ virtutes,quemadmodum aliæ ex seipsis,sed in cognitionem illarum deueni

uenimus, an bonæ ſint, vel malæ ex ſuis affectibus, ac ſuis operationibus: quæ ſunt ſua excrementa, tanquam opera, quibus in huiuſmodi naturalium actionum cognitionem deuenimus: quæ quidem excrementa indicant, an ſuæ facultates ſint bonæ nécne. facultates verò habent indicare de temperatura qualis ſit. Itaque vbi excrementa erunt bona, cætera erunt bona: quia ſi excrementa fuerint pauca, & bene concocta, indicant ſupra caliditatem cerebri, eò quia concoctio fit à calido, cum caliditas dominetur in cerebro, optimè fiunt concoctiones: ergo & excrementa bona, atque concocta, & pauca. quare autem pauca? quia calor naturalis, qui eſt validus, ac potens in ſubſtantia abſumit humidum illum, & fit bona concoctio vſque ad minima, & hoc ſignum inquam, eſt validiſsimum cerebri calidi. Notandum membrum quodcunque poſſe dupliciter conſiderari, vel vt inſtrumentum, vel vt ſimilare: vt inſtrumentum quemadmodum munus eſt bonarum actionum inſtrumentum paratum &c. vt ſimilare membrum, ſicut eſſet cerebrum conſtans ex quatuor humoribus, quod quidem, vt ſimilare cognoſcitur à quatuor operationibus naturalibus: nam alio modo cognoſcitur quatenus inſtrumentale. Dum

enim volumus cognoſcere temperaturam cerebri, nos procedimus per actiones naturales, quæ potiſsimum indicantur ab excrementis: nam rariſsimè fallunt nos huiuſmodi ſigna. vbi enim excrementa fuerint bene concocta, & pauca, dicatis tūc per hoc ſignum tantum, quod cerebrum tale eſt calidum. nam hoc eſt potiſsimnm ſignum; propterea quòd eſt proprium hoc ſignum membro, quatenus membrum ſimilare eſt, vt ipſius membri indicet temperaturam. ſigna ideò ſumpta ab actionibus naturalibus ſunt propria, ac veriſsima: actio enim cerebri quatenus ſimilare eſt, vt excernat ſua excrementa bene concocta ac pauca. Dicatis tunc per hoc ſignum ſumptum ab actionibus naturalibus potiſsimum, quod indicat temperaturam membri qualiſnam ſit, ſicuti indicamus cerebri ſubſtantiam, vt ſuprà dictum eſt, cum natura ſubſtantiæ ſit à diſcurſibus naturalibus, an boni ingenii ſit, vel mali: bonæ memoriæ nécne? temperatura verò cognoſcitur ab actionibus his naturalibus: ideóque nūc Gal. tacet de animalibus virtutibus loqui, cum nolit declarare cerebri ſubſtantiam, cum integram habuerit ſanitatem. Nam nunc loquimur de ſignis indicantibus ſanitatem, quia vbi corpora ſunt ægra, & ſigna indicantia morbū,

tunc

tunc aliter sentiẽdum est, quemadmodum videbimus. Addatis etiam præter excrementa, quæ excernuntur per quatuor illa loca palatum, nares, oculos, & aures, etiam esse alia excrementa per commissuras capitis, quę, si fuerint bene concocta, & etiam indicabunt de caliditate cerebri. CVM VERO CAPVT REPLETVR &c. Continuò enim, ac tum præsertim cum nullam victus rationẽ seruauerit. Hoc in loco Gal. opportunè mouet difficultatem. Nam quispiam dicere posset, tu dicis Gale. excrementa in cerebro calido esset pauca, & rectè concocta, tamen hoc videtur falsum, imò videtur tenẽdum esse oppositum, eò quia, si cerebrum est calidũ, melius, & plurimo alimento eget, & facit plurima excrementa: deinde verò si tale cerebrum est calidũ Gal. non est subditum repletioni, imò pauca habet excrementa, & concocta: imò verò debet esse subiectum repletioni, quia ex omni causa inferatur cum maximè attrahat de alimento ad se. præterea in hoc capite viæ sunt amplæ & latæ. & ideò facilè ingrediuntur repletiones, si tale caput est calidum, statim recipit attrahendo, ergo videtur omnino calidum cerebrum esse repletum, & habere etiam multa excrementa, præterea vbi inflãmatur tale caput ca-

lidum, incalescit magis, ex quo etiam magis attrahit: & ideò repletur: videtur ergo calido existente cerebro excrementa debere esse multa. ad primum respondet Gale. quando dicitur calidum est caput, ergo plurimo eget alimento, atque etiam plurima habet excrementa, non pauca, dicit Gale. hoc non valere, quoniam hoc cerebrum calidum optimè conuertet, quodcunque attrahet in sui substantiam, & sic habebit pauca excrementa: & si aliquid adhæret de excremento in hoc capite absoluitur, & euanescit extrà facilè, vel per nares, vel per palatum, vel per oculos, vel per aures. Nam in hoc meatus sunt valde aperti, & commissuræ. deinde vapores facilè difflantur, quoniam attenuantur à calore, & sic non fiunt excrementa crassa, quæ exeant per os, per nares, sed difflantur per commissuras: & si sint aliqua, sunt pauca per oculos, & sunt bene concocta. Ad aliud, quando dicis, calidum cerebrum habere hoc, quod attrahat valde, ergo est repletum; quia multiplicantur in eo excrementa ab inferioribus per consensum: respondet Gale. si accedūt plurimæ materiæ, & vapores, illæ erunt bene concoctæ, non autem crudæ, sicut sunt in frigido cerebro. Dicatis etiam si fuerint illa excrementa cruda ob causas externas, vt

ob aer

ob aerem, vel cibum, & potum: tamen statim concoquuntur ab hoc cerebro calido, & non perdurabunt ibi, nec concertabunt diu cum tali cerebro, & distillatio ab alio membro, imò citò coquetur: in frigido vero cerebro aliter se habebunt. ideo Galen. bene occurrit dubio. ATQVE AGGRAVANTVR EORVM CAPITA A CALIDIS CIBIS, ET POTIBVS ET ODORIBVS &c. Accedit Galen. ad alia signa, & hic est locus sumptus à causis externis, vel accidentibus, quod quidem signum validum est, & si enim caput fuerit calidum, tale facile lædetur à rebus calidis: contra autem facilè adiuuatur à rebus frigidis. vbi ideò vultis cognoscere an caput sit calidum, semper consideretis hanc syndromen signorum. SED PRAETEREA MAGIS &c. Si etiam præter calidum fuerit humidum, magis ab his calidis lædetur caput hoc. BREVI AVTEM SOMNO HVIVSMODI TEMPERATVRAE CONTENTAE SVNT &c. Notate, qui habent calidum, hi sunt breuis somni, & non profundi. oportet autem videre hoc, quare sit: iste enim locus sumptus est ab effectibus, & pasionibus, & videbimus, quod Gale. fuerit diminutus in istis signis. Nam nō dixit hoc suis fontibus, sed tacuit: at nos

videntes causam horum secundum Galen. & Aristote. sententiam eodem modo causamur. nam generatur à copia humoris vtilis aduenientis in cerebro: cum accedit talis humiditas vtilis ad cerebrum, tunc quidem generatur somnus naturalis: est enim hæc sua materia, vbi fuerit moderata frigiditas cum illa humiditate vtili, tunc verè fit talis somnus. Nam frigiditas est causa efficiens, humiditas verò vtilis est causa materialis, frigiditas enim ligat sensus omnes. nam frigidi proprium est non mouere: sua verò contraria sunt calor, & siccitas, quæ habent generare, & causare vigilias. calor quidem est causa efficiens vigiliarum, siccitas verò est causa sua materialis. vbi enim hæc duo sunt semper, ibi est promptitudo ad vigilias, & earum longitudo, quod quidem asserit Galen. in secundo prognosticorum commentatione secunda aphorismorum 29. quam opinionem affirmat ipse esse in primo de causis symptomatum vltimo, vbi inquit omnia medicamenta humida facere verum somnum, & sicca moderatè. Quæ verò sunt frigida omnino, hæc penitus afferunt stuporem. Vnde Galen. in secunda particula aphorismorum Aphorismo primo, secundo, & tertio dicit materiam frigidam, &
omnia

omnia summa frigida non generare somnum, sed lethargiam, atq; stuporem. quod somnus verus fiat ab humiditate, non à frigiditate, his sic suppositis patet, quòd vbi calor tantum dominatur, & humiditas temperata, somnos quidem esse, sed breues non dico vigilias. nam dormiunt ipsi; quia illa humiditas quidem, & somnus esset temperatissimus non prolixus, neque breuis. & ideò quantum calor superat ipsum humidum, tanto somnus breuior, & diminuitur: & est breuis. Vnde causa materialis, humiditas, non est ob id idonea ad somnum agendum, quoniam superatur à calore. prætereà isti somni sunt validi, & profundi: minimè, quoniam si humiditas est causa immediata somni, ac frigiditas iuncta cum humiditate faciant somnum validum, & lethargiam, & vix excitabilem, & cum sit calor dominans: & humiditas tantum temperata non possunt esse somni magni, & profundi. & ideò cum tantum calor dominetur, somnus ille erit & breuis, & etiam subtilis, vel tenuis. Hæc dicta sint de signis cerebri indicātibus tam salubritatem, quàm excessum secundū caliditatem, & secundum alios excessus.

CAP. XV.

FRIGIDIORIS VERO, QVAM OPORTEAT CEREBRI INDICIA SVNT PLVRA IN PROPRIIS MEATIBVS EXCREMENTA &c. Cũ verò ex ſupradictis iam per ſe manifeſta ſint, ideo per eos conſiderabitis ipſa, quoniam ad alia eſt mihi animus pertranſire.

Optimum eſt quemadmodum de præceptoribus inſtruentibus, ac docentibus pueros Grammaticam, dum audiunt illos in calce hebdomados in die ſabbati, quæ addidicerunt in tota hebdomada. Dũ enim pueri omnia memoria recitant, quod eſt perutile, tunc omnia ad memoriam reuocant, rememorãt, commonentur. nos quoque hodie cum ſit finis hebdomados idem, vt ipſi pueri, faciemus. Vnde cum nos iam dixerimus de cerebri temperatura, & ſubſtantia, déque ſuæ temperaturæ ſignis ſalubribus, ideo non inutile hodie omnia reiterare per epilogum. Grammatices præceptores faciunt ſcholaſticos recitare. Nos autem in hoc erimus contrarii illis, quia recitabimus, vt vos audiatis, & bene inhæreant mentibus veſtris. Vidimus autem genera ſignorum poſita à Gale. à quibus oriuntur omnia ſigna indicantia ſalubritatem cerebri: quæ genera ſex ſunt poſita ab eo in

prin

principio huius ſecundi, vt vidimus in ipſis, ac diuerſa à noſtris ſcripta in noſtris tabulis, vt hic oſtendemus in ipſis, & vt inueniamus veritatem, & quomodo diſcantur, & in quibus ponam hæc ſex ſigna. primum autem Galen. caput, vel fons eſt à diſpoſitione capitis, ſecundus eſt ab operationibus ſenſitiuis exterioribus; tertius erat ab operationibus cogitatiuis, quartus à motibus, quintus erat à virtutibus naturalibus, ſextus & vltimus ab accidentibus extrinſecus occurrentibus: hæc ſunt ſex genera à Gale. poſita, vt viſum eſt ſuperius, à quibus omnia depromuntur de cerebri temperatura. nos verò fontes ſignorum aliter inſtituimus, videlicet ab ipſis continentibus, ab agnatis, ab operationibus, & à virtutibus animalibus, & proprio affectu, & ab excrementis, ſextum ab accidentibus extrinſecus occurrentibus tam intrinſecus, quàm extrinſecus. oportet modo videre, quomodo iſta diſcutiamus: hoc autem eſt habendum à natura rei, quod quidem eſt remedium efficaciſsimum: habendáq; eſt ipſa natura rei, quænam eſt natura rei horum fontium ſignorum cerebri, à qua oriuntur omnes fontes ſignorum. vt autem hæc rectè perpendatis, oportet, e petamus multa iam enarrata, & hoc

omni

omnino est necessariũ repetere: nam alioqui nihil boni operabimur: non enim aliter potest rectè fieri, si exactam omnium horum signorum cognitionem vultis habere: quod cum habueritis, ita inhærebit mentibus vestris, vt nihil amplius desideretis. Debetis scire omnes signorum fontes oriri à duobus, & ab actionibus, & passionibus, quę in humano corpore fiunt: omnia enim signa ad hæc duo genera reducuntur tandem, quia vel solum ipsa duo pariunt cuncta signa: videmúsque quomodo ab actionibus oriuntur. Diximus etiam actiones genere tres, & triplices esse, animales, vitales, & naturales, quæ omnes habent suũ principium videlicet à natura. nam virtus animalis habet cerebrum, vt principium: vitalis habet cor: naturalis autẽ habet hepar. præterea diximus singulas harum virtutũ, siue animales, vel vitales habere, quod aliquæ sint ita propriæ suo principio, vt in ipso principio, vel in instrumento sint, ac stent, & etiam stent, emanent ab ipso; nec in alio sunt membro: ideo sunt maximè propriæ vni membro, non autem alicui alteri, sicuti cerebro imaginatiua, ratiocinatio, & memoratiua. hę enim sunt ab ipso tantum cerebro, atque in ipso. aliæ verò animales non sunt sic propriæ, quia tantùm

tùm ſunt ab ipſo cerebro, non autem in ipſo videntur, vt omnes ſenſus exteriores, & motiua virtus: nã iſtæ ſunt in ſuis agnatis ſcilicet è cerebro, non in cerebro: ſubiecto enim motiua conſiſtit in neruis, viſiua ſtat in oculis. pariter dicendum eſt de corde, in quo ſunt nonnullæ virtutes, quæ dicuntur propriæ illi membro veluti principio, & non alteri alicui, in quo ſunt, ab eóque emanant, vt generatio ſpirituum, quæ eſt propria cordis actio. iracundia quidem & ipſa eſt in corde, & ab ipſo, nõ tamen debet dici actio cordis, imò eſt ipſius paſsio. Aliæ vitales non ſunt ſic proprię, quia tantummodo ſunt ab ipſo corde, nõ autem in ipſo, vt motus arteriarũ, qui eſt in arteriis. ſic eſt dicendum de tertio principio de hepate, quod habet virtutes naturales ſibi ſoli proprias, quæ ſunt ab ipſo, & in eo, vt eſt ſanguificatio, quæ eſt actio hepatis, eſt deinde cupiditas, quæ & ipſa in hepate eſt, & ab hepate depẽdet, tamen nõ dicitur actio, ſed paſsio eius. ſunt deinde & aliæ non ſic propriæ, quia nõ ſunt in hepate, & ſi ab eo, vt ſi diſtributio ſanguinis per venas nutritio, quæ ab hepate oritur. deinde illæ quatuor virtutes naturales, attractio, retentio concoctio, & expulſio: iſtæ omnes præcipuè dicuntur ab hepate. nam ſunt in omnibus.

bus membris, sed tamen oriuntur ab hepate: habent tantùm ab ipso iecore, non ab aliis ortum. cum sic se habeāt actiones, quę sunt proprię alicui membro, sunt perpetuę veritatis: nunquam enim fallunt, quæ quidem rectè indicant de dispositione membri, cuius propriæ sunt. nam in eo tantum sunt, & non in alio, vbique tantummodo quæruntur, in quo sunt, & non intendimus tantum actiones proprias vniuscuiusque membri quærere, vt habeamus, quęnám sit dispositio membri, de quo quęrimus scire. Nam bona sanguificatio est tantùm in hepate, non in alio. At imaginatio, & ratiocinatio, & memoria proprię sunt ipsi cerebro tantùm, quæ si fuerint optimæ, indicāt bonam esse temperaturam eius membri, vt dictum est. Nec enim est dicēdum, hepatis dispositionem ab imaginatiua, & discursiua cognosci, quoniam hoc secundum medicos vanum esset, nec velle ostendere bonam cerebri temperiem, quia bene sanguificet, ista sunt obscurissima, quoniam sanguificatio tantùm cōuenit hepati, & discursus tātùm cerebro, & generatio spirituum ipsi cordi solummodo. hoc ideo perpetuā habet veritatem, actiones, quę sunt ab ipso membro, in ipsóq; esse non communicare alicui alteri, nisi suo: sed actiones, quæ non

sunt

ſunt ſic propriæ, cùm ſint tantùm ab ipſo membro, nō autem in eo, aliter ſe haberet. Nam non tãtùm indicãt de ſuo principio, ſed & de aliis membris: hæc enim eſt conſpiratio, & conſenſus membrorum principalium, vt verbi gratia, virtus motiua eſt à cerebro, non tamen in eo, ſed eſt in neruis, qui oriuntur ab ipſo cerebro. Itaq; hęc non eſt in ipſo: ergo nō eſt propria ei. quare nō ſolùm indicabit à cerebro, ſed etiam de neruis, & hæc quidem diſtribuitur, & inuenitur in quacũque particula corporis: vbicunque iſta actio motiua communicat, ab ea ibi ſumimus indicia de illis membris, & de eorũ diſpoſitione: vt ſi dicamus de motiua ipſa in manu: volumus ſcire de manus diſpoſitione, an ſit ſana nécne, ratione huius virtutis: nam ſi erit apta ad motũ omnem pro obeũdo ſuo munere, illa dicetur ſana, alioquin non. pariter dicimus de virtute ſenſitiua, ſi acuti ſenſus in tãgẽdo ipſa manus, ſi habuerit exquiſitum ſenſum videlicet tactum, nobis erit indicium, vt cognoſcamus optimam huius membri diſpoſitionem tactus: ideo in manu habet indicare talem, vel talẽ diſpoſitionem manus, vt ſe habebit ipſa virtus tactilis, non eſt indicandum de manus diſpoſitione, vt quod optimè, vel malè videat. Nam hoc eſſet ineptum

ineptum valde. videtis itaque quomodo tales actiones non propriè cõmunicant aliis membris, & omnibus in quibus sunt, non autem tantum membro, à quo habẽt suum initium: sic dicẽdum de corde, quod habet vnam virtutem pulsatiuam dictam, non tantùm in eo est, sed est in arteriis. & ideo talis virtus, vel actio motiua arteriarũ communicat omnibus mẽbris, & partibus corporis, quia nulla est pars corporis, in qua non sit aliqua arteria. ergo in toto corpore reponitur & ipsa virtus vitalis motiua, à qua vita primò depẽdet: ab hac enim actione pulsatiua, quæ est à corde, sed nõ in eo. ideo nõ est propria illi tantùm, sed in omnibus reperitur partibus, ab ipso inquam à quacũque parte sumũtur indicia de dispositione vniuscuiusque mẽbri: vbique enim operæprecium est cõsiderare, an talis virtus motiua vitalis sit bona nécne? quia si bona, ergo & bona eius membri dispositio: de virtute naturali idem dicendum est, & longè melius: quoniam est distributa per totum, & emanat à toto, cum nullum sit membrum, aut instrumẽtum, in quo non reperiatur talis virtus. Nam vnumquodq; membrum nutritur necessariò, dum viuat: depẽdet autem ab hepate virtus hæc, & est in triplici differentia: non enim est pro-

pria hepati, ſed bene ab eo emanat: ideo non eſt propria. vna autem dicitur generatiua, ſecũda augmentatiua, tertia nutritiua. primum de generatiua, hæc quidem eſt in omnibus membris, per hanc eſt videre, an vnumquodque membrum ſit generatum optimè, vt in figura, in ſitu, in quãtitate, & numero. ab augmentatiua ſumuntur indicia in omnibus partibus corporis, quoniam omnis pars corporis noſtri augetur. tertiò à virtute nutritiua ſumũtur indicia vbique in noſtro corpore, cum omnis pars, & omne membrum neceſſariò nutriatur. Et ideo debemus hoc ſcire, quod hæ tres virtutes naturales, licet ſint ab hepate, non tamen ſunt in eo; ideóque nõ ſunt ei propriæ, ſed communes vnicuique membro: quia vbique diſtribuũtur. quare manifeſtè apparet, indicationes ſignorum propriè nõ poſſe ſumi, niſi à propriis ſignis. ſigna autem propria ſumuntur tantùm à propriis virtutibus, quæ in ſuo inſtrumẽto ſunt atque ab eo; atque nõ ſunt propriæ actiones, & virtutes paſſiones, quæ non ſunt in ſuis principiis, ab his verè poteſt ſumi de ſuo principio indicatio, ſed de omnibus partibus, in quibus reperiuntur, & ſic videtis, ſi volumus ſumere indicia alicuius membri, præcipuè debemus ſumere actiones pro-

prias, non ab aliis. Habuiſtis iam quomodo ab actionibus poſſunt ſumi ſigna,& quę ſunt propriæ actiones,quæ nō:ſed communes toti corpori, quia diſtribuuntur per totum corpus, quæ ſic ſe habeat, vt tot communicent,quæ quidem tantummodo ſunt ab ipſo principio,quorum ſigna ſumuntur à partibus., vt oſtendemus de non propriis virtutibus naturalibus., communicantibus toti, ſingulíſque partibus,ad paſsiones nūc deueniamus. Nam paſsionum aliæ ſunt intrinſecæ, aliæ extrinſecæ:illæ ſunt propriæ vnicuique ſuo membro, vt in cerebro affectus proprij illi ſunt,ſomnus,& vigilię, cordis verò propria paſsio eſt iracūdia, hepatis ,cupiditas, & appetitus voluptatum. Ventriculi propria paſsio eſt fames,& ſitis. teſticulorum verò paſsio intrinſeca eſt pruritus : ab his enim paſsionibus ſumūtur ſigna indicantia talem, vel talem temperaturam membri, in quo ſunt aliquæ harum paſsionum. Nam paſsio aliqua harum,quę in vno membro reperitur ,in alio minimè reperiri poteſt :non enim debemus dicere, cerebrum fameſcit, aut ſitit: ſed ventriculus,nec ventriculum iraſci, ſed cor. Nam ſingulæ hæ paſsiones debent ſuam propriam temperaturam indicare ſui membri,cuius ſunt.ab iſtis ergo interioribus ſumuntur

muntur indicia tantum proprij sui particularis membri: affectus autem extrinsecus, vel paſsiones dicũtur omnes: quia ſunt exteriores, hæ enim alterant corpus, & ſunt vt aer, nimius motus vel animi, vel corporis, & alia huiuſmodi. Hæ enim alterant maximè, & cõquaſſant corpus, prout magis, & minus nocent, à quibus quidem ſumuntur varia indicia. Nam vnus erit, quod magis altero læditur ab altero: alter verò minus, ſic de animi ac corpori accidentibus, vnus erit, qui magis altero offenditur, & ideo ab iis oriũtur diuerſa indicia. Actiones ergo, & paſsiones ſunt, quæ nobis afferunt ſigna indicãtia temperaturam viniuſcuiuſque membri. His enim habitis iam vidiſtis Gale. propoſuiſſe illa ſex genera ſignorum, excuſauimus ipſum, & diximus, quòd ſumit etiam ſua genera ab locis, iſte fuit ſuus proceſſus: noſtrum autem audiuiſtis, quem habuiſtis in tabulis, ſi modo aut Gale. ordinem, aut noſtrũ magis probatis ipſum capietis ſecũdum veſtrum iudiciũ. Gal. autem ſic procedit, primũ incipit à diſpoſitione capitis, quod eſt nomẽ generaliſſimum: quod aũt habemus propter id, niſi ſe declarat Gal. deinde agit de quatuor generibus actionum; vltimò de accidentibus extrinſecus accidentibus, dũ agit de diſpo-

ſitione capitis non poteſt rectè intelligi, cum ſit nomē illud valde generale, tamen ſibi ſic placuit procedere à diſpoſitionibus naturalibus: & ſi fortè nō ſeruauerit ſuum decorū à magnitudine, à capillis: ſic enim de his agit ad habendam capitis diſpoſitionem, tamen ſunt & alia pro hoc, vt durities, & mollities. præterea fortè nec ſeruauit ſuum debitum ordinem in actionibus: nam primum poſuit diſpoſitiones naturales, faciēdo locum vnū particularem, poſtmodū poſuit actiones naturales, cùm debeat facere oppoſitum: nam naturales diſpoſitiones oriuntur ab actionibus: magnitudo enim capitis figura &c. ſunt opera actionum naturalium. poſtremò facit loca tria virtutum naturalium, & diuiſit eas in tres fontes, quos tamen poterat in vnum gradum redigere, cùm omnes ſint animales, omnésque obtineant vnum locum. & ideo ex hac laceratione calidi, quæ fuit ſua diuiſio, quicquam boni habere nō poteſtis: nam omnia poſita ſunt confusè, non poteſt eſſe vera diuiſio: quia non diuidit genus, ſed lacerat ipſum in tria: quoniam diſpoſitio capitis ab eo euellitur à ſuo genere, poſteà diuidit vnum, quod non debebat facere, in tria. primò ponit, quod debebat conſequi, ita vt non poteritis vnquam ſumere

mere methodum cognoſcendi ſigna, cùm diſpoſitiones capitis lacerauerit à ſuo genere, cùm ſint ſub genere virtutis naturalis. deinde quādo dicit de effectibus, vel paſsionibus, quę ſunt duplices, alię interiores, alię verò exteriores. poſteà ſuum de his habuit ſermonem, de illis verò ſubticuit. ego quęro modo à Gale. quando dicit de ſumno, & vigilia, ſub quónam genere ponit ſomnum? hoc inquā debebat admonere, credo ipſum Gale. hoc ſilentio præteriſſe, quoniam neſciebat ſub quo genere deberet reponi: quoniā ipſe in libro de inſtrumento odoratus circa medium palàm fatetur ſe neſcire, vt debeat collocari, an ſomnus, & vigiliæ ſint actiones, vel paſsiones, dum ibi dixit de ſumno, & vigilia, an ſint actiones corporis, nondū apud nos conſtat. Ideo nihil mirum, ſi de his tacuit ſermonem, non ponendo ea ſub aliquo genere, & ſi conſideretis à natura rei ſomnus, & vigilia ſunt paſsiones potius, quoniā ſomnus ligat ſenſus, vti vigilia eos diſſoluit, à quibus poſteà ſequuntur actiones. Somnus ergo, & vigilia ſunt paſsiones, & ſic patet, quęnám ſit differētia inter me, & Gal. quia primò poſuit illas paſsiones capitis naturales, deinde actiones naturales, poſteà aliud genus virtutum animaliū in tria, quæ tamen ſunt ad

vnum reducenda, posteà posuit affectus cerebri somnum, & vigiliam: non tamen collocauit eas sub aliquo genere. nos autẽ eas posuimus sub passionum genere, quemadmodum per veram methodum. potestis videre in nostris tabulis. dicere autem posseetis pro Gale. eas posuisse actiones naturales, tu verò non ponis eas, vbinam sunt? & eas tamen confessus es, quòd naturales facultates fiunt, & emanãt ab hepate, & quod sunt per totũ corpus dispersæ. Notate, nónne diximus superius, vt scitis, has naturales actiones, nullam afferre cognitionem ex se: sed tantùm ex suis operationibus, vel affectibus deuenimus in cognitionem illarũ: quia de se latent. animales autem non sic se habent: quoniam hæ statim manifestantur à se ipsis. Namque si quis rectè videat, patet hoc, sic de vitali, sicut de pulsus motu: hoc enim per se apparet, quomodo se habeat absque suis effectibus, & de his sumimus indicia. at de naturalibus aliter dicendum est, vt de augmentatiua, nutritiua, & generatiua: non enim per se percipitur augmẽtum, nec nutritio, quomodo fiat, nec quomodo augetur ex se, retentio, concoctio, expulsióque per se faciunt aliquod indicium, sed mediantibus suis affectibus, & suis operationibus, quæ sunt excrementa ipsa. decla-

rat

rat enim sem per ista indicia, quænam sint operationes, & facultates naturales. quod autem hoc sit verum, videatis: quia Galen. dum loquitur de his, tantum posuit excrementa: per ipsa enim illæ manifestantur: posuitque excreměta suis locis. Et ideo nec nos possumus ipsas naturales actiones, cum per se non pateant, sed per alia tantum posuimus, suos effectus indicantes eas. aduertatis etiam, quòd fuit quidam alius Galen. qui fecit alias tabulas ante nos à nostris diuersas, in quibus dicit methodum esse: tamen aduertatis facere vnum pulcherrimũ principium, non tamen sequi, sed fit mancus. inter ea, quæ absurda fecit, vnum absurdum cæteris maius, fuit quidem & iste vir peritissimus; & mihi pergratum erit vos, eas videre. modo in his construendis ex plurimis libris colligit vnum: quòd non est multum laudabile nec laboriosum valde recitare: nos autem in nostris tabulis nõ procedimus ad eundem finem: fecit ille primum locum signorum cerebri, & dicit sumi à substãtia cerebri, quod minimè est verum. quomodo enim cognoscetis cerebrũ à propria substantia, cùm substantia non indicet, sed indicetur ab operationibus suis propriis. Itaque non indicat, vt ostensum est suprà: cognoscitur autem ipsa substan-

tia ab eius operationibus, non est ideo locus à substantia cerebri. aduertatis igitur, quòd ista sunt principia, & parua in principio, in quibus si à principio fiat paruus error, tamen in fine fit maximus propter ea, quæ sequuntur. his itaque sic visis, & data ratione quare aliter seruauimus ordinem, quàm Galen. in istis, accedamus modo ad nostras tabulas eas legentes, signa indicantia cerebri salubritatem deinde diuiduntur, cum alia sint signa horum vt semper, alia vt multũ, alia vt nunc, salubritatem cerebri indicantia. Nos enim indicauimus à propriis affectibus. & notate; quando volumus tradere circa primam partem signa de salubritate simplicis cerebri, talia enim signa simpliciter indicantia salubritatem sunt & in temperatura, & in compositione simul. & ideo non feci diuisionem horum signorum in complexionem, & compositionem: nã hoc est necessarium, quod sint simul in his duobus, quam rem addidi: indicant hæc simul compositionem, & temperaturam: constat enim vtraque: in primo enim membro est de optima sanitate, de simplici; deinde de sanitate vt multum, quæ parum à sanitate vt semper deficit: hæc autem signa oriuntur à sex generibus. primum est à continentibus, nam tale inquam, est cerebrum, quale

est

est continens ipsum caput, quoniam caput factum est propter cerebrum. continentia autem sumuntur à virtute generatiua, quæ facit figuram, & à virtute augmẽtatiua, quæ quantitatem debitam constituit, quantitas est caput mediocre, vel magnum cum agnatis. sunt duo capita laudabilia, vel quòd mediocre sit, vel quòd declinans ad magnitudinem: quæ duo cum sic se habuerint, indicant veram sanitatem. secundum genus signorum est ab agnatis &c. diximus enim illa esse agnata essentialia, vt neruos, ossa colli validissima, & propagines: agnatum enim est sic, essentiale ipsi cerebro, vt cerebrum non possit esse sine eo. agnata verò aduenientia, & per accidens sunt, vt ipsi capilli, faciunt quidem isti ad vsum, sed possunt esse, & non esse, quia non sunt de essentia cerebri, nisi propter ornatum. Vbi ideo caput est magnum, & sua agnata sunt magna, & bene disposita, tam antè, quàm à parte pòst, & hæc sunt essentialia; figura &c. Figura optima qualis describitur in tabula indicat bonam cerebri dispositionem, quæ est vt sphæra, rotunda ab vtroque latere compressa: ab agnatis &c. iste est secundus locus, vbi diximus, quæ diuidũtur, quia alia sunt essentialia, vt nerui, signum bonũ cerebri est videre, quomodo

agnata essentialia se habent, quia si agnata sint valida à parte indicant cerebrum optimum, quæ sunt essentialia: alia sunt per accidens, vt capilli infantium subrufi, adultorum autem flaui: hæc omnia iam manifesta sunt. ab operationibus animalibus, & iste tertius est locus, quæ & ipsę diuiduntur, quia aliquæ sunt cognitiuæ interiores, & aliæ exteriores, vt sensus quinque, & etiam exquisitæ omnes in bono cerebro: alię sunt animales, quæ dicuntur motiuæ. motiuis &c. quæ si validæ sint, ergo bonum cerebrũ: à primo affectu hic est locus quartus, & est propria passio, vel affectus cerebri somnus & vigilia, quæ si mediocres fuerint, ergo cerebrum temperatum. ab excrementis est quintus locus: in bono autem cerebro excrementa erunt modica, & concocta, ac temperata. ab accidentibus, iste est sextus locus, quæ diuiduntur: aut enim intrinseca sunt, vt calor moderatus in cute, qui oritur ab actione generatiua naturali, quando non est valde potens, sed debitus est: deinde durities, mollities, color flauus: extrinsecus accidentia sunt, vt aer, cibus & potus, & similia: nõ ponimus autem capillos inter hæc accidentia, quoniam capilli quoque modo sunt partes partium principalium, etiamsi sint ad ornatum earum, tamen non sunt merè acciden-

cidentia, sicuti est color durities, mollities. & calor in cute &c. Iam patet prima pars tabulæ, remanet secunda, quæ est de signis salubribus cerebri vt nunc, quæ per vos metipsos potestis videre in tabulis. ego enim in reliquis perseuerabo, iam habetis tabulas, & vidistis omnia etiam, in quibus dissentiamus à Galen. atque eas perlegite, dimittemus declarare signa temperaturæ cerebri frigidioris, quoniam & ipsa iam manifesta sunt, cùm contrariorum eadem sit disciplina, & rectum sit iudex suiipsius, & obliqui. Itaque ex vobis erit etiam videre aliam tẽperaturam sicci, & humidi cerebri compositionis, harum temperaturarum. nam animus est nobis aggredi tractatum de signis oculorum. Quare tabulam quintam legatis, in qua continentur signa cerebri salubria, quam reperietis in libro tabularum folio. quare & sextam tabulam, in qua continentur eadem signa cerebri salubria, quam reperies in dicto tabularum folio. perlegas amice lector.

De oculis. CAPVT XXII.

CREDO vos meminisse, quemadmodũ Gale. in hoc secundo libro erat traditurus veram methodum omnium signorũ

indi

indicantium ſalubritatem,inſalubritatem, & neutralitatem humani corporis, & quoniam ordo à prioritate materiæ erat,vt inciperet primum loqui de ſignis ſalubribus, ideo incepit ab his, & agens de ſalubribus primùm, & in primis ſeruans modum, ac proceſſum docendi ſecundum Ariſt.& Hippocratem,ac omnes agit de vniuerſalibus, deinde accedit ad ipſa particularia,ſicuti & Philoſophus ſeruat in proœmio phyſicorum,aliiſque plurimis locis. primum itaq; Gale.agit de ſignis ſalubribus humani corporis in vniuerſali,pòſt de his tractat in particulari, & dum ab vniuerſalibus auſpicatur,primum incipit à ventre ſuperiori, à cerebro. vidiſtis autem ſuperius,quemadmodum ventres ſunt tres,cerebrum,cor & hepar. Iam incepit à ſuperiori, de quo ipſe egit,in quo reſidet cerebrum, cuius gratia factum eſt ipſum caput.agit enim de ſignis cerebri ſalubribus,ad quæ explicanda nobis tradidit ſex genera,vel loca, vel fontes ipſorum ſignorum, de quibus quidem ſignis indicantibus cerebri temperaturam,& ſubſtantiam ſigillatim ſermonem habuit, vt vidiſtis. reliquum modò eſt, cũ ſint alia membra,vel aliæ partes incapite,vt aliquid de ſingulis illarum ageret Galen.quæ ſunt, vt oculi,nares, aureſque. & qui habent ve-

ram methodum cognoſcendorum omniũ, illis non eſt neceſſarium per omnes partes digredi:nam ſi habuerit quis viã,aut ipſam methodum inueniendi ſigna, quæcunque fuerint indicantia, vel affectum, morbum, vel ſalutem,nõ eget ille,vt inquirat omnia ſigillatim.nam quicunque ſic procedit inquirendo ſingula particularia, ſignum eſt illum non habere methodum,nec eam intelligere,quæ eſt inueniendorum ſignorum quemadmodum fuit Auicenna in tertiò libro Can.vbi loquitur de omnibus morbis particularibus, primum per methodum vniuerſalem,eos tradidit,poſteà in vniuerſalibus cœpit de eiſdem ſermonem habere capiendo,& repetendo eoſdem inutiliter,& ſuperfluè. Vnde callentibus methodum veram,eſſet talis proceſſus valde moroſus,illud reiterare.ideo dicit Galen.inuenta methodo,& iudicio eorum,quæ dicta ſunt,hęc indicia iam tradita per illa ſex genera, vel loca ſignorum poſſunt adaptari omnibus aliis partibus,facileque poſſumus deuenire in cognitionem illarum.attamen vt magis exerceantur mentes veſtræ in particularibus,& ſint magis inſtructæ, voluit præter cerebrum in medium etiam afferre vnum aliud membrum,ad oculos aperiendos illorum ſignorum,vt oculorum temperatu-

ram

ram nosceremus. prȩtereà deuenit ad secun dum locum, ad cor; supponendo, quod liceat exercere in cerebro sumpta illa sex ge nera signorum, vt sciatis recto itinere progredi per eadem signa. Itaque exercet circa oculos, qui sunt membrum validissimum, & nobilissimum in capite, ob quos dicit Galen. ipsum caput factum esse, adeo sunt nobiles, quemadmodum dicit Galenus in decimo de vsu partiũ, & in primo ad Glauconem eò maximè, quia in oculis sunt plurimæ differentiæ, ac partes magis, quàm in quocunq; alio membro, vt enim maximè, & optimè exerceatis vos in reliquis, tradidit nobis signa cerebri, quia cognito cerebro, ex quo cõstet, & quid sit, sic habita substantia oculorum, & sua temperatura per illa eadem sex genera signorum deueniamus, vt periti nostra spõte in cognitionem aliorum. quare si habebitis veram methodũ, optimè poteritis discurrere per omnia, vt domini artis. Vnde Galen. videatis in consilio de puero epileptico, qui exhibens plura medicamenta, pro illo, inquit se non velle tradere omnia particularia, eò quia essent superflua: nam debes habere methodum, dicit ibi, inueniendorum medicamen torum: aut enim habemus methodum, aut non: si habemus methodum, superfluum

est velle tot,& tanta reiterare,facilè poteritis ex vniuersali discurrere per particularia omnia,& esse voti compotes, quoniam tandem ea methodo acquiretis vtilitatem. hæc igitur indicia sunt cerebri temperaturæ. SED SVFFICIT DE OCVLIS DVMTAXAT &c. Nunc modo Gale. incipit agere,& aggredi id,quod pollicitus est, de oculis,per sex illa genera signorum ad habendam oculorum temperaturam. Notate tamen illa sex genera Galen. de signis tradita hic carere omnino ipsa methodo, & si à principio pollicitus sit omnia per ipsam rationem tradere,& per ordinem. causam aũt cur defecerit in hoc,nescimus:satis enim sit eum ita carere methodo,vt omnia laceret: non autem hoc euenit, quia tum habuerit methodum,sanè quidem habuit,& optimè vt tot in locis patet,tamen hic nullo modo eam seruat,& fortè ipse consultò noluit vti methodo,& cautè, & quamuis non seruet ipsam, imò in illis sex generibus deficiat vbique in hoc loco,& fuerit summè diminutus,vt magis in processu videbimus,non est sic legendus liber iste,vt stat, eò quia si sic legeremus ipsum, sanè absque ratione, & methodo omnia hæc doceremus, quoniam ex suis verbis non est possibile habere optimam viam ad habenda signa,

& qui

& qui habent hunc librum ſine methodo nihil aliud habēt, præterquam aliqua theoremata: ac multi memoriæ mādant ipſum hoc modo, tamen non intelligunt ipſum, & ſic nullam poſſunt ex hoc libro habere vtilitatem: diſcuntque cum ſummo labore nos autem interpretabimur ipſum Galen. reducendo ſemper omnia ad ſuos fontes. & rectè omnia enucleabimus, poſteà accedemus ad tabulas noſtras, in quibus oſtendemus, quare, & quibus in rebus diſcrepabimus ab illo, & maximè de copia ſignorum circa oculos. QVICVNQVE TANGENTIBVS, QVOD EST MANIFESTVM, CALIDI EXISTVNT. Affert in præſenti parte ſigna indicantia caliditatem oculorum. dicere autem poſſet quis, quare Galen. agit de exceſſu, & temperatura oculorum, & prætermittit loqui de temperatura, ſed tantùm dicit de exceſsibus? Dico hoc optimè factum eſſe ab eo, quoniam ex intemperaturis habebitur etiam temperatura eorum, vbi docuit, quæ ſunt ſigna exceſſus in oculis, remotis illis exceſsibus, oculi habebūt ſigna optimæ ſanitatis. nam hoc certum eſt, ſi non in illis affutura ſigna intemperaturæ alicuius, quòd illi erunt bonæ temperaturę per priuationem malorum ſignorum, & ſic cognoſcetis, quando aderunt bona ſig

na signa, vel mala in oculis. Inquit ergo Gale. afferendo signa ipsa in triplici parte, primum est caliditas, secundum sunt venæ latæ, motus oculorum. signa autẽ prima sumũtur à dispositionibus, quod est primum genus illorum sex fontium: ostendimus etiam superius dispositiones sumi ab actionibus naturalibus, quæcunque oriuntur à virtutibus naturalibus: & istæ sunt in triplici differentia, nutritiua, augmẽtatiua, & generatiua. à primo enim fonte sumuntur duo, augmentatiua, caliditas tactu perceptibilis, & venæ oculorũ latæ. nam in principio generationis secundum proportionem materiæ substantiæ illa virtus operatur in efformando, & fingendo membra ipsa: & si caliditas tunc à principio generationis superabit illud tale, aut orietur cũ signis calidis, & cum his hic positis. si ergo caliditas tunc superabit, faciet signa indicantia calidi talis excessum: quorum vnum erit, quod caliditas in huiusmodi animali tactu percipiatur, & hic est primus affectus virtutis generatiuæ. Dum caliditas abundat in generatione, & sic in illo percipietur à temperatura caliditas tactu, non tamen potest esse caliditas eo modo, quo in ligno esset. dum ergo excedit, & quidem tactu percipitur. secundum signum est, vel

duplex affectus, quod venæ appareāt in oculis latæ: sunt enim amplæ venæ hac de causa, eò quia membrū calidum eget plurimo alimento, seu nutrimento: si plurimo nutrimento, ergo etiam plurima actione: quia calidi proprium attrahere est, & dilatare: membrum enim hoc cum sit calidū, oportet, quod attrahat plurimum de sanguine: & ideò venæ, in quibus residet sanguis, esse amplæ debent, & latæ. tertium signum est motus oculorum velox, qui indicat caliditatem, ita vt nesciant isti tenere oculos firmos: oculi enim habent sex motus sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, & in gyrum, qui motus fiunt à sex musculis deseruientibus oculis. vnusquisq; horum motuum fit ab vno horum musculorum, quemadmodum vidistis in anatome, circa quam debetis operā nauare, & exercere vos, quæ sit alphabetum medicinæ, alioquin medicinam nunquam habere poteritis. Isti enim musculi mouētes oculos proueniunt, & habent virtutem motiuam, quæ motiuā virtus prouenit à cerebro, vt vidistis ad ipsos oculos, & ad alias partes corporis mouendo, prouenit inquam, à cerebro, & in ipso minimè existit, sed ab ipso. scitis vos, quemadmodum dicebamus, quasdam actiones, vel virtutes esse, quæ sunt in suis

principiis, & etiam ab ipsis emanant, vt in imaginatiua, discursiua, memoria, quæ nõ indicāt, nisi de suo mēbro præcipuè in quo sunt, & de sua dispositione: sunt etiam aliæ, quæ nõ sunt in membris principalibus, sed tantummodo emanāt ab ipsis, vel ab ipso, vt à cerebro emanat virtus motiua, non tamen in eo perstat, sed in suis agnatis, vt in neruis, musculis: hæ enim virtutes indicant de omnibus partibus, in quibus sunt ipsius corporis, non de suo principio præcipuè, vt de motu, quæ si fuerit motu veloci, vel oculi maximè mouentur, iste quidē motus habet ortū à cerebro, & ab eo continuè fit: indicat quidem iste motus cerebrum esse calidum, non tamen necessariò facit maximā suspicionem de caliditate cerebri, tamen posibile est cerebrum esse frigidum, & oculos calidos, ac mobiles validè, propter aliquam caliditatem influxam. & ideo si oculi maximè moueantur, fit suspicio de cerebri caliditate, non tamen est necesse hoc, ideo tale signum non est perpetuæ veritatis, quæ ad cerebrum, sed bene est necessariū dicere, si oculi sint motu veloces, ergo sunt calidi: nam motus semper in ipsis est signum oculorum calidorum, siue proueniat caliditas à cerebro, siue sit in ipsis. An verò sit hæc caliditas à cerebro, vel ab iismet oculis, co-

gnoſcitur per alia ſigna:quare ſatis eſt,ſi velociter mouentur,ſunt calidi,& hæc propria ſua operatio eſt.& ſic habetis iamiam à quarto genere Gal.à virtute motiua,quæ à cerebro ad muſculos trāſmittitur,& quod iſte motus dicit caliditatem oculorū.cauſa autem huius eſt:quia proprium caloris eſt mouere,quemadmodum patet apud omnes medicos,& philoſophos. frigidi verò his contrariari. frigidi enim oculi ſunt contrarii,& oppoſiti calidis,quoniam contrariorum eadem eſt diſciplina.neque verò eſt immorandum in his,quia contrariorum eſt oculorum frigidorum per hæc eadem tria ſigna. ET HVMIDI QVIDEM MOLLES &c. Poſtquā egit de indiciis caliditatis excedentis, ac etiam frigiditatis, nunc dat indicia de humiditate excedente in oculis,& etiam de humiditate exuberante:quādo enim peccant in humiditate, hæc ſunt ſigna manifeſta:primo vidētur valde humidi,& etiā in viſu,& tactu,ac videntur lucere:eſt ideò in his perpetua paſsio humiditas. prætereà ſunt molles; & ſciatis vbi mollities eſt,nō eſt niſi ſit aut prima propter colliquationē,aut inanitionem : quod prouenit ab humido,habētq; ſæpe lachrymas.ſicci verò duri ſimul,& aridi:oculi enim ſicci ſunt oppoſiti humidis.nam ſicuti

molli

mollities est perpetua pasſio humidi, & est per ſe: ſi verò eſt per illas duas cauſas per liquiditatem, & inanitionem, tũc eſt per accidẽs; ſic inquit Gal. Durities eſt pasſio ſiccitatis propria, niſi proueniat ab vna harũ duarum cauſarum, vt non ſit à repletione, aut congelatione: quoniam repletio ſæpe facit duritiem, ſed hoc eſt per accidens & nõ per ſe, & congelatio ſimiliter facit, vt eſt de glacie. Et ideo quod erit ſiccum, eſt durum, ac aridũ: & hæc erunt ſigna per ſe eo modo, quo diximus; nõ adſit aliqua illarũ duarum cauſarũ aut in humido, aut in ſicco videlicet, ne in molli adſit colliquatio, vt fit in plumbo, aut inanitio, ſemper mollities dicit humiditatẽ; ſic etiam in duro, ſi nõ ſit aut repletio vt cutis, aut congelatio, ſemper fit durities, quæ dicit ſiccitatem: & pariter aſperitas indicat de ſiccitate eodem modo. Ideò durities per ſe, & propriè erit pasſio ſicci, ſicut mollities eſt per ſe etiam humidi pasſio, alioquin erit per accidens.

A SIMILIBVS AVTEM SVAE TEMPERATVRAE CAVSIS OFFENDVNTVR &c. Affert modo Gal. vnum ſignum, quod eſt ſumptum à ſexto loco, nimirũ ab accidentibus extrinſecus occurrẽtibus, & eſt iſta vna regula vniuerſalis omnium exceſſuum, quæ talis eſt, vbi erit exceſſus aut in

caliditate,aut in frigiditate:quæ ſunt contraria illi exceſſui, adiuuant illum exceſſum : & contrà, ſimilia habent offendere ſimilia : quæ enim excedunt in aliquo, egent ſuo ſimili. Nam ſemper per augmentum læduntur à ſuo ſimili, vt caliditas excedens læditur à ſuo ſimili ſcilicet caliditate,ſic dicendum de aliis tribus tum in qualitate,tum in gradu,& ratio eſt,quoniam in habentibus ſymbolum, facilis eſt tranſitus,vt de frigiditate in frigiditatem, vt ſi membrum ſit frigidum,ſi etiam frigidum addatur, conſeruatur quidem frigiditas illa in ſe,ſed augetur nimis,& læditur tamen membrum. iuuantur autem contraria à ſuis contrariis vel oppoſitis, quia vnum oppoſitum reducitur per ſuum oppoſitum ad temperiem , vt calidum à frigido. Quare quod dico de vno à ſuo contrario , idem dico per oppoſitum de ſimilibus,lædi à ſimilibus, & hoc eſt perpetuò verum,tam in conſeruantibus,quàm in lædentibus.

CAP. XXIII. & XXIIII.

MAGNITVDO OCVLORVM QVIDEM, VBI CONCINNITAS, ET OPERATIONVM VIRTVS &c. Nunc etiam affert alia ſigna, per quæ

quę habere possumus bonam oculorũ substantiam, vt magnitudinem, & paruitatem oculorum: & sumitur quidem hoc à primo genere Galeni, videlicet à dispositione, quæ quidem dispositio sumitur à magnitudine, paruitate, & figura, & capillis, & prouenit à naturali illa virtute, quæ dicitur generatiua, quemadmodum ex suprà dictis patet. ista enim virtus in principio generationis secundum proportionem materiæ, & caloris facit talem, vel talem figuram: tales, vel tales capillos. debetis autem præscire, quod magnitudo, nec paruitas ex sui natura non indicat malitiam, vel bonitatem, sed nunciat tantum multam, vel paucam fuisse materiam in principio generationis. si ergo magni sunt, multa materia fuit; ideo nihil aliud habetis à magnitudine, & paruitate, nisi materiam fuisse aut multam, aut paucam à principio. Vtrum modo ista materia fuerit bona, vel mala, hoc attenditur penes concinnitatem, & aptam figuram: nam si oculi fuerint magni, & concinni, indicatur ex hoc præter multam materiam, & fuisse bonam, & calorem naturalem bonum, oppositum modo opposito indicat. si enim est oculus paruus, & concinnus, & quidem pauca materia, sed bona, & bonus calor: si modo oculi parui sint, & incon-

cinni indicant paucam, & malam materiam, ac omnia mala pro oculis. & tandem qui habent veram methodum, poſſunt omnia percipere quocunque vertant ſe abſque diſcurſu per cuncta particularia. ſed diceret quis, & hoc eſt neceſſarium ſcire, quænam eſt figura concinna oculorum? hoc enim nunc eſt humidum. Videatis Galen. decimo de vſu partium concinnitas oculorum eſt figura rotunda, quæ ſic facta eſt à natura, vt minus ab occurrentibus extrinſecus nocumentis lædatur, & opponatur. prætereà & in tali figura rotunda ſpiritus introducti melius operantur, ac ſatius ſe habent, quàm facerent, ſi eſſent in figura angulari, non rotunda, in qua diſsipãtur ipſi ſpiritus, non tamen eſt ita rotundus oculus, quin in ſuperficie habeat aliquam planitiem, vt melius, ac facilius poſsit ſuſcipere lumen, ac ſpecies. talis inquam debet eſſe oculorum figura rotunda, & concinna. prætereà oculus eſt figura cauernoſa, & conuexa, quæ eſt rotunda in longitudinem, vt oculus optimè poſsit, intra faciem, exteriúſque ſe vertere: & vbi fuerit maxima caliditas in oculis. Hæc cauitas oculorum fit longior, & illæ carunculæ fiunt longiores, quæ ſigna indicant ſemper caliditatem oculorum, &, vt inquit Ariſt. in primo

de ge

de generatione animalium, vel de historia cap.ix. qui habent oculos cum tali concinnitate longa, hi sunt pessimi homines, malorum morum: qui verò habent hanc rotunditatem paruam in oculis, indicant de humore frigido dominante; quorum oculi veluti bouini, como quelli che sono del priore di Roma, & isti sunt tanquam homines stupidi, vt asini, & vt boues qui habent, vt diximus, nimis longos oculos, sunt pessimorum morum, tamē sunt ingeniosi. At oculi temperati sunt non nimis longi, nec nimis rotundi, tales inquā debent desiderari, alioquin sunt fugiendi. QVAE VERO AD COLORES ATTINENT, ITA DISTINGVERE OPORTET &c. Cùm tradiderit signa etiam temperaturarum oculorum sumptū à dispositionibus, quoniam ferè omnia sumpta sunt à dispositionibus præter vnum, quod fuit sumptū à quarto genere, nunc modo agit de coloribus, vt signa ipsorum oculorum, qui quidem colores etiam sumuntur à dispositionibus, à virtute generatiua: oculi enim generantur tales, vel tales per dominium huius, vel istius humoris, à principio generationis vel talis, & talis materiæ. dum necessario vult tradere differentias colorum in oculis, sumit duo opposita, glaucedinem,

&nigredinem, tanquam opposita, & extrema: atque vult afferre causam horum duorum oppositorum. primum proponit duo: quorum vnum est, quod affert causam formalem glaucedinis: deinde affert eius causam materialem ibi, glaucus igitur fit: sed antequam ad hæc deueniamus: in primis sunt annotanda quatuor: primum quid sit color glaucus, circa quem est magna dubitatio, cum isti recentiores ex malo intellectu, maláq; distinctione non rectè intelligant, adeò confusi sunt. Dico autem colorem glaucum esse vnum gradum remotissimum albedinis: & quia vnus gradus primus recedit à pura albedine, & tendit ad alium colorem, ad nigredinem, ille primus gradus appellatur color glaucus, in quo est plurimum de albedine, parum autem de nigredine. itaq; paucula nigredo est commista multæ albedini: vnde videatis Actuarium in primo lib. cap. quarto, vel primo, qui expressit bene hũc colorem assimilãdo ipsum cornu laternæ nouæ, quod quidem nõ est exquisitè album, sed tinctum aliqua nigredine, vt manifestum est intuentibus, & dicitur glaucus color, ac cineritius, qui vergit ad album: ista quidem est vna significatio coloris glauci. Videatis etiã in cœlo, in temperie mediæ æstatis sereno existente

aere,

aere,ac limpidiſsimo,dum ſol fulget,ſi tũc contemplemini cœlum,videbitur ferè album,tamen eſt etiam remiſſa aliqua nigredo,& vergit ad cæruleitatem tenuiſsimam: iſte eſt color glaucus:vnde latini vocant oculos cæſios,quaſi cœlios,videlicet habẽtes colorem cœli,dum ſerenum eſt meridie in tempore æſtatis. Notetis autem errorem grammaticorum in tertio georgicorũ Seruii,& aliorum:Luxuriáq; toris animoſum pectus honeſti,Spadices,glauciq; color deterrimus albis:nemo quidem illorum intelligit locum illum:nam Virgilius vult dicere ibi de equis,& colores equorum diſtinguit,qui boni,quíve mali ſint,& cùm dicit, honeſti ſpadices,illos equos bonos,& optimos eſſe,& vocãtur iſti noſtra lingua,baio affogato,& ſecundum Galen.dicitur flauus ad rubeum; hoc enim bonum eſt ſignum in equis,vt & glaucedo.peſsimi autem colores omnino in equis ſunt duo, albus & giluus.giluus autem eſt qualis ſecundum græcos chiros,& eſt color medius inter album,& nigrum vergẽs ad rubedinẽ,quemadmodum eſt vinum,& ſicuti rubinum:color iſte dicitur giluus,qui dum ſimplex, & merus eſt laudabilis in equis,qui quidẽ color giluus,ſimplex vocatur lingua materna baio ſcuro;ſed ille eſt peſsimus, dũ permiſce

miſcetur giluus cum albo, qui color nuncupatur à vulgaribus, d'uſelino, & nũquam poſſunt eſſe boni iſti equi: & prouerbium eſt, cauallo d'uſelin, ô da piazza, ô da molino, quia color giluus miſtus cum glauco facit equm flauum in colore, & iſte eſt bonus color. at ſi giluus miſtus ſit cum glauco, tũc iſte eſt peſsimus, à quo omnino abſtinere debetis, hæc dicta ſint obiter. his de primo ſuppoſito ſic dictis circa glaucedinem, ſecũdum ſuppoſitum notandum eſt, quod in oculis ſunt aliquæ tunicæ, & ſunt numero ſeptem, tamen tunicæ veræ ſunt quatuor. prima autem & ſuperior vocatur adnata, ſecunda dicitur ſecũdina, quæ ſequitur prima, moritur à meminge ſeu pia matre, tertia tunica oritur à neruis opticis, quæ facit rotũditatem in oculis, & amplectitur humorem glacialem, qui etiam vitreus vocatur humor: ſequitur quarta, quæ appellatur aranea, quæ veſtit humorem criſtallinum, eſtque quinta tunica, & tenuis, & perforata longiuſcula, & colore nigra in ſua radice, habet quẽdam humorẽ aqueum oppoſitum criſtallino, habétque multos ſpiritus illa tunica. omnia autẽ iſta debent ſupponi, ex ipſa corporis inciſione. ſexta appellatur cornea, & eſt nigra. ſeptima dicitur coniunctiua, & hæc oritur à pe-

ricranio circundans totum oculum: modo ista cornea, quæ est nigra, per quam transeunt spiritus, coniungitur humori cristallino, & aqueo. supponatis istam corneā esse nigram, & habere coniunctum humorem cristallinum, pariter & aqueum, per quem transeunt lumen, ac spiritus. tertium notandum est, ac supponēdum de colore: color enim secūdum Aristo. in libro secūdo de Anima, & in libro de sensu, & sensili, nihil aliud est, nisi actus quidam perspicui in corpore terminato. Nam quodlibet corpus habet aliquam superficiem, quæ possit recipere, & recipit lumen secūdum magis, & minus, quod lumen receptum in tali superficie habet facere colorem aliquē: ideóque dicimus cum Aristo. lumē nihil aliud esse, nisi actus perspicui corporis terminati, quoniam superficies est, quæ terminat. quantò enim magis ipsa superficies est, quę terminat, quantò inquam, magis recipit de lumine, tantò fit clarior ista superficies, & quantò minus, tanto fit obscurior. & ideo quantò de radiis recipit vel magis, vel minus; tanto magis, aut minus accipit de colore vt albus sit, vel niger. Quartò supponendum est aquam, & aerem, ac tandem omne corpus diaphanes habere de se hoc, quod quanto magis sit profundum, ad eius

profun

profunditatem lumen minus poteſt perue-
nire, & tantùm remanet in ſuperficie, iſtud
profundum fit nigrum, quẽadmodum vi-
demus in profundo maris, cùm profundi-
tas eſt nigra, cùm lumen aliquod nõ poſsit
illud peruenire. at vbi fuerit pauca aqua,
ſicut in flumine, tunc in fundo eius non eſt
nigredo, ſed aqua extat clara, & lucida: ex
quibus quidem ſuppoſitis quatuor iam di-
ctis omnia, quæ erunt dicenda, patebunt
manifeſtè clara, ac nota.

Tertium verò ſuppoſitum erãt omnes
cauſæ colorum, quarum vna dicitur cauſa
efficiens, & eſt lumen illuſtrãs ſuperficiem
alicuius corporis terminati: prout enim ma
gis, & minus ipſum illuſtrat, ſic variatur co
lor quiſquis ſit. cauſa formalis erat ſpẽdor
actu in perſpicuo corporis terminati: cau-
ſa materialis erat illud perſpicuum termi-
natum recipiens varia lumina, id eſt, varios
luminis gradus ſecũdum magis, & minus.
Et ideo plus, & minus recipit de ſplẽdore,
ſecundum diſpoſitionem ſuæ ſuperficiei.
cum ideo vario modo recipiat, varius po-
teſt vnuſquiſque color ibi generari, vel al-
bus, vel niger. præterea quarto annotaui-
mus vnumquodque corpus *διαφανὲς* reci-
pere lumen ſecũdum diſpoſitionem ſuam
in profundo. ſi eius profunditas eſt maxi-
ma,

ma, vt in mari, ad quam non poteſt accedere lumen, tunc ibi apparet tale corpus nigrum in profundo, & ſi fundus eius non erit nimis altus, vt in paruo flumine, penetrat illud lumen. Vnde tale corpus totum redditur album, lucidum, ac perſpicuum, quemadmodum fit de aqua, & de aere. nam ſi in aere volumus à lõginquo intueri, non poſſumus; ſed apparet quædam nigredo, ac quędam caligo, ſic & in aqua, ſi eſt profunda nimis, non poſſumus ad vnum videre: quia videtur facta nigra ibi: ſic dicendum de oculis, quod in oculo eſt ſæpe eadem cauſa: quod non recipiat lumen ipſe, quoniam non poteſt intus penetrare, propter multa intima: vel quia adeſt multus humor, qui prohibet lumẽ intrò progredi. & ideo in oculis ratione multi humoris fit hæc obſcuritas, vel talis color niger. deinde eſt aliqua cauſa, quare in oculo aliquando non penetret lumen, & reddatur perſpicuus, & eſt eò, quia adeſt craſsities, & turbulentia in eo, & ideo radij nequeunt ibi ingredi: res enim & vnumquodque corpus cum eſt magis tenue, & rarum facilius penetrat: vnde aer cum ſit tenuior ſui natura ipſa aqua, facilius penetrat, quàm aqua: omnia enim hæc debent à nobis ſupponi pro dicendis.

CAP.

CAPVT. XXV. ET XXVI.

GLAVCI QVIDEM OCVLI &c. Si rectè recordamini, dicebamus Gale. dũ vellet tradere causas colorũ in oculis, prius posuisse causam formalem, posteà tradidisse causam materialem. primum etiam dixit de formali causa, sic & nos in primis de formali causa agemus. quoad causam formalem dicit, glaucos quidem oculos: causa enim formalis est splendor, cuius abundantia recepta in subiecto producit colorem glaucum, qui quidem color accedit ad albedinem remissam; & quanto magis spendor in subiecto ipso terminato, tantò fit maior claritas in illo subiecto temperato. præterea diximus album colorem fieri à tali etiam splendore: iste enim fulgor apparẽs in subiecto terminato perspicuo facit colorem album. vbi verò sit multa humiditas, & tenuis, quæ impediat, & sit paucus fulgor, nõ fit albus color. nam ad faciendum colorem albũ, opus est multitudine splẽdoris, quãtitas humoris etiam debita requiritur. Diximus autẽ in nostro supposito, siue notando, loquẽdo ibi etiam de humorib. tres esse humores ipsos: quorum primus erat vitreus in oculo, secundus cristallinus, tertius aqueus, & tenuis, qui assimilatur albumini oui qui vocatur etiam

albugineus. Gale. autem hic intelligit de tertio humore, qui eſt tenuis, vt habeat defendere alios ab extrinſecus aduenientibus, & eſt criſtallinus, hac de cauſa dictus, vt defendat alios, dum iſte humor tenuis eſt mediocris humidus, rarus illuſtrans, neque radios impediēs, quin accedant ad humorem criſtallinum, qui quidem criſtallinus eſt immediatum inſtrumētum vidēdi. itaque cum penetrabūt radij vſque ad profundum criſtallini, & commodè, tūc color oculorum erit glaucus, & hoc quoniā multitudo radiorum eſt introgreſſa vſque ad vltimum, & ad profundū, idq; multitudo radiorū, & ſplēdoris vt ſe habet magis, & minus, facit aut colorem glaucum, aut albū: ſi maior eſt multitudo, fit albus color. debetis autem ſcire criſtallinū eſſe ſubſtantiam ſolidiorem, quemadmodum habetur in decimo de vſu partium primo, & coloris lucidi trāſparentis, & albi, qui dum recipit lumē, recipit vt cōtineat, & accidit illi quemadmodum etiam euenit in ſpeculo, ſicut enim in ſpeculo reuerberantur radij ad partes oppoſitas, & fit lux, ſic in criſtallino radij reuerberantur ad oppoſita: pars autem oppoſita humoris criſtallini eſt tunica cornea, quę quidem defendit oculum, quæ cum reuerberatur à radiis prouenien-

tibus à criſtallino facit colorem album, ſicuti etiam de ſpeculo, cuius oppoſita pars eſt paries, quæ cum fuerit reuerberata, à lumine proueniẽte à ſpeculo producit colorem illum album: ſic id fit de criſtallino verſus corneam. Notetis tamen, dum dicimus, fieri colorem album, is non eſt merè albus, ſed aliquo modo: quoniam tunica cornea, quæ reuerberatur, eſt parum nigra: ideo nõ poteſt eſſe merus albus color ille, & quidem ſi cornea nõ eſſet nigra, appareret ille color omnino albus, & eſt hoc quẽadmodum, ſi videbitis radios ſolis tranſeuntes per herbas in pratis, & per feneſtras vitreas diuerſorum colorũ, aut per aliquem parietem pictum: ex illa quidem reuerberatione Solis radij percipiẽt varios colores, prout tot fuerint colores illarum herbarum, vel colores in pariete, tot in ſe recipient illi radii: & ſi in ſe radij ipſi ſolis ſint clari, & ſic hic fit in oculis, aut color glaucus, aut albus à radio, & ſpẽdore exiſtente in criſtallino reuerberante corneam, quæ eſt nigra: & ideo fit color glaucus. ſi etiam fuerit maximus radius, fit color albus, non tamen glaucus, & ſic ſi fuerit multus ſpendor, ita vt præualeat corneæ, fit color albus. ſin autem fuerit æqualis proportio inter ſpendorem, vel radium, & inter cor-

neam,vt ambo medio modo ſe habeant;fit vnus color medius, qui habet de glauco, & de albo. ſi verò tendat ad aliud extremum, vel ſplendor ſit minimus reſpectu corneæ,fit color glaucus tunc. Itaque iam habetis cauſam formalem glaucedinis, & albedinis in oculis, quæ eſt iſte ſplendor. CONTRA VERO NIGRI &c.

Et ſic per ſuum oppoſitum oppoſitas cauſas habebitis formales oculi nigri, & tunc erit cum lumen, & ſpendor non poſſit recipi in humore criſtallino; quia fiat prohibitio ob cauſam hic ſupradictam,tūc verò non glaucus, non albus, ſed niger, quia color corneæ maximè ſuperat criſtallinum humorē. & ideo quia tale ſubiectū non eſt aptū recipere ſplendorē,tūc fit priuatio illius coloris aut albi, aut glauci: ſed erit tūc color niger,quia color corneæ ſuperat ipſum lumē:& ob id Gal.dicit. GLAVCVS IGITVR OCVLVS FIT, VEL PROPTER MAGNITVDINEM VEL PROPTER SPLENDOREM HVMORIS &c. Videte quā Gal. tradiderit cauſam formalem coloris in oculo, quæ eſt ſplendor; nunc conſequenter afferre vult cauſam materialem,& ſubſtantiuam,& ponit Gale. quatuor: vel enim contingit ſplendorem recipi in ſubiecto,vel propter ma-

gnitudinem humoris cristallini, aut quia talis humor est valde paucus, aut quia humor cristallinus fuerit nimis ad partes exteriores, vel quoniam humor tenuis positus inter cristallinum, & corneam fuerit paucus. Notate autem, ista diuisio non potest esse bona, quoniam omnis recta diuisio debet fieri per duo opposita membra maximè, quam quidem Gale. facere debebat, ideo videtur errasse: non enim facit sicut Aristo. in secundo post. & Boëtius rectè diuidens docet, quoniam solummodo isti duo humores sunt, qui faciunt varios colores: ideo variantur aut ratione humoris cristallini, aut humoris tenuis, & aquei. posteà debebat subdiuidere, & dicere sic: si sit ratione humoris cristallini color glaucus, aut quia multus, aut quia paucus, aut quia valde eminẽs, vel quia nimis tenuis, & lympidus. methodus enim vera debet dari per veram diuisionem; sic suum munus erat procedere: sed primum diuisit species, antequam genus diuideret. sic etiam dicendum, si esset causa humoris tenuis, & aquei, vt dictum est de cristallino. cum autem ipse non rectè fecerit hanc diuisionem, hoc non possumus scire, tamen habebat veram artem diuidendi. Nescio autem ego, cur ea non sit

vsus.

vſus. Quoad rem ipſam, quando dicit vel propter magnitudinem. Notate, magnitudo ex ſe non poteſt facere ſplendorem, non poteſt eſſe verum hoc, quod ſola magnitudo ſine ſplēdore, & puritate faciat colores varios, quia non recipit ille ſplendor. Vnde non poteſt fieri glaucedo: ſed glaucedo tātùm deficit, quātum deerit puritas ab ipſa magnitudine. nam ſi magnitudo coniuncta fuerit cū turbulentia, nō adiuuabit ad faciendam viſionem, ſed ad generandam obſcuritatē. magnitudo itaq; ſola eſt non apta ad producēdum ſplendorem, vel glaucedinē, bene puritas criſtallini humoris id habet facere ſcilicet ſplēdorē, & colorem glaucū, ſic etiā ſua priuatio, vel defectus ſcilicet turbulētia ipſius humoris criſtallini: & ſi fuerit purus humor criſtallinus faciet puritatē ſplendoris de glaucedine: ſi verò turbidus, faciet turbulentiā. at ſi fuerit multum, & ſic turbidus nō erit aliquis ſpēdor. Ideo cum magnitudine debet eſſe etiā purus, ſi debet facere ſplendorem ad generandā glaucedinē, quia ſic puritas requiritur ad magnitudinem ad hoc, quod fiat oculi glaucedo. Nam ſi criſtallinus fuerit multus, & purus, tunc ſplēdor fiet multus, & ſi etiam erit multus, tamen ſit obſcurus, non fiet ſplendor, ſed obſcuritas, &

oculi obſcuri. Quare debebat dicere rectè diuidendo, magnitudo cum paruitate, aut cum obſcuritate. Quæritur modo nũquid cum paruitate copuletur puritas, tunc fiat color ille glaucus tantum, ſi hoc fieri poteſt ad quid Galen. poſuit paruitatem, vel magnitudinem, fuiſſet quidem ſuperfluus: ſatis enim eſſet, vt poneret luciditatẽ. Notate tamen Gale. optimè in hoc dixiſſe neque fuiſſe ſuperfluum: dum quæritur ſi copuletur paruitas cum puritate, an fiat tunc glaucedo ratione horum duorum, ſi ponatur, quod fiat: ergo videtur quidem ſuperfluus ponere paruitatẽ, quia paruitas ſemper facit glaucedinẽ ſiue ſit cũ magnitudine, vel paruitate iuncta. ergo omnino eſt ſuperfluus, tamen non eſt ſuperfluus, ratio eſt, quoniam ſi puritas iuncta cũ magnitudine tunc facit verum colorem glaucum: At ſi ipſa puritas iũcta ſit paucitati, nõ poteſt facere verũ ſplendorẽ, verámq; glaucedinẽ. Nam modo ſplendor ille erit paucus, & profundus, & ſic hæc duo erunt in cauſa, ne poſsit fieri vera glaucedo, & ſic tunc oculus nõ erit glaucus. Ideo Gal. rectè ſic diſtinxit, quidã humor criſtallinus cum paucitate, & purus eſt etiam aptus tunc ad optimè recipiendum ſplendorem: ſed quia paucus non poteſt ipſum recipere: &

ide

ideo ſi magnitudo non erit cum puritate, non erit tunc ſufficiens ad remouendam obſcuritatem, quæ in cornea eſt. quare patet, quod paruitas criſtallini non faciat cum paruitate ſplendorem illum bonum pro ipſa glaucedine. Ideo bene diuidit Galen. paucitatem cum puritate ponendo aliquando puritatem cum magnitudine: nam aliter operatur puritas iuncta magnitudini, & aliter iuncta cum paruitate, vt viſum eſt. Nam paucitas ipſa eſt, quæ facit ad hoc, & eſt quoddam tertium, quia & ſi copuletur cum magnitudine, & agat faciendo verum ſplendorem, ſic etiam copulatur cum paucitate, & aliquo modo facit idem: ſi verò ſit paucus humor, & purus, & ſit eminens, atq; accedat ad partes extrà, verſus corneam, dũ eſt in puritate ſua, recipit lumen: recipit quidem, & tunc fit lumen ſplendidius, & cum ſit prope corneam facit quidem colorem glaucum. Nam eſt paruum ſpatium, licet ſit paucus humor, tamen eſt purus. tertia cauſa eſt hæc, quia apparet color glaucus quando criſtallinus humor immediatè recipiet lumen. Nam ſi eſt propter corneam tunicam facilè recipit illuſtrationem, dum ſit purus, & ſic tunc fiet glaucedo cum ſit pauca quantitas humoris tenuis inter criſtallinum, & ipſam corneam. quarta cauſa eſt

ſecundum Galenum humor tenuis,& albugineus,qui repoſitus eſt inter criſtallinum, & corneam ratione & cauſa neceſsitatis, & vtilitatis,& eſt tanquam excrementũ ipſius criſtallini,qui criſtallinus habet nutriri, & nutritur ipſo albugineo.ergo eſt excrementum ipſius criſtallini præterea iſte humor tenuis,vel albugineus eſt tanquam obiectũ ad criſtallinum,& ad vſum eius. Nam cum deueniat radius ab extremo ad ipſum criſtallinum : ſi non eſſet quid intermedium, quod refrenaret ipſum radium, offenderetur in primò occurſu ipſe criſtallinus,quod ſi ille humor medius albugineus fuerit paucus,& purus,tunc vt ex quarto noſtro ſuppoſito ſumpto habemus facile,quod ſplendor luminis,vel radii penetrabunt,& ſic criſtallinus facilè recipiet ipſum lumen, ſicut accidit in aere limpido ſuperius deſcripto, aut in aqua limpida pura,& pauca,ad cuius fundum facile penetrat ſplendor.Ideo non videtur in ea multa nigredo. nam radius luminis,tunc facilè penetrata, & ſi turbida fuerit aqua,vel multa,tunc non poterit facile penetrare radius ad profundum, & ſic erit obſcuritas in partibus imis, ſic de oculo dicendũ.quod ſi iſte humor albugineus, qui in medio eſt,erit vel mutus, vel obſcurus,tunc quidem radius ſplendoris proue-

niens

niens extrinsecus non poterit penetrare ad humorem cristallinum, cum impedimentum fuerit ab humore medio: non enim potest reuerberare in corneam tunicam, vt faciat splendorem ad generandum colorē glaucum. ideo tunc ille color remanet obscurus, & niger ratione suæ causæ, humoris medii, qui causat hoc. oculus igitur erit turbidus, obscurus, & niger; atque tunica vuea erit turbida, & nigra intuentibus. quod illa turbulenta sit ratione illius oppacitatis, patet: de hac autem quarta causa Aristo. ait in quinto de generatione animalium cap. primò & ibi non meminit de humore cristallino causam essè coloris glauci, sed inquit causam glaucedinis nō esse, vt inquit Empedocles, sed est à dominio humoris aquei albuginei. Nam dicit Aristo. oculus quantò plus habebit in se aquei humoris, tantò obscurior reddetur ipse oculus, quia est medius inter corneam, & cristallinum. Ideo quomodo sit obscurus, non potest splendor ingredi ad cristallinum, sicuti dictum est de multa, & turbida aqua, vt in alto mari, ad cuius profundum non potest peruenire lumen. Itaque ibi apparet obscuritas, & aqua nigra, & vbi humor aqueus fuerit paruus, tunc apparet glaucedo in oculo, sicuti in pauca aqua lucida. CRISTALLOYDES

AVTEM SIQVIDEM DVRIOR EXISTAT &c. Affert multa ſigna Gale. huius paſsionis: primum eſt ab exteriori, videlicet quod oculus non impeditur ophthalmia, qui eſt glaucus. Subiectus autẽ eſt paſſionibus ſiccis, vt glaucoma, quæ dicitur ariditas oculorum: qui autẽ ſubiecti ophthalmiæ, ii habent oculos nigros, quemadmodum eſt videre, vel habent ſubnigros: impediuntur autem iſti ab ophthalmia ob multitudinem humoris aquei, ſicuti qui ſunt cæſiis oculis facilè patiuntur ægritudines ſiccas: namq; glaucedo, vt inquit Ariſto. indicat ſiccitatem ſubſtantiæ aqueæ: affert deinde & aliud ſignum, & eſt ſecundum, & inquit, qui habent oculos glaucos interdiu in maxima, & clara luce non bene vident: nocentur autem à plurimo ſplendore, & vbi non eſt multa, vel tanta lux, melius iſti vident, & prope noctem. quare hæc ratio eſt, quoniam quum obiiciuntur lumini cum illis oculis eſt humor paruus, tenuis, illa modica quantitas humoris agitatur ab illo radio, ex quo impeditur viſus, & ſic occupatur oculus à ſuo munere, ac diſsipatur. quod autem iſta agitatio iſtius humoris aquei in oculo glauco deperdatur à lumine magno, & à radiis, probatur ab Ariſt. duobus modis: nam ſi quis ſit, qui abiret in aerem, & vellet vide-

re

re quid fixè,& visu immobili, non poterit vnquam:nam visio fit quietè. Ideo humor iste agitatur à radiis luminis, vt non possit rectè videre, quoniam paucus, & agitatus est. prætereà affert signũ illud, & est si quispiam intueatur in data luce, deinceps eat in aerem obscurum, tunc qui habet glaucedinem, non poterit quidpiam videre, quoniã iam agitata fuit illa glaucedo parua. prætereà etiamsi quis sit in æstate, & laboret dolore capitis, agitque, tunc temporis ille non videt, aut parum: quia maximè agitur ille paucus humor. hoc enim signum totum traditum ab Aristo. tendit ad siccitatem, & ad paucitatem humoris aquei. quare ista duo signa secundum Arist. manifesta sunt, quomodo oculi glauci impediantur, ne videãt, & secundum ipsum, quæ sit causa glaucedinis oculorum, quæ refertur ad causam, ad humorem aqueum, paucum in ipso oculo. causa autem oculorum nigrorum patet ex suo opposito, sic signa oculi nigri manifesta sunt ex signis oppositis, oculi glauci. Nam oculi nigri redundant ex humore aqueo multo, & non possũt ita commodè recipere lumen ad cristallinum ob magnam copiam humoris aquei. & ideo indigent lumine multo, si videre debent, vel quia ille humor aqueus est tenebrosus, &

subob

ſubobſcurus:ideo nõ poteſt illuminari,niſi à multo lumine,& ii,qui habent oculos nigros, melius vident in meridie, quàm in nocte. contrà glauci melius vident in nocte,quàm in luce. quare autem oculi nigri non ſic rectè videant in nocte, vt interdiu, ratio eſt,quoniam in his magna humoris aquei redundat abundantia, qui in tempore noctis eſt,veluti congelatum in oculo.& ideo non bene vident, vt in die, excitatur aliquo pacto à colore ille humor aqueus, ideo tunc melius vident oculi nigri, quàm in nocte,hac de cauſa alia ratio eſt cur oculus tenebroſus, non tantùm perſpicuè videat in nocte, vt in meridie. & ſub ſole,quoniam eget multo lumine,ſi debet videre,cũ ſit niger ille oculus : hæ enim ſunt duæ rationes,quare eſt,quod oculus niger melius videat in die,in nocte verò malè. totũ eius oppoſitum eſt de oculo cæſio, vel glauco, cùm iſte parum,ac diminutè videat in die, bene verò in ſero,hæc fuit ſententia Ariſt. tamen Galen.in illo primo de vſu partium in aliquibus conuenit cum Ariſto. quo in loco refert eandem cauſam, quam ponit Ariſto.differt autem in ſignis ſubſequentibus ad glaucedinem,& ab oculis nigris.conuenit enim Galen.cum Philoſopho.quæ ſit cauſa huius? multitudo humoris in oculo

nigro

nigro,vt vult Ariſto.vnde autem melius vi deant in die,quàm in nocte, & Galen. non affirmat cauſam huius eſſe à turbulentia, & multitudine huius humoris aquei,ſed po tius criſtallinum dicit cauſam eſſe: & ratio eſt,quum humor criſtallinus ſit paruus , & radius luminis non impediatur à multitu- dine humoris aquei , quia erit paucus , ſed tunc lumen citò penetrat ad ipſum humo- rem criſtallinum ,tunc temporis inquit Ga len.quod iſte oculus non poteſt interdiu vi- dere:& ratio eſt,quia dum lumen extrà pro ueniens deuenit ad criſtallinum, tunc tem- poris illud lumen attrahit ſubſtantiam', & humiditatem aptam recipere ipſum lu- men:& dum tale lumen eſt potens reſoluit ſubſtantiam ipſam criſtallini , occupando ipſum criſtallinum ,& iſta deſtruit illam.ſi candella accenſa poneretur in aere lucidiſ- ſimo ſub meridie,non tantùm redditur lu- men paruum illius candelæ reſpectu lumi nis ſolis : ſed etiam extinguitur à ſole : ſic etiam in oculo glauco euenit , inquit Ga- lenus in quo quum ſit humor criſtallinus paruus,ac humor aqueus paruus , tunc qui- dem lumen proueniens facilè penetrat ad ipſum criſtallinum : vnde deſtruitur à tali lumine ſubſtantia eius humoris.& ſic màlè videt in meridie.habent ideo talia acciden

tia secundum Galenum à tali humore glau ci:& dat signum oculi glauci Galenus, & inquit cum isti glauci ambulant tempore niuium, illi obeunt ab albedine huius, & ratio est, quoniam illa multa albedo nimis occupat illum vsum, ac destruit virtutem luminosam cristallini:& ibi Gale. describit historiam de Xenophonte philosopho, & duce Atheniensium, & muliere Cyri, qui transmigrantes montes pyræneos tempore niuiũ eua serunt cæci. similiter affert exemplum de Dionisio Syracusano tyranno, qui imaginatus fuit vnum tormentum. Nam ponebat homines in quodam carcere, in turri remota à luce per longum tempus, posteà præparauit vnum lectulum cum linteolis candidissimis, & cum incarcerati diu fuissent priuati à luce, opponebat illos statim, vt intuerentur illos linteos candidissimos, qui auidi videndi lucem aliquam deperdebant lucem omnino, & euadebant cæci: cum primum enim conspiciebant illud lumen, obtenebrabantur, cum immediatè humiditas illa humoris cristallini ab illo lumine absumebatur eius substantia, & sic remanebant cæci.

Oportet vos meminisse quemadmodũ superius versabamur circa indicia indicantia substantiam oculorum vbi exposuimus

Gale.

Gale.& ostendimus, à quibus sumerentur generibus talia signa. Genera autem signorum secundum Galenum erant sex numero, tam salubritatis, quàm insalubritatis, & neutralitatis: in his autem sex fontibus non tractabamus suprà, nisi duos fontes, tam salubritatis, quàm insalubritatis. primum genus fuerat à dispositionibus membri sumptum, secundum ab operationibus regitiuis, tertium à motiuis. Inter hæc autem sex genera Gale. tantummodo complexus est duo, hoc in loco vnum à dispositione capitis: ac primum demonstrauit, quænam sit capitis temperatura: oportet enim annotare iam dicta superius. Nam dicebat Galen. signa sunt, quæ indicãt aut caliditatem, aut frigiditatem &c. dominantem, excedentemúe, & quænam sit oculorum temperatura, & cerebri. & primo Galen. arguebat à tactu, quoniam talis sit cerebri temperatura. locus autem iste sumitur à dispositionibus, quæ oriuntur à prima origine à generatione actiuarum: hæc omnia iam dicta à nobis sunt. prætereà supersunt indicia ab accidentibus, & dicebat oculum, qui patitur à frigidis, esse frigidæ temperaturæ: contrà, qui læditur à calidis esse calidæ temperaturæ. præterea venit ad quædam signa alia indicantia non tantùm qualitates oculorum.

lorum, ſed etiam ſubſtantiam eorum, dum agit de paruitate, ac magnitudine oculorũ, poſteà incipit pertractare ad cognoſcendum compoſitionem oculorum à coloribus, quoniam ab his coloribus ſumitur indicatio de ipſis oculis. dum verò ageret de ipſis coloribus poſuit duos extremos colores glaucum, & nigrum; quibus etiam habere poſſemus ſua media. extremi ideo colores, vt viſum eſt, erãt glaucus, & niger alius. dicebamus autem colorem glaucum eſſe, qualis eſt color limpidiſsimus, effectus in cornu laternæ, quando eſt nouum cornu, quod quidem cornu habet albedinem, ſed admiſtam cum quadam occulta nigredine: iſte eſt verus color glaucus. Vnde per ea patet etiam, quis ſit color niger, vt apertè diximus ſuperius. cũ ergo hæc ſint duo extrema poſita colorum in oculis à Galeno, vnũ glaucus, & aliud niger, inter hæc duo extrema cadunt multa media de coloribus, quæ etiam intellecta erũt habitis rectè ſuis extremis. cum Galen. vellet modo oſtendere ſubſtantiam, & compoſitionem oculorum, non temperaturam, eam nunc docet ex indicatione ſumpta à coloribus, qui quidem non indicant de oculorum temperie, ſed de eorum ſubſtantia, ac compoſitione. Itaque volens Galen. tradere nobis ipſorum oculo

rum

rum compositionem inquit, vbi in oculo est color glaucus, tunc ibi est splendor multus, in humore cristallino: nam glaucedo indicat plurimos spiritus in cristallino adesse, & hæc est causa formalis, videlicet splē dor ille in humore cristallino genitus: posita causa formali posteà posuit materiales, & dixit aut est per magnitudinem cristalloides, aut propter eius splendorem, ac luciditatem, vel ob eius situm eminentem, aut propter paucitatē humoris tenuis, & aquei, ac albuginei, qui repositus est inter cristallinum, & corneam tunicam. hæ sunt quatuor causæ materiales causantes glaucedinem oculorum: sola verò est vna causa formalis, splendor in cristallino. causæ ergo materiales sunt quatuor. quæ causæ si omnes aderunt in oculo, tunc ille erit verissimus color glaucus: si autem non omnes aderunt, tūc secundùm magis, & minus erit iste color glaucus. Nam si aderunt tres harum causarum, tunc erit magis glaucus, quàm si duæ adsint tantum causæ, & si aderunt duæ, erit magis glaucus, quàm si tantummodo adsit vna causa. oppositæ autem causæ his iam dictis faciunt etiam colorem oppositum glauco i. faciunt nigrum. Iam declarauimus hæc duo extrema, quibus rectè habitis possibile est, facilè habere etiā

ſua media, atque per iſta etiam ſoluta ſunt quatuor problemata: quorum primum eſt, cur oculi glauci deterius videant in die, quàm in nocte: ſecundum cur oculi, qui diu fuerint in tenebris, vt in carceribus, cũ poſtea ad lucem ſe conferant, ſtatim non vidẽt & poſt ferè amittunt viſum: tertium vidimus: nam vidimus vnde eſt, quod qui plurimum laborant, non bene videant, vt ſi non laborarent, tum volunt quid inſpicere: quartum etiam vidimus, & oſtendimus, quare quis ductus è tenebris in lucem ſæpe euadat cæcus, & amittat viſionem. quemadmodum habetur in ſecundo de vſu partium de Xenophonte, & de Dionyſio Siracuſano tyranno de linteamine illo albiſsimo oppoſito oculis captiuorum, qui conſultò conſtruxit carcerem obſcuriſsimum, & tenebroſum, in quo clauſos diu tenebat captiuos, poſtea parauit linteos candidiſsimos, vt dum ducebantur extrà captiui, volebat eos intueri fixè in linteolum illum, vt illud ſupplicium adeò atrox haberent, vt fierent cæci. poſtea dedimus cauſam ipſius glaucedinis ſecundum Ariſtò. ac etiam ſecundum Galen. Vidimus etiam differentiam inter ipſum Ariſto. & Gal. in hoc conueniebant, quod proueniebat ab humore deficiente: ſed Ariſto. referebat hoc ad humorẽ aqueũ albugi

albugineum in quinto de generatione animalium cap.primo ex quo volebat lumen fieri:sed Gal.melius dixit,qui voluit hanc causam prouenire ab humore cristallino, lumen fieri,& præcipuè, & si etiam humor aqueus albugineus quoque ad visum concurrat.Ideo Gal.hoc præcipuè attribuit humori cristallino,tanquam præcipuo visus instrumento,si Arist.in hoc non fuerit perfectus,non est mirum.Non enim est damnandus, sed excusatione dignus, cùm non rectè caluerit ipsam anatomen,vt Galen. optimè etiam habuit principia materialia: deueniamus modo ad alia. Dicebamus supra causas Glaucedinis materiales esse quatuor aut magnitudinẽ cristallini,aut splendorem eius,aut præeminentiam illius, aut propter paucitatem humoris albuginei,ac tenuis:videamus modo nunquid Gal.tetigit de hac causa glaucedinis hic,& certum est,non.Vnde admiror ipsum, qui fuit tantus vir,& peritissimus in anatome subticuisse hanc,cum sit summè necessaria:est enim necessaria sic, quia vel est ipsa sola causa glaucedinis,aut sine ipsa,nec aliæ remanere possunt. Ideo est necessaria ipsi glaucedini,vt sine ea stare non possit ipsa glaucedo,& ipsa nigredo, & est causa maximè præcipua huius coloris.Sed quænam

est ista causa prætermissa à Gale. est color tunicæ vueæ, quæ in hoc habet principatũ: quia præcipuè hæc habet variare, & diuersificare colores: quam tunicam Gal. in decimo de vsu partium nominauit, & inquit, vuea dum naturalis est subnigra, tamen habet colores intensiores, & remissiores, & sic ipsa potest diuersificare colores: prout enim erat colorata talis, etiam erit color apparẽs in oculo, & sic subiecta tunica vuea in oculo facit vel glaucedinem, vel nigredinem oculorum: si enim nigra fuerit, erit etiam calor subniger, & iucundissimus, si enim adsit puritas humoris cristallini, & sit quantum vult magnitudo, & eminentia eius cristallini, & humor aqueus sit paruus oppositus vueæ, & vuea sit nigra, tũc oculus fit, vel eius color non erit glaucus, vt falsò dicit, nec etiã erit niger valde, sed subniger alacris, & iucundus valde, quia tunc necessariò oculus recipit splendorem multũ, & splendor receptus in multo humido facit iucunditatem quandam. Ideò oculus ille erit alacris, & coloratus secundum colorem vueæ: non enim potest esse albus, vel glaucus, nõ merè niger: quia iste humor purus, lucidus, recipitur in vase nigro: si modo tunica vuea tenderet ad albedinẽ, tunc esset color oculi glaucus. oculus autem, qui est subniger, & iucun

& iucundus à Græcis appellatur χαροπὸς, & recedit à gradu glaucedinis, & est gratiosus valde propter colorem humoris cristallini. habet ideò maiorem nigredinem talis oculus, quàm habet Glaucus, & vergit ad colorem cæruleum. Dicat autem quis, declares mihi hoc, non bene intelligo. Videatis etiam in rebus extrinsecis. Nam si sit humor limpidissimus, qui recipiatur in vase nigro, sumatur etiam vas, quod sit nigrum, vt peluis nigra, in qua reponatur aqua limpidissima, & ponatur sub sole, tunc in illa aqua apparebit splendor, non autem albedo erit tantummodo lucida, ac splendida, modo tamen alba. at quare non apparet alba, si reposita fuit illa lucidissima aqua ibi, quia vas in quo posita fuit, erat nigrum. pariter accipiatis suum oppositum, vas album, vel peluim, in qua reponatis humorem crassum, vt albumen oui, istud vas sit albissimum, nunquam tamen ex hoc albumine, & tali vase albo fiet color, qui appareat niger, bene eueniet oculum non posse recipere lumen ab eo, non tamen erit tunc niger nec erit transparentia aliqua. quare in corporibus pellucidis siue transparentibus, non erit aliquis color niger, nisi ratione vasis, in quo est humor. & ideo est ridiculum velle dicere secundum Aristot. vt

dicit ipſe in quinto de generatione animalium cap. primo, nobis parcat, qui vult multitudinem humoris aquei albuginei facere nigredinem in oculo: & ratio eſt dicit Philoſophus, vt vidimus ſupra: quoniam multitudo humoris talis aquei nõ permittit radios ſplendoris pertranſire ad humorem criſtallinum vſque ad profundũ, vt fiat lumen in oculo: deinde per reuerberationem in cornea, vt fit de ſpeculo, & comparat, vt de aqua in mari cùm multa ſit, in profundo eius videtur obſcura. at quàm abſurdum ſit velle comparare aquam maris ad multitudinem humoris aquei in oculis, non eſt dicendum, quod humor conſiſtit inter tunicam corneam, & humorem criſtallinum, & ſit in cauſa ne radius luminis proueniens extra penetret vſque ad profundum criſtallini, hoc non poteſt eſſe in cauſa, ſed vuea tunica illa eſt; quæ eſt cauſa huius effectus ratione ſui coloris talis, vel talis. prætereà eſt aliud ſignum, quod hæc ſit potiſsima cauſa in oculo, ipſa vuea, non humor albugineus. Nam ſi videatis oculos puerorum paruorum, & infantẽ, qui in primis habeat impuritatem criſtallini propter multos humores, ac vapores humidos aſcendentes ad caput. deinde ipſi infantes habent oculos glaucos valde, quia habent multitudinem

humo

humoris albuginei,qui eſt multus,ac craſſus,& iſte humor eſt excrementum humoris criſtallini,quia ſunt valde humidi pueri.Ideo talis humor aqueus eſt in ipſis craſſus impurus, & multus; vt enim impurus eſt iſte humor,infantes deberenthabere oculos nigros,ſed quia multus,& aqueus eſt, ideo ſunt glauci,& maximè non eſt in infantibus glaucedo ratione,quia radius non poſsit penetrare ad profundum criſtallini, ſed quia vuea non adhuc in ipſis eſt reddita coloris nigri ob multam humiditatem in eis redundantem.& ideo ſi ſecundum Ariſtote. valeret ratione humoris albuginei multi,qui impediret radium luminis,ne penetraret ad criſtallinum , omnes infantes haberent oculos nigros, & valde;cum & multum habeant de tali humore,tamen videmus oppoſitum,quia ſunt in pueris oculi glauci,tamen talis color glaucus permutatur in vuea puerorum ,ratione ætatis, dum creſcunt, quia fit nigra poſtea, & ſic nigri oculi fiunt,& quamuis humor albugineus adeo purificetur,ac etiam criſtallinus ſemper deputetur,tamen oculus vergit ad nigredinem,quoniam vuea ſic commutatur in nigrum,& ſunt nonnulli fratres,& ſorores,& pelliones vulgò che fanno le pellizze, qui habitant in prato vallis Pataui

habentes oculos ita glaucos,vt quis nõ ambigat illos eſſe glaucissimos, tamen peſsimè,& vix vident iſti tales homines:non habent criſtallinum humorem purum, & nõ eſt illa glaucedo adeò magna ob puritatem criſtallini,nec propter paucitatem humoris albuginei,quia ſunt humidiſsimi,& caluefcunt in xxv.anno, ſed eſt hoc, quia vuea eſt alba.& ideo hoc nõ verificatur ſecundum mẽtem Gal.& Ariſt.& in ſe eſt verum.Nam ſecundum Gale.oculus eſt glaucus,quia habet paucitatem criſtallini eminentiam eius, & multitudinem etiam, aut paucitatem albuginei:ſed iſti habent oculos glaucos,& glauciſsimos,& non bene vident. Itaque cauſæ glaucedinis poſitæ à Galen.non ſunt ſemper veræ, ſed vera,& præcipua cauſa coloris glauci eſt ipſa vuea alba,vt ipſi habent.prætereà aliqui populi,vt Germani,& ſimiles ferè omnes,habẽt oculos glaucos,tamen non omnes habent humorem criſtallinum purum, & albugineum paucum, ſed glaucedo perſæpe fit, quia vuea eſt alba non alia de cauſa,& quãdo quis fuerit albior in toto corpore,ille habet vueam albam, & oculos albicantes,& parum colorata eſt ſua vuea , è conuerſo ſunt, ſi ſunt nigri in toto, proportionatur pariter color vueæ in illis. nam perſæpe

ratio

ratione redditur nigra:& quod dico de albis, & de nigris dico idem euenire, & sic albicantes habent oculos glaucos valde, sicuti nigri habent oculos nigriores, & nigricantes: sicuti Aegyptii habent ipsi oculos nigros, quia & in toto sunt nigri, & sic videtis homines habitantes in talibus regionibus calidis, in quibus iidem homines sunt nigri: habent enim colorem totius nigricantem, & sic etiam vueam in oculis. deinde concurrit alia causa, quod non bene videant isti albicantes in oculis præter vueam albam, quod sit aer crassus, & humidus, & humor cristallinus sit impurus, licet habeant vueam nigram, tales inquam non possunt videre rectè, nisi quod toruè semper intuentur: in his enim cristallinus est turbidus, ac etiam humor aqueus, vel albugineus, & pariter horum oculi sunt subobscuri, nunquam iucundi, & alacres, atque habent vueam nigram:& cristallinus sit purus, ac albugineus paucus, tunc hi optimè vident, & cum iucunditate, & lætitia, vt videantur semper oculis ridere, & sic iam habetis veram causam, quam prætermisit Galen. de nigredine, & albedine oculorum:& pertractasset de causis glaucedinis, & nigredinis oculorum, licet non perfectè. Deueniamus modo ad

textum. TENVIS ITAQVE HVMOR QVO MAGIS AD NATVRAM AQVAE ACCEDIT, ET SVPERABVNDAT &c. Galen. superius voluit per colorem ostendere substantiam & compositionem oculorum, nunc modo à siccitate, & humiditate apparentibus in oculis vult idem probare, & vt rectè intelligatis hanc partem, debetis præscire ex decimo de vsu partium, quod si oculus debet esse naturalis, & sanus, oportet, vt humor cristallinus sit in colore veluti congelatus, & concretus: at in substantia sit purus, sit etiam congelatus, & in quadam duritie, ac stabilitate non fluidus humor aqueus; hoc suum proprium est, & naturale, vt sit fluidus non concretus: his sic dictis nemini dubium est, cum cristallinus fuerit secundum naturam & temperatus in siccitate & humiditate, etiam humor albugineus sit fluidus, vt oportet: & hoc est, quod Galen. dicit hic, si quanto humor albugineus fuerit aquosior, & valde fluidus, & amplior, tunc apparebit humiditas maxima in oculis: si verò aqueus fuerit tenuis, & siccus, & paucus in oculis, etiam oculus apparebit siccus magis, quàm opus erit, & loquor nunc de oculo sano. Dum ergo siccus apparuerit oculus, vel est à puritate,

ritate, & ſiccitate albuginei humoris. ſi verò erit humidus valde, tũc poterit eſſe indicium de maxima tenuitate albuginei, & aquei, & eius flore: hęc eſt prima cauſa. CRISTALLOYDES AVTEM SI QVIDEM DVRIOR EXISTIT, SICCIOREM EFFICIT OCVLVM &c. Alia cauſa eſt, ſi oculus debet eſſe naturalis, criſtalloydes debet eſſe concretus, & congelatus, qui humor, ſi paulò plus fuerit concretus, tunc oculus erit, & apparebit ſiccus, & hoc erit vel à nimia duritie, & coagulatione criſtallini, & ſic etiamſi per oppoſitum talis humor criſtallinus fuerit minimè concretus, ſed fluidus, tũc oculus erit etiam intemperatus, & humidus. SIC ETIAM SI PLVS MODICO TENVEM HVMOREM EXCESSERIT &c. Nunc modo humorem criſtallinum comparat ad humorem tenuem, non explicat Gale. quorſum locutus ſit, nunquid dicat de exceſſu in quiditatibus? loquitur enim de exceſſu, ſed non explanat de quo: quid ergo dicendum? Multi expoſitores, & omnes falsò dicunt hoc in loco criſtalloydem debere eſſe duriorem, quàm humorẽ albugineum; quod dicunt, minimè verũ eſt, imò falſum, quoniam Gale. dum dicit albugineum debere eſſe tenuem, & criſtalloydem durum, vult

dicere si cristallinus in duritie excesserit plus modico, quàm conueniat temperato, si cristallinus fuerit magis durus temperato suo, omnino oculus apparebit siccus omnibus intuentibus: si verò defecerit siccitas contrarium apparebit: si iste humor cristallinus redditus sit tenuior, & plus, quàm sit tenuis humor aqueus, erit tunc talis humor cristallinus humidior, & recedet à temperamento suo. pari modo tunc oculus erit apparebit humiditas. quare manifestum est Galen. hoc in loco comparare hos duos humores inuicem, & sic iam erit expletum totum caput de oculis, non tamen cum Gale. vbique, quoniam ipse fuit diminutus in temperaturis. Nam dicatur mihi, vbi Gale. egit de temperatura oculorum à propriis actionibus. Nam quando oculus mouetur, aut perspicacissimè intuetur, hæ sunt oculi operationes propriæ, tamen Gale. eas tacuit, quæ omnia dicere debebat. præthereà etiam dimisit de oculorum motu: nam alij citò mouentur, & velociter, alij autem tardè. nónne ista proueniunt à substantia, & temperatura oculi? tamen ea prætermisit: ergo diminutus. à motu enim oculorum maximè cognoscitur temperatura, ac eorum compositio. deinde dimisit de excrementis oculorum: nónne

nónne oculi habent etiam ſua excrementa; humidi namque oculi habent ſua excrementa, ſic ſicci oculi habent ſua, per quæ licet deuenire in cognitionem temperaturæ, & compoſitionis oculorum: quoniam Gale. omnia iſta ſubticuit, nos omnia hæc poſuimus in noſtra tabula de oculis, quæ declarabo breuiter. Diximus nos omnia ſigna indicantia, vel ſalubritatem, vel inſalubritatem, oriri ab actionibus, vel paſsionibus. actiones autem exiſtentes in humano corpore ſunt in triplici differentia: aliæ enim ſunt animales, aliæ vitales, ac aliæ naturales: de naturalibus autem alia nutritiua, alia augmentatiua, alia generatiua, quæ generatiua facta eſt à principio generationis, habet variare in generatione membrorum in tali, vel tali figura, & etiam in colore. Actio verò naturalis, ſiue naturalis potentia nutritiua habet ſub ſe quatuor alias potentias naturales attractiuam, concoctiuam, diſtributiuam, & expulſiuã. De Animalibus virtutibus iam dictum eſt, prout ſufficiebat. Diximus etiam de affectibus, de paſsionibus. Affectus enim alij ſunt interiores, alij exteriores: illi vt ſomnus, & vigilia in oculis, iracundia in corde, cupiditas in hepate: hi verò, vt fames, & ſitis in ventriculo, & paſsio ab aere. ab his ergo

actio

actionibus,& passionibus sumuntur omnia iudicia de temperatura, ac de substantia oculorum, sicque fecimus nos:& audiuistis primum ab actione naturali generatiua, quæ est augmentatiua nutritiua,& generatiua. nam signa oculi talis à generatiua, sic sumitur quantitas, situs, visio, motus,& figura,& excrementa: deinde sumpsimus indicationes ab actionibus non propriis, sed communibus, vt est motus: prætereà idem fecimus à naturalibus actionibus alentibus, vt sunt excrementa. ideo sextus fons, vel locus est ab excrementis: septimus verò ab accidentibus. Non sunt enim plura loca,& hæc est etiam vera methodus videndi, & cognoscendi omnia signa indicantia de temperatura, & substantia oculorum,& capitis. vt inueniendi quãtitatem, figuram, situm, & reliqua, quæ sunt septem si Gale. sic posuisset suos fontes, non fuisset diminutus, sed ipse quidem fuisset clarior, & breuior.

CAPVT XXVII.

DE TEMPERATVRA CORDIS DEINCEPS DICENDVM EST &c. Duo tantùm verba dicebamus de tabula oculorum: audiuistis quemadmodum ista loca, vel isti fontes signorum sumuntur

tur ab actionibus, & paſsionibus, vel effectibus, & quomodo in noſtro corpore eſt triplex genus virtutum, quarum vnum eſt de naturalibus: naturalium autem vna erat generatiua, hęc omnia ſupra viſa ſunt. ideo non immorabor in his, extat tabula, quam vos ipſi videre debetis. de corde autē &c. Audiuiſtis iam à principio, quomodo ſunt triplicia pricipia, ex quibus vnum eſt, quo animal conſtituitur, & conſtat: ſine autem his tribus viuere, nec durare poteſt, nec vocari animal perfectū. ſunt itaq; tria membra principalia cerebrum, cor, & hepar: cerebrum eſt illud, à quo ſumūtur operationes cogitatiuæ, ac motiuæ virtutes, & ſenſus exteriores. à corde verò ſumuntur virtutes vitales, ſine qua vita animal viuere non valet, cum ſit vitæ principium. ab hepate autem ſumuntur virtutes naturales, & iſtud eſt principium nutritionis, abq; iſto nullo modo corpus durare poteſt: hæc ſunt tria membra præcipua in corpore humano, quæ habent ſua vaſa conuenientia ad vſum ipſorum membrorum trium. Debet inquam, illud vas, vel venter ille, qui continet quodcunque horum trium membrorum principalium eſſe debitum conueniens in figura, & quantitate: propterea quòd habet continere vnum horum membrorum

brorum trium, cum debeat esse proportionatum illi membro, & fuerit conueniens ad multa indicia habenda, vt cognoscatur ipsum contentum in tali vase cum sua substantia, suáque temperatura; quemadmodum supra ostensum est: de cerebro idem dicendum est à nobis cum Gale. de corde pariter, & de hepate: cor enim principium est vitæ, ac caloris, quod membrũ habet suum ventrem sibi conuenientem, & est thorax, qui debet habere, & habet figuram proportionatam, quantitatem, & sua agnata conuenientia pro cordis temperie, quo thorace ipsum cor intra continetur. & notate istos ventres in aliquo discrepare quoad operationes, & munera sua, quia vnus habet, quod non habet alter: primus enim venter habet hoc, vt tueatur ipsum cerebrum: at secundus venter, thorax, habet vnum plus, præter hoc, quod continet cor, habet aliud sibi peculiare, & est vsus dilatationis, & constrictionis, qui vsus est causa euentationis caloris innati. De hoc igitur secundo ventre, vel thorace secundum principale membrum continente in primis sumus tractaturi, antequam ad particularia deueniamus, doceamúsque cordis temperaturam, qualísnam sit per signa sumpta à thorace, à continentibus, &

ab extrinſecis. Notate Gale. prius afferre nobis vnum documentum generale, dum dicit: DE CORDIS AVTEM TEMPERATVRIS &c. Cum dicat Gale. ſe velle tradere indicia, per quæ poſſumus habere cordis temperaturam, affert prius documentum vniuerſale, ſi prius hæc in memoriam reuocauerimus. Tale autem eſt, vt eſt vniuerſale pro corde: eſt enim quod dicimus cor calidum, aut frigidum, humidum, aut ſiccũ, non debemus dicere tale eſſe cor, vel tale in comparatione ad alia membra: ſed dicatur eſſe ſic, vel ſic reſpectu cordis hominis temperati, non alicuius alterius membri, nec reſpectu cordis tẽperati aliorum animalium; ſed hominis tantum. ſi enim comparemus cor, aut calidum, aut frigidum nimis ad alia membra, non ad ſe ipſum, dum temperatum eſt, nunquam poteſt eſſe cor ita frigidum redditum, quin ſemper ſit calidius aliis membris calidis, quantumcunque ſint calida, vt puta de cerebro calidiſsimo: ſic dicendum de cerebro, quod etſi dicatur quandoque calidiſsimum aliorum, quantum poſsibile eſt, tamen erit frigidiſsimum aliorum membrorum, vt cordis, ac hepatis. ſic de hepatis temperatura licet quandoq; hepar dicatur calidum, reſpectu hepatis ſani, & cordis,

tamen nunquam eſt adeò calidum, dummodo ſit ſanum, quin hepar frigidius, & humidius corde, & cor ſemper, dum bene diſpoſitum eſt, calidum & ſiccum eſt, & magis, quàm hepar: cor enim temperatum eſt calidum & ſiccum: & ſi talis caliditas, & ſiccitas in corde habeat latitudinẽ, & multos gradus, nec cor vnquam erit adeò humidum, & hepar adeò ſiccum, quin cor ſit magis ſiccum hepate ſicco: ſic de aliis dicendum eſt. Itaque hoc eſt vniuerſale documẽtum tam cordis, quàm cerebri, quàm etiam hepatis: quo præcepto rradito ad rẽ deueniamus. CALIDIORIS IGITVR CORDIS VT ADMODVM, QVI EI PROPRIVS EST &c. Pro notitia horũ verborum debetis ſcire vnum non prætermittendum, quod ſæpe nominat Galen. & eſt, omnes ſignorum fontes ſumi ab actionibus, & paſsionibus, nullum erit ſignum, quin ſumatur ab vno horum, aut ab actionibus, aut à paſsionibus: quia omnis temperatura membrorum qualiſcunque fuerit, cognoſcitur ab his duobus tantùm. ſed actiones exiſtentes in ſingulis membris, in ſuis principiis tribus habẽt duplices differentias: quędã ſunt in ipſo mẽbro, vel ipſo principio, & propter ipſum ſunt, vt in cerebro eſt imaginatio, ratiocinatio, & memoria,

moria, ſunt enim ab ipſo, & in ipſo cerebro, quia ſunt virtutes interiores animales crebri: ſic in corde, quædam ſunt interiores, vt eſt generatio caloris innati, & ſpirituum: hæc inquam, virtus eſt ab ipſo, & in ipſo corde: ideo hæc eſt ſua propria operatio. prætereà motus cordis per conſtrictionem, & dilatationem eſt operatio propria cordis: quia à corde, & in ipſo corde quoque exiſtit. operatio verò vitalis, quæ non eſt in ipſo corde, ſed tantummodo ab ipſo, quęnám eſt? eſt motus arteriarum ipſarum dilatatio, & cõſtrictio, talis quidem operatio eſt à corde, non tamen in corde, ſed in arteriis manet, quæ ſunt agnata ipſius cordis, ſicut & in neruis eſt virtus motiua, in aliis partibus ſenſus exteriores, quæ virtutes omnes ſunt quidem à cerebro, nõ tamen in ipſo, ſed in ſuis agnatis. motiua enim exiſtit in neruis, & in corde, ac in muſculis. ſenſuum exteriorum alius in oculis, alius in naribus, alius in auribus. at his viſis reſtat, vt dicamus vnum aliud, quod eſt actiones omnes vel proprias, vel non proprias quaſcunque eſſe. Gal. autem nihil dicit in præſentia de propriis actionibus, quibuſdã principalium mẽbrorum videlicet in corde: nõ enim dicit aliquid de generatione caloris innati, nec ſpirituum:

ideo & nos de his hoc in loco tacebimus,ac silentio prætermittemus : tantùm loquitur de dilatione,& constrictione,quę fit in corde, & de ipsa constrictione in arteriis facta, & inquit quando illa dilatatio fit in corde, dicitur respiratio ; quando verò fit in arteriis, appellatur arteriæ tantùm motus, vel pulsus : quorum vnusquisque motus vel in corde fit, vel in suis agnatis, arteriis, semper habet,& constat ex duobus motibus ex dilatione, & constrictione.huius autem ratio,quoniam necessariò opus est his, quoniam animal habet calorem in corde, in actu,non autem in potentia: qui habet naturam ignis,& valde feruens est, vnde eget euentatione,& refrigeratione: nā alioquin animal suffocaretur ab ipso calore. opus enim fuit,vt continuè euentaretur, & alteraretur ab ipso aere refrigerante, qui si sic debet refrigerari,opus est ipsa dilatatione, per quam recipitur aer intus,& etiam constrictione,qua retineretur. prętereà semper si debet ali,ac nutriri, oportet, vt adsit aliquod excrementum , quod non quærat, vt assimiletur substantiæ cordis, quod excrementum cùm fiat,&adsit ideo necessarium est ipsum debere expelli,& sic pro attractiua , & dilatatione aer ingreditur , & alitur ipsum cor: pro expulsione verò, & constri-
ctione

ctione extramittit suum excremẽtum, cum hæc sic se habeant, quod sit duplex in respi ratione motus, ac etiam in pulsu, quantum ad ipsum cor, dum ipsum dilatatur, & con stringitur, consequenter siue per viam se- quellæ etiam pulmo & pectus, & thorax per consequentiam mouẽtur necessariò ad ad cordis motum, & voluntariè per ipsos musculos, qui sunt facti à natura propter motum thoracis. cùm ergo dilatatur cor, ipsi musculi mouentur per virtutem mo- tus volũtarij, quæ prouenit à cerebro, vnde ad magnitudinẽ motus cordis, qui necessa riò fit ad euentationem caloris, fit etiam motus consequenter thoracis ab ipsis mu- sculis per dilatationem, & cõstrictionem. Nam si solummodo mouetur cor, & non thorax, nõ posset recipi aer, quia dilatatio illa cordi non esset apta ad recipiendum aerem. Ideo debet etiã fieri motus thora- cis ad modum cordis, qui, vt diximus, est motus voluntarius, tamen proportionatur auxilio motus cordis, vt recta fiat euenta- tio. Quare sit hoc vobis perpetuò cogni- tum, quod & si thorax moueatur ratione cerebri, quia musculi habent motiuã à ce- rebro, tamen necessariò sequitur talis mo- tus ad motũ cordis proportionatus, vide- licet sequitur ad operationem ipsius cordis,

prout magis,& minus ipſum cor dilatatur, & operatur & euentatur. iſtis ſic viſis eſt ex hoc facile videre quomodo ex motu thoracis arguatur temperatura cordis. Nam ſi verum eſt id,quod cor dilatatur neceſſariò,vt euẽtetur, & refrigeretur eius actualis calor: quanto enim ille calor erit calidior,& magis igneus, tanto magis indigebit euentatione ſui: ſi ſic habet,vt verum eſt, dilatatio cordis,vt neceſſariò arguat cosdis caliditatem,vbicunque fuerit magna dilatatio cordis,erit cordis etiam calor magnus: ſi calor magnus,ergo neceſsitas etiam magna caloris: ſi autem parua fuerit dilatatio, ergo & paruus,& mitis erit cordis calor. ſi calor ſic, ergo & parua erit neceſsitas. Vnde dicimus cor frigidum reſpectu cordis temperati nõ egere vlla dilatatione, cum in eo ſit calor minimus loquendo de calore cordis. Quare motus thoracis eſt optimum,& efficaciſſimum ſignum ad habendam temperaturã cordis,qualiſnam ſit,cum talis motus eſt actio à corde proueniens. Incipit enim primum iſte motus, vel iſta operatio in ipſo corde,antequàm pulmo, & pectus moueatur.& ideo aliquo modo actio iſta motiua ſit ab ipſo corde,quia primum incipit à corde,quæ non eſt facta per ipſum cor, ſed per thoracem: ſit enim à corde,quia trahit ori-

ginem

ginem à corde,& hoc eſt ſignum inſeparabile pro temperatura cordis: ſic idem dicendum de motu arteriarum de pulſu:nam & hoc eſt ſignum inſeparabile cordis, pulſus magnus, & velox indicat augmentum in corde:quia calor eſt vehemens. Itaque ab his actionibus ſumuntur indicia temperaturæ cordis; ſic idem dicendum de motu arteriarum, de pulſu. Nam & hoc eſt ſignũ inſeparabile cordis pulſus magnus, & velox indicat augmentũ neceſsitatis in corde, quia color eſt vehemens, ideoque ab his actionibus ſumuntur indicia de temperatura cordis, & ſi ab ipſo corde non fiunt, ſed tantùm fiunt ab ipſis agnatis ab arteriis. Itaque non ſunt veræ propriæ actiones cordis, tamen dum pulſus eſt magnus, & velox dicit cordis caliditatem. & ideo Galenus rectè inquit ſigna caliditatis cordis eſſe propria accidentia inſeparabilia, quæ nunquam fallunt. Ideo debent appellari, & ſunt pathonogmonica, quoniam verè, ac planè dicunt diſpoſitionem, vel affectum ſui membri, in quo ſunt, adeò magnitudo reſpirationis, & frequentia, ac velocitas pulſus, indicant de cordis tẽperatura calida. Nam vbi hæc apparent, ibi eſt naturalis caliditas cordis, & exceſſus caloris in corde reſpectu cor-

dis temperati:& hoc,vt diximus, est signum inseparabile,& proprium huius temperaturæ cordis calidæ.pro hac re extat vna dubitatio,contra dicta Gale.dicentis,quod magnitudo respirationis,& pulsus frequens,ac velox est signum inseparabile , ac propriũ cordis:dicat quis probo hoc non esse verũ, quod non sit proprium , & inseparabile signum:& arguo sic,magnitudo, frequentia, ac velocitas pulsus per indispositionem, & vitium instrumenti,& non ratione necessitatis augeri,ergo non erit proprium , vt tu dicis.pro responsione sciatis, quod tres sunt causæ respirationis,ac etiam de pulsu , quæ sunt coniunctæ : prima est necessitas euentandi,secunda virtus,tertia instrumentum. prima ergo est necessitas , quæ & finis dicitur,quare finis est necessitas caloris. si enim magna fuerit necessitas,quomodo magnus erit pulsus,frequens,ac velox;sin autem necessitas erit parua,ergo pulsus paruus , tardus,& rarus. Secunda causa est virtus mouens:nam sæpe adest necessitas respirandi, sed non adest virtus, quemadmodum accidere solet in delirio;bene adest ipsa necessitas,ergo non semper erit vnum hoc signũ verum,& inseparabile,vt propter magnam necessitatem pulsus magnus &c. vt patet in pulsu pleuritidis, quemadmodum habetur

in

in tertio de prognosticis, vbi inquit Galen. quod in arteriis potest esse vna temperatura, & alia diuersa sit in corde, ideo nec valet dicere, si motus arteriarum est tardus, ideo necessariò cor sit frigidum; quia etsi erit virtus debilis, non erit summa necessitas, & caliditas cordis; & contrà, virtus erit bona quandóque, non tamen necessitas erit magna. ergo tua signa non sunt semper vera, & inseparabilia, & sæpe Galen. dicit cor esse valde calidum, tamen tunc pulsus sit tardus, & rarus, quoniam adsunt multi mali humores. ergo hæc tua signa non sunt propria, ac inseparabilia. Quid ergo dicendum ad hoc? Dico pro Gal. & pro his, qui dubitant: quod enim isti dicunt, verum est, sed Galen. hoc in loco quicquid dicit, loquitur de signis salubribus, cùm verò loquetur de insalubribus, dicemus tunc alia ab illis: at nunc sermo est de signis salubribus, videlicet quando cor est in sua mera salubritate, ac temperie. & ideo tunc signa sunt vera propria, & inseparabilia, quoniam adest necessitas euentationis, adest virtus potens, ac etiã existit. tertia causa est instrumentum debitum, & proportionatum, nec vllo pacto hæ tres causæ impediuntur: nulla enim adest operationum læsio, non necessitas, non virtutis, nec instrumenti signa posita à Galen.

de corde erunt illi propria, ac inseparabilia. in corpore igitur salubri actiones sunt bonæ, & sanæ, non læsæ: si operationes sunt huiusmodi, ergo & tale corpus sanum, & cor in sua temperie. nam si operationes sensibiliter læderentur, nõ posset sanitas adesse. vbi igitur adest magnitudo, & necessitas respirationis in corpore sano, ibi semper est cordis calida temperatura, & valde, & ibi per consequens pulsus est magnus frequens ac velox: si sic, ergo ibi summa caliditas. ergo signa posita à Galen. sunt vera, ac inseparabilia. extat & alia dubitatio, mota à Martino Ακακια, & rectè dubitat, & inquit, quare ò Galen. sic dicis, magnitudinem respirationis, & pulsus velocitatem, ac frequentiam, cur etiam dimisisti magnitudinem in pulsu, sicut posuisti eam in respiratione? non enim videtur verum, quod dicis, quia si cor est calidum, cur motus thoracis non est frequens, & velox, sicut tu dicis de magnitudine eius in respiratione, quoniam velocitas, & frequentia fiunt ad euentationem caloris, sic in pulsu tantùm ponis velocitatem, & frequentiam pulsus, & omittis magnitudinem in pulsu, nonne, & magnitudo cõuenit in pulsu, sicut & aliæ duæ differentiæ. pariter cum dicis de motu thoracis, tantùm ponis respirationis magnitudi-

nem, & prætermittis velocitatem, & frequentiam: nonne & hæ in motu thoracis duæ conueniunt velocitas, & frequẽtia. ergo diminutus es: hæc eſt dubitatio Acaκiæ, quam ponit contra Gale. & vult textum ſic debere legi: quia Galen. textus eſt falſus, & ſic traducit ſuum textum: magnitudo reſpirationis, & velocitas, ac frequentia: ſic & pulſus magnitudo, velocitas, & frequentia, vt omnes hæ tres differentiæ ſint & in pulſu, & in motu thoracis, non vt ſeparentur: ſic ſcribit iſte bonus vir. Dico autem pro Galen. quòd Acaκia malè dicit, & textus debet ſtare, vt iacet, & non debet immutari textus ſine magna neceſsitate, ſi poſſumus ſaluare ipſos autores, optimè ſtat hic textus, vt ponitur, & verum dicit Galen. alioquin eſſet falſus. & dico dixiſſe tantùm magnitudinem reſpirationis in motu thoracis, quantum magnido ſola ſufficit ad euentationem, nec velocitas, nec frequentia eſt neceſſaria in motu thoracis: & dico in corpore ſano: nam nunc de eo loquimur, vt & facit Galen. non enim eſt in ſano tanta neceſsitas reſpirandi, vt præter magnitudinem opus ſit ei velocitate, & frequẽtia. ſola enim ſufficit reſpirationis magnitudo. ſicque cor calidum in corpore ſano, quantum eſſe poteſt, tantummodo ipſa magnitudo ſupplebit.

bit. Ideo merito Galen. ſubticuit alias duas differentias ſcilicet, velocitatem, & frequentiam in thoracis motu, quia magnitudo, ad hoc munus perficiendum ſatis eſt, niſi corpus ſit ægrum: tunc enim opus erit vltima magnitudine, & velocitate, & frequentia: quoniam neceſsitas euentandi, eſt modo naturalis. nam in ægris nō tantùm pulſus erit magnus, ſed etiam aderit velocitas, & frequentia, & hoc ponit ratione Galen. quando de ægris ſermonem habebit. deinde verò qui ſe exercent primum in eis percipitur magnitudo reſpirationis, deinde velocitas ſuccedit, poſteà frequentia ſequitur. Quare ille nimius corporis motus educit in corpore illo calorem extraneum: & ideo eget non tantùm vna differentia, vt magnitudine, ſed tribus: nam tunc neceſsitas euentandi non erit naturalis, & ſi corpus ſit ſanum: dum verò ipſe acquieſcit, tunc remittitur magnitudo, & aliæ duæ differentiæ ceſſant. Itaque ſola magnitudo reſpirationis in corpore ſano, licet cor ſit valde calidum, ſufficit ad euentationem: & ſic dicimus Galen. rectè tacuiſſe alias differentias duas, velocitatem, ac frequentiam. ergo Gale. optimè dicit, & Acakia errat. Ad id ſecundo de pulſu, quando Galen. loquitur de corde calido, & dicit de pulſus differentiis

in ſano,

in ſano,dicit tantùm,& pulſus velocitas,ac frequentia:prætermittit autem magnitudinem eius,ille dicit etiam Galen. hic diminutum eſſe. Dico Galen. ponere optimè, cum primum,quod immutatur in corpore ſano in pulſu,eſt ipſa magnitudo:deinde eſt ipſa velocitas, ac frequentia; modo virtus ſit naturalis,& inſtrumenta naturalia, & neceſsitas. ſi enim virtus eſt potens, & valida, pulſus tunc mouetur & velox, & frequens, & tunc neceſſariò debet procedere magnitudo pulſus. quare ergo Gale. ſubticuit magnitudinem? Dicatis in corpore calido exiſtente ſano adeſſe quidem magnitudinem pulſus,ſed talis magnitudo tunc in tali pulſu nõ poteſt cognoſci, nec percipi: ſed quare,eo quia adeſt velocitas, & frequentia,& iſta euentationis neceſsitas non eſt præter naturam, ideo magnitudo manet ſepulta ab aliis duabus differentiis in corde calido ſano ſine exceſſu,nec poteſt prima differentia diſcerni, eſt magnitudo in muſculoſis hominibus,& carnoſis:bene aliæ duę differentiæ optimè cognoſcuntur, iſti autem bene ſe habent & optimè ſunt diſpoſiti, & bene concoquũt,& quia ſigna, quæ debent indicare res occultas,debent eſſe plana, & manifeſta, & non oſtendere ocultum, per ocultum, vel ignotum per ignotum: ideo Gale.

Galen.posuit ea signa, quæ manifesta sunt, non quæ latent. non est itaque mirum si magnitudinem, quę in his latet, prætermisit. sufficit igitur velocitas, & frequentia pulsus, non magnitudo in sanis, & calidis corde: & sic bene dicit Gale. CALIDIORIS IGITVR CORDIS &c. Ista enim verba sunt ad indicandum de cordis caliditate, ita vt sensus horum verborum sit, vt suprà diximus, quod debemus comparare corpora cordis calidi in excessu ad cor temperatum, ait ad modum ad temperaturam cordis, quòd est illi proprium, & conueniés cætera in litera sunt facilia. ET AVDACIA, ET AD ACTIONES NATVRAE PROMPTA &c. Vbi Galen. expediuit indicia, & signa cordis calidi sumpta ab actionibus cordis propriis, vult modo afferre signa sumpta ab actionibus, & ab effectibus caliditatis: quænam sunt hæ passiones? est audacia &c. debetis modo scire quomodo Deus in homine mirabili arte tria fecit principia, fecit primùm nimirum regium quoddam, rationem, deinde fecit duo principia affectuum: vnũ in quo sunt affectus ignobilissimi, ac turpes in fundo posito, & suum principium est hepar, in quo permanent lasciuiæ, & turpitudines, ac appetitus inhonesti, quod est proprium bestiarum,

rum. prętereà fecit aliud quoq; principium affectuum nobilium, & honestorum. & appellatur cor, quod repositũ fuit in medio, in hoc oriuntur, & sunt affectus nobilissimi, vt timor, lætitia, audacia, & animi constantia; & si ipsum cor fuerit in medio, & in temperatura semper dominabitur in eo ratio, quod decebit: si verò cor fuerit in profundo, illæ passiones cordis, & mores erũt profani, siue illi affectus: nam in medio debet esse ipsa constantia, quia si ipsa adhęrebit fundo, & hepati, illud animal erit ferinum, ac malignum, vt bestia, animosum, & si fuerit cõstantia iuncta rationi, tunc illud erit bonum, & si constantia in corde potest affici, & mutari secundum diuersos modos, & varios affectus cordis: quoniã si cor erit temperatum in caliditate, in siccitate &c. tunc quidem constantia erit æqua in omnibus, nullo modo afficietur, non in iustitia, non in timore, non in lætitia, sed semper erit, tunc moderata, vt æqua: sed vbi in frigiditate, vel caliditate excesserit, tunc mutari etiã animi constantia ipsa à sua æqualitate solet. & notate, quòd semper hic loquimur de homine sic naturaliter dispositio, & constituto; non autem de effectibus extrinsecus acquisitis, sed tunc de homine in sua pura natura constituto, atque tunc de homine, in quo

in quo caliditas excedat, quoniam si in eo caliditas excesserit, tunc quidem in tali homine augebuntur affectus ad constantiam: qui quidem affectus, vel passiones sunt, & fiunt varii, variaque sortiuntur nomina secundum varia, & diuersa obiecta exteriora: quoniam si obiectum, circa quod versatur constantia, sit tale, vt possimus frui & consequi id, quod cupimus, tunc generatur maxima lætitia in istis calidi cordis. quoniam isti calidi cum fruuntur, quod volunt, maximè lætantur: si autem illis occurrat aliquod obiectũ ingratum, & tristabile, quòd indicarit tristitiam, tunc nec multum tristantur: quia habent cor calidum: & eam ob rem non desperant in rebus aduersis. In affectibus verò, quos peragimus, rerum præsentium cor calidum habet summam audaciam, plurimumque confidit, & vt maximè, & optimè, & consequitur, quod intendit. Ideo calidi corde sunt audaces: si qui verò sunt cordis frigidi; hi sunt timidi, semper timor associat eos: & isti etiam si occurrant rebus obiectis, lætis parum lætantur: contrà in tristibus maximè tristantur. Quare qui sunt calidi corde, sunt valde audaces in rebus obeundis & in periculis, vt in bello, & quidem plus audent, quàm timeant: & in rebus futuris per illos, qui sunt calidi, facilè

cilè irascuntur,& quærunt,sperántq; se vlcisci de minimis omnibus, non tantùm de momentaneis,& sic isti sunt valde faciles, & prompti ad iram. frigidi autē corde tardè irascūtur. Prætereà circa spem, qui sunt calidi, plurimum sperant: contra qui frigidi parum, aut nihil sperant, sed potius desperant,& semper timent. calidum verò,& siccum sequuntur mobilitatem,& incontinentiam, aut stabilitatem,& cōtinentiam illorum affectuum. nam si cor calidū fuerit iunctum cum sicco, tunc causat retentionem obiecti aut tristis, aut læti: si obiectum fuerit lætabile, & cum calido adiungatur siccitas, tunc retinebitur illa lætitia, sic idē etiam dicendum de tristi obiecto in tali corde calido,& sicco. Si autem humidū fuerit iunctū calido, tunc obiecta facilè fluēt, etiam si sit obiectum, vel lætabile, vel contristabile, & sic de aliis. Quare dicit Gale. SI MVLTVM IN CALIDITATE EXCESSERIT, TVNC FVRIBVNDA QVAEDAM IRACVNDIA &c. Inquit Gale. si cor fuerit calidum, isti sunt valde audaces, quia excedit in caliditate. Prætereà isti sunt valde bellicosi, sunt etiā prompti in rebus agendis,& proni ad vindictā. Contrarii verò homines habent contrarios affectus, vel sunt frigidi: sin multa fuerit ca-

liditas, ac nimis excedat, tunc illi nō solùm sunt audaces, sed furibundi, temerarii pertinaces, & dæmoniaci: ratio huius est, quoniam si caliditas temperatè in corde generat temperatos humores, dum modò augeatur ipsa caliditas. faciet audaces homines, & promptos: at si maximè aucta fuerit, fiēt tales homines temerarii, ac furiosi. nam caliditas cordis potest ita ad summum alterari, vt homines reddantur furiosi, & dæmoniaci. EST AVTEM HIS THORAX HISPIDVS, ET PRAESERTIM PECTVS EORVM &c. Postquam ab actionibus, & passionibus propriis, & inseparabilibus cordis sumpsit signa indicantia temperaturam cordis, nunc modo aggreditur alium locum signorum ab agnatis, & est locus sumptus ab actionibus naturalibus. Nunquam discedatis in inueniendo signa ab actionibus, & passionibus: consideratio de pilis sumitur ab actionibus naturalibus. actio autem naturalis est vna, quæ fit ad generationem corporis, & dicitur generatiua: altera nutritiua, augmentatiua tertia, quæ habetur post corporis generationem. Dico autem de actionibus natugralibus, quia pili sumuntur ab actione generatiua: sumitur ideo cognitio pilorum ab actionibus naturalibus generatiuis, &

inquit,

inquit, qui habent cor calidum, ii sunt maximè hirsuti in thorace, & in pectore. Pectus enim est pars anterior thoracis. Causa autem huius rei facilis est, quare thorax, & pectus sit hirsutum. Dicebamus enim superius causam materialem pilorum esse illam materiam fumosam, vaporosam, ac caliginosam adustam: causam autem efficientem pilorum assignabamus calorem fortem, & validum agentem. Prætereà loca conuenientia, & debita ad generationem istorum pilorum erant ipsi pori in cute bene præparati in latitudine non minus lati non nimis stricti, sed medio modo se habentes. cum verò in corde calido, & in thorace calido sint omnia ista scilicet omnes causæ facientes ad generationem pilorum: nam in habentibus cor calidum est calor agens fortis, & est illa materia vaporosa adusta, postremò adsunt illi pori, vel meatus satis lati, non tamen nimis: & ita optimè dictum est à Gal. in habentibus cor calidum necessariò thorax erit hispidus, maximè in parte anteriori, quia ibi plurimi vapores ascendunt. præthereà, est calor adurens, & ita cum adsint hæ omnes causæ pilorum dispositæ, adest causa efficiens, est causa materialis, & sunt loca disposita, nimirum pori non est mirum, si sunt pili in

thorace,& maximè ante. bene igitur dixit Galen. vbi cor calidum, thorax est hispidus. MAGNA VERO EORVM PARTE CALIDI CORDIS TEMPERATVRA. Galen. in hac parte respondit vni tacitæ obiectioni, quoniam dixerat in habentibus cor calidum etiam esse hispida ilia, dicere posset quis, ilia sunt magis proxima hepati, quàm cordi: ergo ilia deberent esse hispida, ratione hepatis, non cordis: ideo hoc quod dicis de ilibus non est verum. Respondet Galen. ad hoc, quod suprà dixit, verum est vbi cor est calidum, etiam totum corpus esse calidum: totum enim refertur ad temperaturam cordis: deinde addit exceptionem & inquit nisi hepar vehementer obstiterit. Notate, isti recentes hoc in loco multas faciunt conclusiones de resistentia, & confundunt omnia: quia non rectè distingunt, & spero me rectè definiturum, quid faciendum sit de resistentia. Dicit itaque Gale. NISI HEPAR &c. Non possumus prima facie rectè videre, nisi aduertamus ad hæc, quomodo fiat hæc resistentia. nam sumatis hepatis caliditatem maximam, quantum vultis in homine sano, & cor sic sit frigidissimum. ita vt cordis caliditas sit minima, tamen caliditas cordis nunquam erit ita parua, quin semper
sit

ſit maior, quàm illa ſumma caliditas hepatis: quoniam cordis caliditas eſt actualis, ſine qua cætera membra frigeſcunt. Nam in aliis cunctis membris, præterquam in corde caliditas eſt in potentia tantum. caliditas enim hepatis non habet facere caliditatem cordis. ſi enim cor eſt calidiſsimum, ita vt totum erit calidum: ergo & hepar ratione cordis erit calidum. nullo autem modo nec hepar, nec alia membra excedunt in caliditate, ſiue fuerit frigidum: tamen Gale. hic dicit niſi hepar obſtet: quid ergo dicendum ad hoc? Dico nunquam hepar obſtare ex ſe cordi. Notate hoc non poſſe obſiſtere, quoniam ſi hepar fuerit frigidiſsimum, tunc poterit alterare cordis caliditatem. ſed quomodo hoc fit? fit enim ſic, ſtante hepatis frigiditate conficitur, & generatur ſanguis frigidus: nam omne membrum habet facere, & facit operationes proprias ſecundum facultates ſuas: ſi modo hepar fuerit frigidum, neceſſariò & ſanguis erit frigidus. pituitoſus ergo generatur in ipſo hepate, quo genito ex iſto ſanguine deinde fiunt ſpiritus, qui dum petunt, & deferuntur ad cor neceſſariò refrigerant ipſum cor. vnde propter hoc dicitur hepar obſiſtere cordi, non quòd per ſe obſiſtat, ſed dicitur obſtare: quoniam

generat talem ſanguinem, qui deinde habet alterare ipſum cor infrigidando. Quomodo autem ex ſanguine frigido nutriatur cor, cum & ipſum nutriat inde bene ex quo ſit temperatura frigida cordis, & etiã cibus frigidus datus in corpore refrigerat cor, vt Deo dante videbimus in tertio libro huius, quomodo cibi poſsint alterare totum. Quare ſi ad cor deferatur alimentum ab hepate infrigidato facit ſanguinem frigidiſsimum, alteratur cor: eſt enim ille ſanguis, qui refrigerat non hepar. quia illi ſpiritus frigidi geniti ex illo ſanguine frigido ad cor pro nutrimento eius deferuntur, & ita prout erit ſanguis genitus ab hepate, talis etiam fiet cordis temperatura, aut remittetur eius vis, ſi illi ſit contrarius.

EST QVIDEM ET LATITVDO THORACIS CALIDITATIS INDICIVM &c. ſi memoria tenetis, verſabamur in dando ſigna caliditatis cordis ab actionibus, & paſsionibus propriis: primũ, Videbimus de actionibus propriis ipſi cordi, & in primis quomodo dilatatio, & conſtructio fieret, vt euentaretur ipſe calor: ad cuius dilatationem, & conſtrictionem deinde ſequetur dilatatio, vt conſtrictio thoracis, licet ſit voluntariè facta, cum muſculi

ſculi thoracis, qui dependent à cerebro, ſunt, qui cauſant talem motum: ideo voluntariè fit, tamen eſt ſemper proportionatus ad neceſsitatem caloris in corde: poſtea ſequitur ſecundus motus ad motum thoracis pulſus, & eſt motus in arteriis. Gal. poſtquam dedit indicia ſumpta ab actionibus de cordis temperatura, dedit etiam ſigna ſumpta à paſsionibus, vel affectibus cordis, ſicut erat audacia, & animi conſtantia, vigor &c. nũc modo Gale. tranſit ad alium fontem ſignorum, quod eſt fons actionum naturalium, in quo quidem fonte loquitur de actionibus naturalibus, non tamen propriis cordis, ſed communibus tali corpori præcognitione exquiſita cordis temperaturæ. Ne autem actiones naturales communes ſunt in duplici differentia, vna appellatur generatiua, quæ fit, & oritur in principio generationis, & eſt quæ componit totum, & partes: alia autem quæ extat, poſtquam corpus eſt factum ipſum nutrit, alitque: vnde & augetur. de nutritiuis autem hic non habetur ſermo, ſed de generatiuis, quæ ſunt à primo generationis ſermonem habebimus. fons itaque iſte ſumitur ab actionibus naturalibus generatiuis de ſignis cordis, ſed quia actiones naturales omnes habent hoc munus à ſeipſis, vt

nihil ostendant per seipsas, nisi per suas operationes, vel per suos affectus, & dicuntur excrementa sua, siue sint generatiuæ, siue nutritiuæ. Dum ergo ab his volumus sumere indicia, si ea volumus scrutari, oportet, vt per manifesta procedamus. Vnde accipiamus sua opera, siue excrementa: quis enim habet videre, & cognoscere embryonem in generatione? Nemo quidem, nisi dum genitus est, & factus, tunc quidem cognoscitur: sed non amplius est generatiua actio, quia iam completa est, sed tunc cognoscitur ex figura, quantitate, temperatura, quæ omnia fiunt à principio generationis, vt superius ostensum fuit: sic actio nutritiua non potest cognosci, nisi à suis operationibus videlicet ab excrementis, quemadmodum fiant per omnes quatuor naturales actiones per contentiuam, retentiuam, concoctiuam, & expulsiuam. præterea ab habitu corporis, dum est bene carnosus, vel musculosus, ille bene concoquit, & sic nutritiuæ actiones cognoscuntur. quare patet actiones naturales tantummodo fieri, & cognosci à suis operationibus, & excrementis non à seipsis, quæ opera in nutritiuis sunt ipsa excrementa: sic etenim in his actionibus naturalibus sumuntur indicia de temperatura cordis à suis effe-

ctibus.

ctibus.merito ergo Galen.volens tradere indicia de temperatura cordis,quæ proueniunt à naturali actione generatiua, quæ quia ex se lateat, ideo ipsa signa sumimus ab operationibus ipsius generatiuæ, à forma, & à figura, non tamen cordis; sed à quo?à suo continente scilicet thorace. Diximus loquendo de cerebro continens se habere, vt suum contentum ei proportionatum,quemadmodum enim se habet con tentum in sua substantia, sic se habet suum continens:& contrà, vt de cerebro dicebamus,idem dicendum est de corde,& de secundo continente, vel ventre, qui est thorax,qui habet continere ipsum cor, secundum suam quantitatem, & figuram debitam,& conuenientem. qualis enim fuerit figura,& magnitudo, & proportio continentis,talis indicabitur esse ipsum contentum vt cor. Nam proportionatum loco debet esse locatum.& ideo hoc est,quod di cit Gale.sumendo signa ab operationibus naturalibus generatiuis, quæ sumuntur à quantitate,forma,& proportione continen tis. EST QVIDEM ET LATITVDO THORACIS &c. Et sic inquit sumendo signa,& indicia de corde accipit à quantitate,& figura continentis thoracis,inquiēs, vbi est latitudo thoracis, ibi oritur indi-

cium manifestum de caliditate cordis:ratio huius duplex est,& per causam efficientem,& per causam finalem. primum causa efficiens est calor vehemens, & validus in corde, qui actualis est. Debetis scire, quod calor habet dilatare:fit enim dilatatio,& inflatio thoracis,dũ calor est in corde validus;vbi inquam, existit talis potens calor in corde,dilatat,& extendit materias thoracis,quæ materiæ sunt coctæ, & sic fit thorax latus.causa verò efficiens est calor, éstque calor validus;quoniam stante calore forti in corde, dici enim solet, cor esse initium caloris, & vitæ : dum ideo adest plurimus calor, & fortis, & tunc thoracis costæ extenduntur,& dilatantur, cum caloris sit proprium dilatare, & sic ratione causæ efficientis thorax dilatatur. ergo indicium fit notum de cordis caliditate. causa verò finalis est circa necessitatem euentationis,quoniam natura operatur semper secundum finem,alioquin frustraretur,sempérque agit in melius.cum modo ipsa natura fecerit cor calidius aliis mẽbris, quod quidem necessariò eget multa euentatione,ne suffocetur, & euentatio non potest fieri sine multa dilatatione, magna autem dilatio fieri nequit sine magno, & amplo instrumento:ideo necessario oportuit thoracem

racem fuisse amplum,& latum, vt exactè sua actio perficeretur, magna cordis euentatio. proprium autem est caloris innati, & virtutis formatiuæ in generatione, vt effingat, & figuret membrum, quale oportet esse ad operationes suas obeundas. Natura autem, quæ in agendo cognoscit per cognitionem metaphoricam cognoscens tũc futuram necessitatem huius in corde euentationis calido, sic præparauit instrumentum conueniens,& dispositum ad euentationem, nempe thoracem amplum, cum cor sit calidum; & sic habetis omnia; & quare thorax duplici de causa, causa efficiente, & causa finali sit amplus, quare in primis ob causam efficientem adest latitudo thoracis, & necessitatem euentationis, quæ est causa finalis, thorax etiam amplus indicat his duabus de causis cordis caliditatem, nisi hepar vehementius obstiterit, affert modo vnam exceptionem, dum dicit; NISI HEPAR &c. Nam iam probatum est, vbi est thoracis amplitudo, necessariò indicari cor esse calidum; & facit vnam aliam exceptionem; cum dicit, nisi & hic quoque cerebrum obstiterit; sic hic dicit cor in thoracis amplitudine esse calidum, nisi hepar obstiterit vehementius. nam sequitur, & dicit, est quidem & lati-

tudo thoracis caliditatis indicium, nisi & hic quoque cerebrum plurimum obstiterit, quoniam superius dixerat, quod caliditas cordis totũ corpus reddit calidum, nisi vehemẽtius hepar obstet: sic hic de cerebro dicit existente corde calido totum erit calidum, nisi plurimum cerebrum obstiterit. pro intelligẽtia huius sermonis debetis scire, nõ tantùm causam efficientem sufficere ad quid peragendum, sed etiã esse opus, vt adsit causa materialis: efficiens causa in corde est ipse calor fortis validus in corde: causa verò materialis magni thoracis sunt costæ, metaphrenum, vertebræ: ex quibus omnibus cõstituitur thorax. ipsæ enim costæ sunt fixæ in osse pectoris, & sunt tanquam carina in naui, quæ ex parte posteriori habẽt carnem: ex parte verò superiori habent os pectoris. cùm ergo vertebræ, & costæ sint materia thoracis, quæ habent facere latitudinem, vel cõstrictionem pectoris, prout erunt: vt rectè habeãtur hæc verba sciatis, quę costæ figuntur vertebris, vel in spondiliis, ex qua coniunctione fit dorsum, vel dicas metaphrenum. costæ enim à vertebris: vertebræ verò à spinali medulla: vertebrę autem sunt magnę, aut paruæ secundum proportionem contenti sui. Vertebræ continent spinalem medullam, quæ

ſi fuerit magna, ſic & illæ erunt magnæ: ſi fuerit parua ſpinalis medulla, ſic & vertebræ ſpinalis. Itaque medulla ſi fuerit magna, ergo & cerebrum magnum, cum ſpinalis eſt, & oritur à cerebro, ſi modo ſit cerebrum multum,& bonę ſubſtantiæ,multa etiam erit ipſa ſpinalis medulla,cum ab eo proueniat. ſi ſpinalis erit multa, ergo & vertebræ erunt robuſtæ. ſi vertebræ ſic ſe habebunt,ergo etiam coſtæ magnæ,& robuſtæ:quibus ſi addatur cordis calor vehemens,tūc neceſſariò pectus, vel thorax erit latus: ſed quandóque contingit coſtas eſſe paruas:quia vertebræ ſunt paruę:quoniam ſpinalis medulla eſt parua,ſi cerebrum eſt paruum. ſi ideo cerebrum eſt paruum, & malæ ſubſtantiæ, ſic & ſua agnata, ſpinalis medulla, vertebræ, ac coſtæ,& tunc pectus non poteſt eſſe amplum, & latum: tametſi caliditas cordis eſt magna, tamen thorax eſt paruus,& ſtrictus,& ſic ſtrictura pectoris nō eſt ratione cordis,ſed ex defectu materiæ coſtarum, quæ fuerunt paruæ,quæq; cum ſint paruæ, non poſſunt extendi,quare non poſſunt dilatari? quia vertebrę ſunt diminutæ,& paruæ. Quare autem vertebræ ſic ſunt? quia ſpinalis medulla eſt parua, quia cerebrum eſt paruum, & malæ ſubſtantiæ. meritò itaque dicit, niſi cerebrum

obſtit

obstiterit: propterea quia cerebrum si est paruum, & malæ substantiæ, reliqua etiam sua agnata connumerata sunt parua. quare valet dicere, vt videtis: si est latitudo thoracis, ergo ibi abest cordis caliditas, & cerebrum multum, ac bonæ substantiæ. At si pectus fuerit strictum, non tamen valet dicere, ergo cor est frigidum, cum possit esse strictum alia de causa: sed erit strictum ex alio defectu materiæ costarum, quæ proueniunt à cerebro, quæ si fuerint paruæ, & cerebrum paruum: atque sic iam vidistis hæc omnia, quomodo se habeant, patet etiam vertebrarum ordo. sed notate, hic sunt duo notanda: primum, vt habeatis exactam cognitionem istorũ dictorum, quoniam posset quis dicere, ex his tuis dictis non adhuc habeo rectum indicium. Nam quomodo potes discernere pectus esse strictum, tamẽ sit caliditas cordis? Num etiam potest esse strictum ratione frigiditatis in corde? ideo per hæc tua dicta non adhuc habeo bonum indicium de hac materia. quomodo enim cognoscatur pectus strictum cum caliditate, vel frigiditate cordis? quomodo discernetur, inquam hoc? Dico sic cognosci, si pectus sit strictum, & adsit caliditas cordis, tunc pectus erit altum, & si strictum erit, inquam altum pectus ad profund

fundum, & hoc eſt proprium caloris, vt potius eleuet ad altum, quàm ad profundum: ergo tale pectus ſtrictum in latitudine, & altum in profunditate erit bonum, & laudabile: quoniam eget multa euentatione, & melius pulmo poteſt dilatari in longinquum, quàm in latitudinem: & ſi tunc natura caloris excedentis in corde protendit in longum ipſum thoracem, & etiam ratione cauſæ finalis materiæ eſt bonũ pectus: quoniam illa materia facit pectus altum. ſi non latum ratione caloris, & ſi deficiat materia in latitudine, & pectus ſit ſtrictum, tamen protẽditur in longitudinem, & altitudinem, dum cor fit calidum valde. prætereà hoc non cognoſcitur tantùm à figura, ſed etiam ab actionibus, & paſsionibus: quoniam qui habent pectus ſtrictum, & cor calidũ, tunc iſti habent pulſum frequentem, & velocem, non tamen eſt magnus. Nam omnis vera altitudo debet habere tres dimenſiones; non eſt enim magnus, quia non eſt vas conueniens, deeſt namque latitudo eius, ſed eſt tantùm altitudo thoracis: ideo quia paruus eſt pulſus, ſupplet cum frequẽtia, & velocitate; quemadmodum ſi homo eſſet defatigatus, eius pulſus nõ eſſet magnus, ſed frequens bene, & velox: ſic in tali pectore ſtricto, ſed alto,

prop-

propter magnam necessitatem euentandi calorem, si nó erit magnus, erit tamen frequens, ac velox: deinde à passionibus, isti sunt iracundi, & audaces, & hoc quoniam calor, qui est inclusus in stricto thorace, qui est locus angustus, magis est feruidus, quàm si esset in loco lato, vel vase. Quamobrem tunc calor est magis efficiens: vnde isti dicuntur esse audaces ob calorem inclusum, qui feruet si modo illud cor erit frigidissimum, tunc thorax non erit latus, nec altus: sed vnáque paruus, & pulsus parui tardi, & rari, sunt ad iram pigri, miniméque audaces, sed timidi, & sic vos poteritis indicare his mediis, quãdo pectus est strictum, si cor sit calidum, vel frigidum. & hæc de primo notando. secundum verò notandum tale est, dixi suprà vbi est strictum pectus, tale pectus potest arguere caliditatem, si sit longum in profundum, si non tunc arguit frigiditatem. & ideo vbi est thorax strictus, non debemus cõcludere ibi necessario esse cor frigidissimum, cum etiam quandóque possit esse calidum. nunquid modo si pectus, vel thorax est latus necessariò debeamus concludere cor esse calidum, & vtrum possit, inquam, stare cũ frigiditate, quemadmodũ potest stare thorax latus cum caliditate? Respondeo ad hoc non esse dubium,

bium, vbicunque est agens, & patiens, quod hæc ambo debẽt inter se esse proportionata, si debet fieri actio bona: quoniã etsi materia debita, & multa, pectus latum, modo non sit calor, tunc cor nõ erit calidum, nec dilatatio fieri poterit. Ideo si fuerit calor debilis, etsi materia multa: nulla tamẽ fiet bona extensio: si autem bona actio, vel dilatatio fieri debet, causa efficiens calor, debet esse proportionatus, & in debita proportione cum materia, seu causa materiali; quamuis materia sit multa, & bona pro materia autem prouenienté à cerebro intelligo costas, & sic idoneam, & ita considerando naturam particularem rei semper thorax erit latus, tamen si calor erit debilis in corde, tunc nõ poterit vnquam fieri bona actio, dilatatio, tunc dico, & si scimus existente cordis calore debili tunc nõ posse fieri bonam actionem ab ipso in materiam, nec rectè dilatare, calor tamen cordis non erit ita debilis, & cor ita frigidum, quin semper agat in materiã, modo materia & sit multa, & bona: nam mala non est opus etiã si sit multa: atque etiã bona debet esse moderata in quãtitate, & qualitate pro extensione costarum; & sic semper pectus erit bonum, & latum, ac semper ille calor debilis, & quantum vult debilis non deficit

calor à sua actione, & si cor sit frigidissimum. Nam cordis caliditas etiamsi in se sit debilis, tamen est potentissima respectu aliorum membrorũ. & ideo existente corde frigido, tamen semper cor dicitur esse calidum respectu aliorũ membrorum & ita, vt superet calorẽ cæterorũ mẽbrorum. Quare etiãsi cor aliquãdo dicatur esse frigidissimum, tamen semper est calidum, & tunc dicitur calidum remisse respectu sui: ideo dicimus, ꝙ & si cor non sit in se summè calidũ, non tamen est strictura pectoris cum frigiditate cordis, quia semper cor frigidissimum agat in materiam, quomodo autem discernemus, nunquid sit latitudo thoracis cũ frigiditate, aut cum caliditate cordis? quomodo inquã poterit cognosci, si thorax, dum est latus, sit cũ caliditate, vel cum frigiditate? attendatis semper ad altitudinem pectoris, nunquam ista decipiet vos: quod sic erit caliditas etiã cordis. nam sunt quidam thoraces lati, tamen nõ erunt ampli in altũ, sed depressi: non enim dilatentur in alto, & hoc prouenit à causa efficiente: quia cor in hoc est frigidum. Non enim tũc cognoscitur, ꝙ materia dilatetur bene. & ideo ille calor non dilatatur in altitudine: propterea ꝙ est debilis, & sic tale corpus erit bene latum, sed depressum: & horum

horum multi reperiuntur, qui facilè cadunt in cancrum, & in phtysin. at qui habent in pectore tres dimẽsiones, ij quidem sunt robusti, & potentes, & habentes cordis caliditatem, & sic concludendo dicimus, quòd strictura pectoris potest esse & cum caliditate, & cum frigiditate cordis, & sic etiam latitudo thoracis potest stare cum caliditate, & cum frigiditate cordis: & hoc est cognoscendum ab alitudine thoracis, quemadmodum est manifestum in nostris notandis duobus, & oportet etiam recurrere ad alia duo signa dicta ad audaciam, & timiditatem, animi constantiam, &c.

QVONIAM EI MAGNA EX PARTE SPINALIS MEDVLLA RESPONDET &c. Nam in Græco textu sic dicit videlicet vt plurimum, vel magna ex parte, probat Galen. sic, quòd iam dixerat, nisi & hic quoq; cerebrum plurimum obstiterit &c. oportet enim quod vehemens sit defectus, & materia sit pauca: quoniam ei magna ex parte &c. Diximus enim superius ad proportionem cerebri talis semper esse spinalem medullam. Nam si cerebrum est multum, etiam spinalis medulla: si verò magna, sic vertebræ, sic costæ quoniam vnum dependet ab alio. si cerebrum paruum, sic spinalis medulla: sic

vertebræ etiam, ac costæ: ideo thorax erit paruus, vel magnus ad paruitatem, aut ad magnitudinem cerebri. tantæ verò erunt vertebræ, quanta & spinalis medulla. Dicit Galen. manifestum esse, quòd thorax infigitur in omnibus vertebris dorsi, vel metaphreni, & ex metaphreno longo sequitur proportionaliter longitudo thoracis, non tamen semper & latitudo, quoniam metaphrenum habet xij. vertebras, in quibus figuntur xij. costæ secundum quantitatem metaphreni, quæ necessariò erit & quantitas thoracis, qui habet tot costas, sed quia Galen. videbat dubium contra se propter iam dicta aduertens in thorace esse longitudinem, & latitudinem, dicit, quòd longitudo metaphreni, vel spinalis semper erit æqualis thoraci. Ideo oportet hoc manifestare. Nam tota spina incipiendo à commissura lambdoidis incipit à prima vertebra, quæ est illa pars, & ibi continentur septem vertebræ: tota enim spinalis medulla in quatuor diuiditur partes: prima autem pars dicitur vel ceruix, vel collum, in qua prima parte existunt septem vertebræ incipiendo ab osse lambdoide, postea sequitur secunda pars, quæ appellatur metaphrenum, in quo continentur xij. vertebræ vsq; ad lombos porrecta

recta est pars hæc: in his autem xij. vertebris figuntur xij. costæ, & sic fit per has longitudo thoracis. itaque thoracis mensura incipit ab octaua vertebra exclusiuè terminans vsque ad secundam inclusiuè, hæc est tota longitudo. Habetis inquam, quænám sit substantia thoracis, & quæ suæ partes, & quæ sua longitudo, quæ nunquam immutentur. agat calor quantum vult: nunquam tollit, aut auget hanc longitudinem xij. costarum, & vertebrarum: quantum enim vertebræ fuerint longæ, sic habẽt costæ. ergo & sic ipse thorax. at latitudo thoracis non semper correspondet ipsis vertebris in longitudine: quantum enim metaphrenum est longum, sic etiam est thorax, & bene latitudo variatur in thorace videlicet non correspondens metaphreno. stante etiam crassitie vertebrarum, quoniam thoracis latitudo necessariò vertebras non sequitur, sicut facit longitudo. Nam si calor nõ est vehemens, sed moderatus, ita vt non maximè agat, sed tantùm faciat, quantum opus est, tunc calor erit moderatus, vt nihil plus agat circa materiam ipsam, quàm par sit tunc bene latitudo posterioris correspondebit crassitudini vertebrarum: quia tantùm extenderet vnam costarum, & faceret pectus la-

tum esse, quantum conueniat. Non enim erit eius latitudo præter debitam mensurã, sed conueniens pro copia vertebrarum, & spinalis medullæ vel metaphreni, aut dorsi. Ideo tunc pectoris latitudo erit proportionata ipsis vertebris ratione caloris moderati. & si calor erit magnus, & vehemens, sic & sua actio erit violenta: & si vertebræ sint tales, tantámque habeant crassitiem, & costæ deberent etiam esse tales, ac tantæ: ad proportionem vertebrarum, tamen quia calor attendens ad suum vsum proprium alterat materiam costarum, & magis inflat, ac dilatat eas. vnde necessariò tunc ratione caloris vehementis pectus fit minus, quàm conueniat ipsis vertebris: & sic calor quandoque, dum sit vehemens, potest ipsam altitudinẽ alterare thoracis, ita vt non sit proportionata ipsis vertebris, vel spinali medullæ. At longitudo pectoris semper eadem est, & nunquam à calore immutatur: sed calor validus extendendo costas alterat in magnitudinem ipsam latitudinem. Rectè ergo dicit Galen. quòd longitudo thoracis semper est eadẽ, & proportionata longitudini dorsi quod sub se continet xij. vertebras, vt dictum est: latitudo verò ipsa pectoris tantummodo dicitur æqualis spinali medullę, quando calor est moderatus, & si vehemens

sit

ſit calor,tunc latitudo thoracis augetur neceſſariò, & non amplius dicitur eſſe æqualis,quoniã ei ſpinalis medulla non reſpondet,quando calor eſt vehemens, tunc pectus non correſpondet ſpinali medullæ: ſed hoc rarò contingit. Tantæ verò erunt vertebræ &c.cõtinens enim debet eſſe proportionatum contento : ſi cerebrum multum ſit,etiam ſpinalis medulla multa erit, ſic vertebræ,& coſtæ.ergo pectus latũ:contrà eſt paruum , & ſtrictum pectus, ſi cerebrum paruum. Quare & vniuerſa ſic erit tota ſpinalis medulla.nam eſt eadem ratiò de toto,quæ eſt de partibus:configitur verò thorax ad eam ſpinæ partẽ,quæ metaphrenum à græcis dicta fuit: ſicut enim ſe habet tota ſpinalis medulla , ſic etiam ſe habet thorax,qui implantatur , & configitur in dorſo,& hæc pars eſt ſecũda ſpinalis medullæ,quæ conſtat ex xij. vertebris. ſi ergo thorax correſpondet vertebris, & vertebræ correſpõdent ſpinali medullæ:ergo & etiã dorſo:& ſicut valet ratio de toto , ſic etiam de parte dicendum. Nam dorſum eſt pars ſpinalis. Quare neceſſariò eius longitudo æquabitur dorſo:hæc eſt idea ſermonis Galen.quòd dorſo infigitur thorax , quemadmodum carina naui:& ideo ſi ſic , longitudo thoracis neceſſariò , vel pectoris erit

æqualis longitudini dorsi, vel metaphreni sed latitudo pectoris non semper erit æqualis longitudini dorsi, vel spinali medullæ. atque Galen. obscurè, & difluè dicit, quæ ego vobis clarè declaro. latitudo pectoris tunc erit æqualis spinali medullæ, quando erit proportio caloris agentis cum materia, vt non excedat vltra debitum gradum, nec deficiat, semper erit temperatus, modo non excedat materiam plus, quàm conueniat, non tamen semper est æqualis, sed tũc quando vertebrarum materia est confixa dorso à calore agente, à causa efficiente æquali. Deinde Gale. melius declarat hoc. CVM VERO CORDIS CALIDITAS SVPERANS PERFLAVERIT &c. Inquit si calor est conueniens respondet crassitudini vertebrarum, sin autem calor erit vehemens, tunc non erit æqualis ipsis vertebris, sed eas excedet, nec costæ erunt æquales ipsi spinali, quoniam calor dilatat ipsas costas; & id erit tunc correspondens crassitudini vertebrarum. QVARE CVM CAPVT PARVVM; THORAX AVTEM LATVS EXTITERIT. Infert modo Galen. pulcherrimum corrolarium ex dictis, & inquit sequitur ex hoc, si est amplitudo, aut strictura pectoris, est propter defectum materiæ, vel abundat propter materiam abun

abũdantem,& ſic latum: ſi fuerit ſtrictum, hoc erit, quoniam materia deficit: ſi verò pectus erit amplum, etiam hoc erit, quoniam materia ipſa abundat: ſic hoc verum eſt tantùm ex parte materiæ, non ratione caloris,ſed materiæ prouenietis à cerebro. ergo ſit cum caput dicatur eſſe paruum, & thorax magnus,tunc neceſſariò dicendum in corde maximum eſſe calorem; alioquin non vera eſſent dicta Galen. quoniam ſi cerebrum eſt paruũ, ſpinalis medulla parua, ergo etiam vertebræ:quod ſi ſic;etiam vertebrarum coſtæ:quæ in vertebris, vt ſuprà auditum fuit,figuntur;& ſi thorax ſtrictus, nõ poſſet dilatari,niſi cum magna vi: nam in paruo capite non adeſt multum de cerebro ſi paruum cerebrum, ergo & quæ deſcendunt à cerebro erunt parua, nec coſtæ dilatantur à colore: ſi verò caput paruum, & thorax ſit magnus,tunc neceſſariò debemus dicere maximum calorem in corde eſſe:quia calor ſua vi educet materiam illam ſubtiliando; ita vt dilatet materiam illam thoracis tota ſua vi, vt nihil ſuprà & quouſque poſsibile fuerit. quare vbi erit caput paruum,& thorax magnus,tunc neceſſariò dicemus cor eſſe calidum, ſic ex oppoſito: ſi caput erit magnum,& thorax, ac pectus ſit paruum,& ſtrictum,tunc neceſſariò

dicemus cor esse frigidum. Nam si caput est magnum, sic est spinalis medulla, sic vertebræ, sic costæ: sed pectus sit strictum: propterea quòd non facta sit dilatio huius materiæ à calore, ergo erit defectus caloris in corde, quòd non dilatat, & ampliat ipsum thoracem. Defectus igitur est à causa efficiente, non à materiali, à materia. calor aũt debilis est, qui debebat esse maximus: quoniam materia quoq; est multa, etiamsi hoc rarò eueniat, tamen quando erit, dicitur tũc cor esse frigidissimum: & quando cor est frigidissimum, tunc aut est strictum, aut depressum, & si latum: non tamen erit altum, sed pressum semper. si verò capiti fuerit proportione respondens thorax, tunc aliis signis de corde distinguetur. Dicit Galen. si magnitudo thoracis sit proportionata cum magnitudine capitis, & aliarum partium, tunc non debemus dicere hoc esse à caliditate, vel à frigiditate cordis: quoniam hoc potest esse ab ipso cerebro. Itaque dicit tantum alia signa esse quærenda, vt accedamus ad actiones proprias, & quas diximus, passiones.

CAPVT XXVIII.

IN FRIGIDIORI VERO CORDE PVLSVS MINORES EXISTVNT, QVAM MODO NATVRAE CONVENIAT

NIAT &c. In superiori lectione expediuimus signa cordis calidi in corpore humano & persecuti sumus ea sequendo Galen. per tria signa, à quibus sumūtur alia signa: primum genus, vel primus fons fuit ab actionibus, secundus fuit à passionibus, tertius fons à dispositionibus thoracis, videlicet à dispositionibus generatiuis apparentibus in ipso thorace: ab his inquam, tribus sumuntur signa de cordis caliditate. sic eodē modo facit Gale. in tradendo signa cordis frigidæ temperaturæ: primum incipit ab actionibus propriis cordis frigidi, & passionibus eius, & à dispositionibus thoracis per virtutem generatiuam. & incipit: in corde frigidiore sunt pulsus minores, non tamen necessariò tardiores, vel rariores. Hæc quidem propositio est rectè declaranda. Notate pro his, quomodo primum intelligenda sit tarditas pulsus, & magnus pulsus, & velox, & sic frequentia: nam ista nomina dicuntur relatiua, vel ad aliquid: non enim absolutè dicere possumus pulsum magnū, nisi respectu pulsus parui, sicut formica aliquando dicitur magna, non quia absolutè debeat dici magna, sed respectu alterius formicæ. sicut verò velox absolutè non debet dici sic, sed respectu tardioris, sic de frequenti. Quare si paruus pulsus, si debet sano

no modo intelligi, dicatur sic respectu alterius pulsus magni. Quæ omnia dicta dicuntur pro vera, & exquisita cognitione pulsus: & Galen. in secundo de dignotione pulsuũ diffusè disputat ad quid referēdum sit paruum, & magnum in pulsu: ibi dubitat primum circa hoc, tandem concludit esse referendum ad cor temperatum: vnde debetis semper id fixum habere, & præ oculis, vt habetur in libro de constitutione artis, quænam sit temperatura corporis, quæ temperatura sit parua, & vera regula in omnibus aliis regulis de temperaturis dignoscendis. & ideo dum dicemus pulsum magnũ, velocem, aut frequentem, aut contrà paruũ, tardum, rarum, omnia ista pertinent, & referuntur ad excessum: sunt enim omnes isti excessus respectu temperati pulsus, vt cordis, in quo omnia sunt temperata: cæteri pulsus habent excessum, vel defectum aliquẽ. Nam tarditas, & paruitas in pulsu indicant defectum in pulsu, vt respectu pulsus temperati. Nam tales omnes differentię ad ipsum temperatum comparantur. nõ enim pulsus temperatus dicit magnitudinẽ, nec paruitatem, nec velocitatem, nec frequentiam, nec quid denique de suis contrariis: quia in medio omnium horum sedet, sic pulsus magnus, & velox dicunt excessum.

nam

nam excedunt temperiem cordis,& pulſus. Ideo pulſus magnus,vel velox,tardus, frequens,vel rarus dicitur ſic reſpectu pulſus temperati,aut quia excedit,aut quia deficit. ſecundum notādum eſt,quod magnitudo, & paruitas pulſus facilè cognoſcitur in corporibus gracilibus, in quibus ſunt pauci muſculi,& pauca caro, tamen ſit quantuncunque gracile corpus, ſemper arteria ibi eſt detenta,vt in aliis corporibus. Itaque ea ſtante facilè in gracili corpore cognoſcitur pulſus:ſed vbi corpus eſt carnoſum,non ſic facile cognoſcuntur pulſus differentiæ, aut magnitudo, quemadmodum eſt dubiū in ſermone de corde calido. Nam vbi eſt tantummodo cor calidum ſine èxceſſu, aliarum qualitatum, iſtud corpus eſt ſatis carnoſum:ob id in talibus pulſus non poteſt rectè, & exquiſitè percipi:& ideo Gale. ibi tacuit. At qui habent cor frigidum, illi ſunt corporis gracilioris,temperatura enim cordis ſemper transfertur ad totum : & ſic magnitudo pulſus in talibus facilè cognoſcitur. quare meritò Galen. hoc in loco agit de magnitudine pulſus,quod noluit in temperatura cordis calidi dicere. tertium notandum eſt pulſus fieri maiores, vel minores,frequentes, veloces ab ipſa neceſsitate. Nam ſi eſt multa neceſsitas, tunc fiet pulſus

ſus magnus, velox, & frequens propter frequentiam, ac velocitatem ſecundum maiorem, vel minorem neceſsitatem euentationis in corde. At nos nunc loquimur de corporibus ſanis, in quibus ſunt inſtrumenta apta, ac conuenientia, virtus temperata, ac neceſsitas, vt in corpore, inſtrumenta ſunt varia, ac immutantur & virtus, & neceſsitas: ſed nunc ſupponendo inſtrumenta pulſus, ac virtutem, & neceſsitatem, omnia inquam hæc eſſe ſecundum naturam, cum hæc ſic ſe habuerint, dico pulſus ſemper mutari à neceſsitate. His habitis eſt modo facilè uidere, quiſnam ſit verborum ſenſus ſecundum Gal. dum dicit in frigidiore uerò pulſus ſunt minores, quàm naturæ conueniat. ibi enim eſt cor frigidius, primo fiunt minores, quod primum immutatur, eſt ipſa magnitudo. & aduertatis, quod exceſſus omnis, & defectus ſemper dicitur reſpectu temperati. primum igitur quod immutatur, eſt magnitudo pulſus, & fiunt parui pulſus. præterea ſi adhuc calor deficit, etiã neceſsitas remittitur. vnde præter paruitatem etiam fiunt parui pulſus, & ſi adhuc magis diminuatur calor in corde, adhuc magis deficit euentandi neceſsitas, & fit tũc alia differentia pulſuum, & fiunt rari, & ſic ex defectu caloris fiunt primo par-

ui, deinde tardi, deinde rari. Hæc autem expositio, sic exponitur ab omnibus expositoribus, quos omnes volui hoc in loco uidere, & illorum neminem vidi dissentire ab alio, nec prætermittere errorem vnum hic ab omnibus commissum, & quidem miror tot ingenia clarissima sic exposuisse: nam si Gale. ut sua uerba sonant, istorum & ipse etiam sic uellet intelligere, falsum diceret, & tandem esset præter rationem, & sensum, vt deinde ostendam clarius luce meridiana per ipsum Gale. & non miror de contradicentibus, qui tantum insectantur contradictiones, & non considerant essentiam rei: cur non soluant hanc apparentiam, vel textum Galen. & dico omnia, quæ dicit hic ipse esse falsa, quod vbi recedit calor à corde, & infrigidatur, fit primò pulsus paruus, quia quod primum immutatur in pulsu, est magnitudo, deinde fit tardus, posteà fit rarus. nam post magnitudinem immutatur velocitas, deinde frequentia. Dico autē hoc totum esse oppositum, quod dum infrigidatur cor primū, quod immutatur, est frequentia, non magnitudo. secunda differētia est, quod fit tardus: quia secūdo immutatur velocitas, vltimò est magnitudo, quæ permutatur, & fit pulsus paruus: & sic dico pulsum in corde frigi

frigido omnino fieri opposito modo, dum immutatur. Quid ergo dicendũ in hoc? pro quo primum est habẽda magnitudo ipsa, quid sit, & pulsus velocitas, & tarditas, ex quibus cõstituitur pulsus, vt suis differẽtiis, quę si rectè dignoscere vultis, oportet in primis scire ex quibus fiat, & constet pulsus. pulsus autem componitur ex quatuor, ex duobus motibus, & ex duabus quietibus: horum autem motuum, vnus appellatur diastole, id est, dilatatio, alius dicitur sistole id est, constrictio pulsus: habet enim motũ prius siue sit constrictio, siue dilatatio, deinde succedit quies, posteà fit alius motus, & deinceps alia quies, & sic ex duobus motibus, duabusq́ue quietibus constat pulsus. motus autẽ dilatationis, vel diastoles quid est? est dilatatio in pulsu à centro arteriæ ad circunferentiam eius; alius autem motus constrictionis, qui dicitur sistole, incipit sine cõstrictione, & à circunferentia arteriæ ad centrum eius opposito modo fit diastole, & iste motus constrictionis habet quietem in fine, & ibi sistit. quid autem est pulsus magnus? est quando fit dilatatio arteriæ vsque ad summum, ita vt non posit vlterius extendi. & ideo talis pulsus meritò dicitur magnus valde: & si varietur secundum magis, & minus, prout necessitas euentandi se habet,

bet, est ob id ille pulsus magnus, qui maximè extenditur respectu extensionis dicitur sic, & pulsus omnino magnus distat in hoc ab aliis pulsibus magnis: quia magnus habet omnes tres dimensiones: sic per oppositum pulsus paruus ille est, qui fit secundum paruam contractionem valde, & iste quoque variatur secundum magis, & minus. pulsus autem velox est ille, qui egrediendo facit extensionem suam in paruo spatio temporis, in quo non excedat eum alius motus, vel pulsus. pertransit enim magnũ spatium breui tempore. tardus verò, qui in multo tempore paucum pertransit spatiũ: frequens verò pulsus est, quãdo inter duos motus contrarios fit parua quies, ita vt vix quiescat, sed subito redit ad motum contrarium, dum quieuit. talis igitur motus qui frequens dicitur, habet quietem inter duos motus vix sensibilem, & sic iste motus habet aliquam quietem, sic per oppositum est pulsus, qui appellatur rarus, & est quando inter duos motus contrarios mediat quies magna; eam ob rem magnitudo, velocitas, & frequentia dicuntur penes mutuam necessitatem; & si est magnus pulsus, aut velox, aut frequens semper debet attendi necessitas, & paucitas temporis cum multo spatio. per oppositum pulsus paruus,

tardus,& rarus attenditur penes quietem,& paucam necessitatem. frequens attenditur penes motum cum pauca quiete,& vix habet.itaq; iam patet,quid sit pulsus magnus, quísve velox,& frequens,sicut sua opposita manifesta sunt:his modo sic visis est sciendum,stante bona cordis temperatura,ipsos motus non esse in aliquo excessu, magnus enim pulsus non est in excessu, nec velox excessum patitur, nec etiam frequens, sed moderatus, & sicuti quis ambulans suo, & debito modo non coactus, nec impulsus, nec lentus,sed debito modo: sic de pulsu temperato in nullo quidem excedit:circa velocitatem verò est velox in excessu:quia non cogitur,sed nec in frequentia excedit, quia non cogitur ab aliqua necessitate. sic ideo fuit pulsus in suis omnibus motibus, qui mouet se cum debita mensura, ita vt nullum patiatur excessum, sed si ipse pulsus impellatur ab aliqua necessitate à magna caliditate in corde,à qua oritur magna euentatio.cum hoc contingit,quid est modo primum,quod immutatur,quænam differentia?nam sunt tres differentiæ,magnitudo,velocitas,& frequẽtia. Dico primum esse magnitudinẽ in pulsu , dum calor incipit augeri:secundo si maior fiat necessitas euentandi: proculdubio tunc non fiet

magni

magnitudo,ſed velocitas, quia maior eſt facta neceſsitas.ſi autem adhuc ad augmẽtum caloris magis augeatur neceſsitas,non fit velocitas:ſed illa differentia,frequentia: ideo ex neceſsitate ſemper aucta,ſic varian tur hæ differentiæ pulſuum, & non aliter: affero vobis ſimilitudinem,ego deinde da bo rationem.ſi enim pulſus non coactus à neceſsitate, quemadmodum qui ambulat nulla neceſsitate coactus,ſed moderatè incedit,non cum magnitudine,non cum velocitate,neque frequentia ambulat:ſi modo iſte,quem audierit iubentem,oportet te feſtinare,quid eſt,quod primum immutatur in hoc progreſſu,tunc faciet paſſus longos:vnde dicere ſolemus, vulgò slonga i paſsi.hæc autem eſt differentia,quæ dicitur magnitudo in tali progreſſu:ſic fit in pulſu,dum incipit augeri neceſsitas euentandi:primum fit pulſus magnus,ſi ambulanti dicemus adhuc citò ambula,in primis faciet paſſus longos,modo audito verbo citò ambula,fit velocitas ab eo in ambulando: ſi verò adhuc magis inſtabis eum, adhuc magis properabit,& fiet ita frequens ab eo, & tunc erit curſus factus ex his tribus differentiis,& non poteſt amplius augeri vltra talis ambulatio.ſic facit ipſa neceſsitas in pulſu:primum ab ea cauſatur magnitu-

do, deinde si sit maior, fit secundò velocitas, tertiò si magis augetur necessitas, etiam augetur pulsus. Do etiam aliam similitudinem de sitiente: nam si quispiam sitiet, & vult bibere, accipit vas, & primum incipit haurire vas magnum, si non potest sitim tollere hoc modo, postea ingurgitat liquorem, & cum velocitate, vt expellat sitim. si autem & hoc satis non sit, cum velocitate postea reiterat sæpe, atq; sæpe sitim remittat. primum ergo incipit à magnitudine, secundò cum velocitate ingurgitando, tertiò cum frequentia, nec aliter procedit, sic fit de pulsu: & hæ sunt similitudines dictæ pro cognitione differentiarum à necessitate in pulsu caloris auctu. sed dicat quis, hæc non sufficiunt, quæ proposuisti? post similitudinem affero vobis rationes, & posteà in medium etiam afferemus autoritates rationis: quantum autem ad rationes horum, quid dicendum? ratio enim, quòd pulsus mutatio sic debeat esse, sumitur à philosophia naturali ipsa. scitis enim naturam in omnibus suis semper, quod melius est, eligere, & præstantius, ac breuius: quia cum ipsa agat semper ratione finis, semper ad ipsum assequendum vtitur compendio, & vera methodo in suis actionibus: & dixit semper, quòd præstantissimum est in hoc

loco.

loco. in pulſu natura quo eget? eget quidem euentatione, eò quia calor in corde eſt auctus: ſi autem natura debet eſſe ſagax, in hoc primum debet eligere, quod melius eſt ad hanc euentationem alleuiandam. in hac ſua methodo ſeruandæ ſunt tres differentiæ magnitudo, velocitas, & frequentia: ſed quam eligit ex his tribus, vt meliorem, ad hoc munus obeundum? eſt ipſa magnitudo tanquam præcipua inter has: nonne ſi debet fieri euentatio, oportet, quòd fiat attractio multi aeris ad refrigerandum cor, aliter non poſſet attrahi, niſi attractio fieret, quæ fit per dilatationem, deinde per conſtrictionem, opus eſt ideo multa dilatatione thoracis, & hoc eſt per ſe, quod debet agere dilatando, & euentando ipſum calorem: hoc enim eſt neceſſarium. incipit ergo thorax dilatari, & neceſſariò, qua dilatatione multum aeris attrahat ad cor refrigerandum, cum nihil melius, nihil cõmodius, nec facilius ſit ad refrigerationem cordis, quàm dilatare ipſum per dilatationem. Dilatatio autem eſt magnitudo, & non poteſt ea fieri, niſi fiat magnitudo etiam, & ſic videlicet quòd natura in operando pro refrigeratione cordis primum eligat magnitudinem, dum dilatat: ſi enim modo neceſsitas euentandi ad-

huc fiat maior ab ipso calore, tunc etiam fit maior euentatio necessario: & hinc oritur velocitas euentandi, & consequenter pulsus velocitas: quia si non possumus aucta necessitate satisfacere magnitudine, oportet alia scilicet velocitate occurrere. nã per velocitatem in sano corpore arguimus maiorem esse necessitatem & auctam. Si verò cum velocitate non possumus satisfacere necessitati, quia adhuc magis sit aucta, tunc oportet supplere cum frequentia, quia quod non potest facere cum magnitudine, nec cum velocitate facit pluribus viribus, & magnitudine in paruo interuallo, & est frequentia. ideo necessitate aucta euentandi tũc necessariò fit frequẽtia pulsus. primum igitur dum incipit necessitas augeri, fit magnitudo, deinde velocitas, tertiò si opus est fit frequentia. & est alia similitudo inter pulsum, & ducem oppressum: nam si sit dux aliquis obsidione oppressus ab hostibus, vt ea alleuietur, & euadat à tali periculo, quid facit ille dux: primum eligit suos bonos, & veteres milites, postea si necessitas obsidionis magna vrget, petit etiam auxilium ab aliis externis, & auxiliaribus: sic est de pulsu, & duce oppresso: cum primum incipit augeri necessitas, primum fit magnitudo, & tunc etiã dnx

dux oppressus vocat suos proprios milites: si vero necessitas augetur in pulsu fit velocitas, & etiam frequentia: sic in duce tali si necessitas obsessionis vrgeat, cum magis opprimitur, tunc conuocat etiam milites auxiliares præter suos, vt facit pulsus de velocitate, & frequentia; & hoc quidem iam ratione manifestum est, videamus modo etiam, si fiat oppositum. postquam vidimus adhuc de Augmento necessitatis quod primum sit magnitudo, secundò velocitas, tertiò frequentia, si modo deficiat necessitas euentandi, calor in corde remittitur; si cor infrigidetur debet dici in vno opposito, quod dicitur & in alio, quoniam oppositorum eadem est disciplina. Dum enim cessat, diminuitur necessitas: primum quod incipit deficere, est magnitudo, secundum est velocitas, tertium frequentia, sicuti in his verbis Gale. secundum omnes expositiones manifestum est, & hoc etiam videtur consonum rationi, quòd eadem videtur ratio esse de remissione caloris, vt est etiam de intentione eius; si sic minuitur pulsus, & sic adaugetur, etiam ratio est eadem. ergo primum dum diminuitur necessitas caloris, quod diminuitur in pulsu, est magnitudo: & isti expositores tenentes hoc habent pro se hanc au-

toritatem, in qua decipiuntur omnes. præterea sunt multæ ægritudines, in quibus hoc videtur verum: nam in his morbis, dum diminuitur necessitas euentandi ob virtutem debilem, primum quod cessat, est magnitudo, quia pulsus paruus fit: secundò cessat velocitas, & fit tardus, tertiò cessat frequentia, & fit rarus, & sic isti omnia confundunt non distinguentes, tantum confidunt autoritatibus, rem verò non intelligunt, neque ipsam animaduertunt. at si vos vultis procedere rectè, & secundum mentem Gale. opus est ex diametro tenere oppositum istorum, & eius, quod iste textus videtur seruare. vnde nos naturam rei considerantes dicimus, quòd in defectu caloris in corde, quando cor infrigidatur, fit totum oppositum eius, quod fieri solet, dum augetur calor in corde, & augetur eius necessitas, & quæ est ipsa differentia inter augmētum caloris, & defectum eius in corde, talis est: propterea quòd dum cessat necessitas euentandi, & infrigidatur cor ipsum, primum quod immutatur, est frequentia, quæ erat vltima in augmento caloris. immutatur enim frequentia, deinde si magis diminuatur calor in corde, tunc remittitur velocitas, & non est amplius ita velox, vt antea: tertiò si adhuc magis diminuatur,
fit

fit etiam minor,& remittitur tunc ipsa magnitudo. dum ergo augetur necessitas in corde caloris, primum quod immutatur, est magnitudo, secundum velocitas, tertium frequentia: dum verò fit diminutio caloris, & necessitatis in euentando, primum fit omnino oppositum. nam primò immutatur frequentia, secundò velocitas, tertiò magnitudo, demus etiam similitudinem de ambulante, dum incipit, & augetur suus progressus, vel iter primum facit longos passus, & sic primum augetur magnitudo, deinde si magis properat fit iter velox: si verò adhuc magis, fit iter frequens: ponamus modo, quòd iste ambulans, non sic properet, nec amplius currat, sed iam incipiat remittere suum iter, tunc primum quod immutatur, est frequentia in suo cursu, deinde si magis cessat, remittitur tunc velocitas, & si adhuc magis, & paulatim eat, remittitur, & dimittitur magnitudo, vel illa longinquitas passuum. vnde quando volumus quempiam paulatim, & lento gradu procedere, dicere solemus vulgò, non camina cosi forte, & sic primum fit rarus gradus in eundo, secundò tardus, tertiò fit paruus: sicut etiam dicebamus de bibente cum siti, primum bibit cum vicibus magnis, deinde si hoc

non ſufficit cum velocitate, & ſi adhuc non prodeſt hoc ad tollendam ſitim, bibit cum frequentia. econtrario autem fit dum ſitis incipit deficere, primum remittitur frequentia,& fit rarius in potu ſi magis ceſſat ſitis,deſinit velocitas,& fit tarditas:& ſi adhuc magis quieſcit ſitis,fit paruitas in potādo,& in paruo vaſe bibit.poſteà quàm in medium attulimus ſimilitudines, debemus modo rationem etiam proponere:ratio huiuſmodi eſt in eadem materia,quòd natura ſemper in operationibus ſuis,quod melius eſt,eligit, & dum dimittit,ſemper fugit maius malum.vnde malè dicunt,qui dicere ſolent de duobus malis, minus eligendum eſſe: debet enim dici maius eſſe fugiendum: ſicut natura primum eligendo pro euentatione caloris in corde dilatationem: vnde fit magnitudo; ſecundo ſi magis augetur neceſsitas, fit velocitas;tertiò frequentia.dum vero natura ipſa abiicit primum;dum diminuitur calor in corde,eſt frequentia,& tunc fit pulſus rarus.vbi verò etiam magis ceſſat neceſsitas,diminuitur velocitas, & fit pulſus tardus,ſi adhuc magis ceſſat calor,remittitur magnitudo pulſus, & fit paruus. pari modo dicendum de duce obſeſſo,dum incipit opprimi primo conuocat ſuos pro-

prios milites, si verò adhuc magis obsideatur, perit auxilium ab aliis auxiliaribus: dum per oppositum cessat bellum contra eum, primum quid facit dimittit de auxiliaribus, vt fit de frequentia in pulsu; & si adhuc magis suspicio bellandi cessat, dimittit tum omnes auxiliares externos, vt fit in pulsu cessante necessitate diminuitur velocitas: si autem tota suspicio bellandi abiit, tunc dimittit etiam suos milites, sicuti in pulsu, dum omnino cessauit necessitas, pulsus fit paruus. primum enim dum inceperat opprimi, acceperat suos milites, deinde coactus necessitate accepit auxiliares: dum verò nunc cessat obsessio, facit oppositum, quia dimittit primum auxiliares, deinde suos. auxiliares vt velocitas, & frequentia in pulsu: sui milites sunt, vt magnitudo in pulsu: hæc satis de similitudine, ac de ratione eius, quæ debent quidē sufficere. Nūc accedamus ad autoritates Gal. consonantes iam dictis, quia hæc doctrina nō est mea, sed Gal. & omnino vult esse, vt ponimus. vnde videtis in primo de causis pulsuum cap. 4. in fine, vbi de hac re disputat; nos autem dedimus rationes, & similitudines, & autoritates, quomodo fiat diuersus progressus in pulsu, dum augetur à calore, & dū diminuitur cessante calore, sed dicat

quis,

quis, si quod dicis verum est, ergo patet expressa contradictio in Gale. hoc in loco; & ibi: quid ergo dicendum? si volumus sequi recentes, qui ita confusi sunt, vt nihil prorsus intelligant: & distingunt conclusiones, dum præmissas diuidere deberent, & sic procedunt vt alij, minimè intelligant. Dico autem ego textum hunc esse falsum, soluam hanc conclusionem altero duorum modorum. IN FRIGIDIORE VERO CORDE. Posset autem quis semidoctus arguere contra sermonem suum certissimum, quomodo hic sit defectus scriptorum, dum scribunt similia cum videatur illis processus esse idem tam in augmento necessitatis, quàm in diminutione: sed quia scribit hepoteros, & cromeros, inter quæ verba duo est similitudo: Nam M sæpe ponitur pro æ, ideo potest hoc esse vitio scriptorum. præterea multi videbant probabiliter esse satis aptum, quod idem sit dicere, dum augetur necessitas caloris, & dum dimunuitur, quod semper magnitudo sit prima differentia in pulsu; quæ aut augetur, aut diminuitur. At nos non debemus sic dicere, sed aliter tolli debet ista cōtradictio: nā Gale. alibi totum dicit oppositum huius, quod facit hic. vbi? ibi huius probat oppositum. RESPIRATIO AV-

TEM

TEM SIQVIDEM TANTO THORAX &c. Dum Gal. dixit de pulsibus, dicebat respirationem esse proportionatam, & perpetuam pulsibus. Nam dum non adsit magnitudo, vel fiat, tunc nec thorax fit maior, vel minor: quia non immutatur in dilatatione, quã conueniat illi temperaturæ cordis. si magnus est thorax, necessario requiritur magna attractio, eò quia longè plus attrahit magnus thorax in parua sorbitione, quàm paruus thorax attrahat in magna: & est idem de thorace magno ad paruũ, sicut de folle magno respectu parui, eò quia thorax ipse omnino in hoc est similis ipsi folli in attrahendo aerẽ, & euentando. quanto enim thorax erit maior; tanto plus aeris attrahet cum parua attractione, quàm paruus thorax, cũ magna attractione. si verò est proportionatus cordi frigido ipse thorax, tunc extenditur, & dilatatur, quàm par sit, & vt exigit necessitas cordis. si verò thorax sit minor, tunc non erit proportionatus cordi, & consequenter non dilatabitur debito modo, sed diminutè. nam fit minor euentatio, quàm opus sit & necessariò dum est paruus, fiet illa dilatatio velocior, & frequentior. si verò non fuerit proportionatus, quia thorax, vel instrumentum maius fit, fiet dilatatio tunc ra-

rior,

rior, tradiórque: quoniam ſufficit illi magna reſpiratio. SI VERO MAIOR FVERIT, QVAM PRO FRIGIDITATIS VEHEMENTIA &c. Si thorax iſte fuerit maior, quàm requiratur in frigiditate cordis, tunc diminuetur reſpiratio, & non tantùm fiet maior pulſus, ſed reſpiratio & rarior, & tardior, & hoc erit propter inſtrumentum nimis magnum: deinde erit ſic reſpiratio propter varietatem diminutam. talis ideo erit reſpiratio in huiuſmodi pectore, cum calor, & neceſsitas non poſsint ſupplere ad magnitudinē thoracis in corde frigido. tales autem timidi ſunt, & ſine audacia, & ſegnes, & nullos pilos habent in pectore. poſtquam Gale. probauit frigiditatem cordis agnoſci, & ſumi ab actionibus propriis, & paſsionibus, hactenus egit de actionibus, nunc modo probat per paſſiones proprias cordis, hanc temperaturam frigidam, & ſicuti dixit in corde calido audaciam adeſſe, & homines cordis calidi audaces eſſe, ob magnitudinem caloris in corde, ſic dicit oppoſitum eſſe in corde frigido: quia deficit calor. Itaque ſunt ſine audacia tales. ſunt autem timidi diffidentes in omnibus: nam calor deficit, & calor eſt, qui exercet omnes operationes. ET SEGNES &c. Sicuti dixit calidos corde

de esse promptos in actionibus suis, per oppositum isti sunt segnes, habentes cor frigidissimum: nam existentibus causis oppositis, & effectus oppositi fiunt. prætereà sunt glabri, id est, nudum pilis habentes pectus, & etiam hypochondria: quoniam non adest causa, quæ erat in calidò, erant ipsi pilosi, causa enim pilorum est ipsa fuligo vaporosa adusta, sed vbi cor est frigidum, non adest talis materia, vel causa efficiens, calor. prætereà in corde frigido, meatus non sunt ita aperti, sicuti in calidis, non ideo mirum est, si in frigidis corde in pectore nec hypochondriis apparent pili.

DE EIVS VERO PARVITATE DISTINGVENDVM, VT PRIVS DIXIMVS &c. Vbi Gal. locutus est de signis frigidi cordis temperaturam indicantibus ab actionibus naturalibus generatiuis, de magnitudine, & paruitate thoracis: ideo dicit de eius paruitate &c. Dicebat, in corde calido erat magnitudo thoracis, quia thorax magnus sequirur calorem cordis, sic nunc dicit paruitatem thoracis, ad cordis frigiditatem sequi, nisi hepar obstiterit, vt etiã superius dictum est de corde calido: nam potest esse magnus thorax, non ratione caliditatis cordis, sed quia habet multam materiam, & costas magnas &c. sic hoc in loco

loco poteſt eſſe thorax paruus, non quia calor deficiat, ſed quia deficiat materia ipſius thoracis, & ſit pauca. dicebamus ſuprà, quo modo materia coſtarum incipit à cerebro, & fit ſpinalis medulla, deinde vertebræ, deinde coſtæ, ex quibus thorax conſtat. EODEM MODO ET DE TOTIVS CORPORIS CALIDITATE &c. Audiuiſtis etiam ſuprà, quomodo cor calidum faciebat totum corpus calidum, niſi hepar, aut cerebrum obſtaret: ſic & cor frigidum totum corpus reddit frigidum, niſi hepar obſtabit.

CAPVT. XXIX.

COR AVTEM SICCIVS PVLSVS EFFICIT DVRIORES, ET IRAM NON PROMPTAM QVIDAM, SED FERAM &c. In præcedenti prælectione vidimus de ſignis indicantibus exceſſum caliditatis, & frigitatis cordis, quę ſunt caliditates actiuę: conſequēter modo vult agere de ſignis indicantibus exceſſum ſiccitatis, & humiditatis in corde, quæ qualitates ſunt paſsiuæ. & primùm dicit de ſiccitate cordis, & indagandis ſignis de ſiccitate. Gal. progreditur per eoſdem fontes, vt fecit ſuperius: primum inquit, ab actionibus propriis cordis ſicci, ſecundo à paſsionibus

bus propriis, ab audacia non prompta, tertiò progreditur à dispositionibus non propriis à pulsu, & dicit, cor autem siccius &c. demõstrat enim effectum per suã causam, dum inquit, vbi cor est siccum, ibi pulsus est durus, & sic procedit à causa ad effectum suum, à corde sicco, ad pulsum durum: facit enim hoc, quia habetur respectus inter causam, & effectum si patebit causa, patebit etiam effectus, & certè nisi habueritis effectum apparentem, nec vnquam habebitis causam suam. non quidem poterimus vnquam deuenire in cognitionem causæ, vt dum videamus fumum esse effectum ignis, non sciemus etiam vnquam ignem esse causam fumi: sic dicendum de duritie pulsus, nisi enim sciremus pulsum durum fieri à siccitate, & à sicciori corde, nec etiam poterimus deuenire in cognitionem cordis siccioris: & si cognouerimus talem effectum, talem duritiem pulsus esse huiusmodi ob talem causam, cordis siccitatem excedentem: tunc dicetis, vbi pulsus apparet durus, ergo ibi cor est siccius. pro exquisita notitia horum verborum, & huius rei oportet multa annotare, vt rectè omnia consequamini. & primum debetis scire, quod hæc signa sunt salubria in corpore salubri: non enim agimus de insalubri, nec

etiam de signis neutris, sic primum diuidere debetis. nō opus est igitur mētes nostras considerare de ægris, nec de neutris, hæc sunt prælibanda, ne erretis cum recentibus, qui omnia commiscēt simul salubria cum insalubribus, & neutris. Vnde secundum ipsos, quæ hic posita sunt à Gale. non sunt vera, vt puta pulsus est durus, ergo est siccitas cordis: nam pulsus durus potest causari multis de causis, vt quando corpus est maximè affectum, vt in pleuritide, cor potest esse humidum, tamen neruus, aut arteria desiccabitur. nam sæpe accidit diuersitas in temperatura cordis, & in temperatura arteriarum, & tūc tale corpus erit aut ægrum, aut neutrum: postea potest pulsus esse humidus, cor tamen siccum, vt puta pulsus mollis ob aliquem fluxum, sed de his in præsentia non loquimur. Ideo non est dubitatio in ipsa re, sed in vestro cerebro: quoniam permiscetis omnia simul: nā si propriam tenetis materiam, non progrediemini ad alia, ideo hoc sit tantùm intelligendum de corpore salubri, quod corpus quidem cum est salubre, habet omnia sua membra salubria. ergo habet suas operationes salubres, non læsas, nec ægras, sed optimas: quoniam sanitas adest in tali corpore, & sic necessariò operationes eius sunt

sanæ. stante sanitate dicimus illud corpus esse sanum, si corpus est sanum, & suum cor sit calidum, & siccum in eo pulsus erit durus: quoniam pulsus stat in arteriis. arteriæ autem sunt agnata cordis, & ab eo veluti, à suo principio oriuntur, cùm sint ortæ ab illo, habent pulsum durum, quia ipsæ vt orta attestantur de suis principiis: quemadmodum diximus de spinali medulla, ortum habente à cerebro. quale enim esset cerebrum, talis est ipsa spinalis medulla: sic ideo quale erit principium, tale erit inquam, suum principiatum. quale erit igitur cor, quod est principium arteriarum, talia erunt sua orta, arterię, & durities semper sequitur siccitatem, quemadmodum mollities humiditatem, & mobilitas caliditatem, & semper durities sequitur siccitatem, dummodo non causetur per accidens ab vna duarum causarum, aut à repletione, vt diximus suprà, aut à congelatione, siue coagulatione, quod est notandum contra confusos. Secundum notandum est eo, quia Gal. dicit pulsum durum esse, vbi cor est siccius in corpore sano: pulsus autem durities est differentia contingens in pulsibus. & vt habeatis has omnes differentias, & exquisitã pulsuum notitiam, breuissimè audiatis siccitatẽ oppositarum.

Notetis igitur, pulſuum differentiæ ſunt cem, vel decem genera circa quæ genera verſatur medicus, ac verſari debet, in animóq; habere, nõ ſunt pauciora, nec plura, quàm decem cum debeat medicus in his inſiſtere, explicemus has omnes, quas deinde vos debetis memoria tenere, in hísque exerceri aſsiduè. oſtendi modo decem genera non eſſe plura, neq; pauciora his. prętereà vnde oriuntur hæc; ſed quia circa principium huius rei verus proceſſus erit ab ipſa natura rei, & ſuarũ cauſarum, eam ob rem ab illa incipiã: nam natura rei ibi incipit à cognitione cauſarũ ſuarum. nunquam enim poterit cognoſci natura alicuius rei, niſi prius habitis ſuis cauſis, & elementis, quemadmodum habetis primo phyſicorum. Quoniam verò de pulſibus ſermonem habere intẽdimus, primum videndæ ſunt, quænám ſint cauſæ, quis ſit, & vnde ortum habeãt, habere cupimus: cauſę pulſuum omnino ſunt tres, quarum prima dicitur cauſa finalis, hæc inquam, eſt prima aliarum, & præcipua, præterquam deinde & cauſa efficiens mouetur eligendo materiam propter ipſum finem. ergo hęc finalis cauſa eſt præcipua, & ab hac incipiendum. quænám modo eſt iſta cauſa finalis in pulſu? eſt euentatio caloris actualis in corde,

quæ

quæ ad hoc facta eſt, vt euentetur ipſe calor, ne aduratur cor, & ſuffocetur calor ab ipſomet. & ideo pulſus hac de cauſa ab ipſa natura ſunt ordinati propter euẽtationem, qua cauſa propoſita finali, deinceps efficiẽs cauſa, quæ mouetur ad ipſam, quid eſt? efficiens eſt ipſa virtus, quę mouet arteriam ad dilatationem, & conſtrictionẽ, vt fiat euentatio debita caloris, & refrigeratio in corde, poſt has duas cauſas ſequitur tertia cauſa, quæ eſt inſtrumentalis: loquor enim ſecundum medicos, qui poſſunt habere inſtrumentalẽ cauſam, licet Peripaterici reducant hanc ad cauſam efficientem: tertia cauſa pulſuum appellatur inſtrumentalis. vnde notate, ſi deficiet aliqua harum trium cauſarum in pulſu, deficiet pulſus, & nihil amplius poſſet agere: nã ſi tanta eſſet cauſa finalis, euẽtatio caloris, nihil poteſt agere pulſus abſq; aliis duabus: ſi adeſſet cauſa finalis, & efficiens, & deeſſet cauſa inſtrumentalis, adhuc pulſus nihil ageret: quod ſi deficiat quælibet vna harum cauſarum, pulſus ſemper deficiet. ergo omnes hæ tres cauſæ in pulſu ſunt neceſſariæ, finalis, & efficiens, & inſtrumentalis, quæ cauſæ appellantur omnes Græcè συνεκτικαὶ, & cauſæ contentiuæ pulſuum, & copulatiuæ, quia iunctæ copulant, & continent ipſum

pulſum. non enim ſunt diſiunctiuæ pulſuum, nec diſgregatiuæ, ſed coniunctiuæ, & hæ tres cauſæ non tantùm ſunt neceſſariæ ad pulſum faciendum, ſed ad mouendum ipſum, & ad faciendas differentias in pulſibus. nam vna variata etiam neceſſariò alia debet mutari, ex quibus tribus cauſis naſcuntur decem genera pulſuum. Quantum ad cauſam finalem, quæ eſt ipſa euentatio, ſi debet fieri euentatio in corde, opus eſt, vt fiat dilatatio, & conſtrictio. conſtrictio autem fit ad repellendum, dilatatio ad recipiendum aerem pro refrigeratione. cum autem iſta actio ad euentationem præcipuè ſit facta cauſa neceſsitatis, hinc oritur primum genus, vel prima differentia pulſuum, aut magnitudo, aut paruitas pulſus, ſecundum tamen magis, & minus, prout etiam neceſsitas erit magna, vel parua: & hoc primum genus, vt dixi, oritur à cauſa finali, quæ eſt illa euentatio. euentatio autem fit ſemper in tempore. ſi verò magis augetur neceſsitas, & cauſa finalis, tunc oritur ſecundum genus pulſuum, velocitatis, & tarditatis. cùm ergo ſemper dilatatio ſit in aliquo tempore, ſiue fiat ipſa velox in paruo tempore, vel in multo, ſemper mouetur in tempore: ergo aut in velocitate, aut in tarditate: quæ duæ ſunt differen

ferentiæ temporis,vt habetur in ſexto phy-
ſicorum: ex quo quidem tempore patitur
dilatatio,& conſtrictio. ſi autē ſit aut velo-
citas,aut tarditas,conſequenter etiā ſit ma-
gnitudo,quæ præcedit. ſi enim conſtrictio,
& dilatatio ſint veloces, fit pulſus velox, ſi
tardæ,fit pulſus tardus, & ſic iam habetis
duo genera pulſuū. ſed quemadmodū au-
diuiſtis pulſus omnis fit,& conſtat ex duo-
bus motibus, duabúſq; quietibus; ueloci-
tas autem fit, quando in pulſu inter duos
motus cadit multa quies,& ſic primum ge-
nus pulſuū eſt magnitudo,& paruitas mo-
tus. ſequitur deinde tertia differentia, vel
tertium genus pulſuū,quod appellatur fre
quentia,vel raritas pulſus,& hoc ſtat penes
duas quietes longas,& prolixas,vel breues,
cum quietes in motu poſſunt eſſe longio-
res, & breuiores, ſicut & piſi motus. vbi
enim fuerit multa quies,& longa inter mo
tus,ibi ſit tertia differentia pulſus,quæ ap-
pellatur raritas. vbi autem ſit parua,& bre-
uis quies inter motus,tunc fit idem tertium
genus,quod appellatur frequentia,& ſic ter
tium genus frequentia,aut raritas conſtat
penes quietes vel breues,vel longas: hę qui-
dem ſunt tres differentiæ, vel tria genera
pulſuum à cauſa finali,euentatione cordis,
& non ſunt plures, nec pauciores tribus:

quoniam motus in pulſu aut eſt longus,uel breuis, vel uelox,ſiue tardus, aut ſit raritas,vel frequentia penes quietes,& ſunt tres differentiæ cum ſuis oppoſitis eædem differentiæ tres·ſunt itaque tantum tres differentiæ pulſuum penes cauſam finalem, ſequitur poſtea alia cauſa,quæ eſt ſecunda, & dicitur virtus vitalis mouens arteriam,& ab hac cauſa ſecunda oritur alia differentia pulſuum,quæ erit quarta in ordine.nam agens dum agit,poteſt agere & debiliter, & validè,vt in eleuando hunc librum poteſt hoc fieri,aut cum debilitate,aut cum violentia, & validè, ſic dicendum in quacunq; actione,vel quòd validè agitur,vel cum debilitate; vnde oritur quartum genus ab ipſo agente, quod genus quartum eſt validè,vel debiliter agere.nam quando agens validè agit,& validè reſiſtit, aut ſit ſuum oppoſitum, quod debiliter agit, & delibiliter reſiſtit, & in principio cadit,vt de viro validè, vel cum debilitatione hoſti repugnante, ſic dicitur de pulſu, qui dum comprimitur digito, & reſiſtit illi validè eſt potens,& validus.ſi autem dum comprimitur non bene reſiſtit, ſed debiliter, tunc pulſus eſt debilis,& hoc eſt quartum genus ab agente ipſo valido, vel imbecilli,& ſic adhuc patent quatuor differentiæ

pul

pulſuum, vel genera quatuor: tria à cauſa finali, quartum verò à cauſa efficiente. ſunt modo tres aliæ differentiæ pulſuum à cauſa inſtrumentali. cauſa verò inſtrumentalis eſt ipſa arteria, quæ intus habet cauitatem, & extrà circumferentiam: cauitas verò arteriæ poteſt eſſe aut plena, aut vacua, quæ tamen ſecundum Galen. & veritatem contra Aeraſiſtratum debet eſſe, & eſt plena ſpiritibus tenuiore ſanguine. debet ergo eſſe plena, & ſolida, non autem vacua, & hinc oritur quintum genus, vel quinta differentia pulſuum, quæ differentia appellatur pulſus aut plenus, aut vacuus. ſumitur ergo hoc ſecundum genus à concauitate arteriæ: nam ſiue plena ſit, ſiue vacua nil refert. alia autem duo genera ſextum, & ſeptimum ſumuntur à circunferentia arteriæ: nam diximus inſtrumentum, arteriã habere intus cauitatem: extrà verò circunferentiam, quæ circũferentia percipitur tactu exterius, & dum tangitur, aut in ea poteſt percipi caliditas, vt in febre calida, & ardente, dum adeſt calor: frigiditas etiam, vt in paroxiſmis frigidis percipi poteſt, aut caliditas, aut frigiditas in circunferentia arteriæ extrà: & hæc erit ſexta differentia, quę erit, aut eſt pulſus calidus, aut frigidus. ſeptima autem differentia, quæ ab inſtrumẽ-

to ſumitur,& habetur,dicitur durities, vel molities:vnde dicitur pulſus durus,aut mol lis,prout arteria vel humida,vel ſicca erit ab ipſo corde humido,vel ſicco,& ſic iam manifeſtæ ſunt ſeptem pulſuum differentiæ:quarum primæ tres ſunt penes motum à cauſa finali,ab ipſa euentatione,primæ, inquam duæ,magnitudo,& velocitas cum ſuis oppoſitis ſtant penes motus:tertia verò frequentia penes quietem.quarta uerò differentia eſt à cauſa efficiente, à virtute vitali mouetur arteria: tres deinde aliæ quinta,& ſexta,& ſeptima ſunt à cauſa inſtrumētali,quinta ducitur à cauitate,à parte interna arterię,aliæ duæ poſtremæ à circunferentia à parte externa arteriæ: ſexta eſt aut caliditas,aut frigiditas in tactu percepta: ſeptima eſt durities, aut mollities: quæ ſeptem differentiæ ſunt veluti ſeptem prædicata abſoluta in pulſibus,non autem relatiua ſic dicta, quoniam ſecundum ſe conſiderantur hæc ſeptem. ſuntq; modò tres aliæ differentiæ,quæ quidem comparatiuè dicuntur, & ſunt relatiua,& ſecundum dici,& ſecundum eſſe,quæ tres appellantur prima æqualitas,ſecunda ordo,tertia rhythmus: quæ quidem tres differentiæ in ſe non ſunt realiter abſolutæ,ſed relatiuæ,& reſpectiuæ dictæ. Debetis autem

ſcire in motibus poſſe eſſe æqualitatem, dico in illis ſeptem differentiis iam dictis, ſed præcipuè æqualitas reperitur in illis primis tribus differentiis: quia ſunt nobiliſsimæ aliarum, & proueniunt à cauſa finali: quia æqualitas ut plurimum reperitur in tribus differentiis in magnitudine, velocitate, & frequentia, vel in ſuis oppoſitis. Aequalitas autem quid eſt? Aequalitas eſt ſimilitudo, & identitas. Aequalitas ſimilitudo, & identitas ſunt ferè idem, & ſunt ſubſtantiales. ſimilitudo enim ſtat cũ æqualitate, vt quando dico, vel plura ſunt ſimilia in qualitate, æqualitas verò in quantitate, vt quando dico, ſunt æqualia in quantitate: identitas verò, vel vnitas in ſubſtantia eſt. cum ideo æqualitas ſit in quantitate manifeſtum eſt, quòd præcipuè uerſatur circa motiones: cum enim pulſus eſt æqualis, tunc eſt differentia octaua, vel ſit in vno pulſu, vel in pluribus, omnis pulſus ſemper habet duos motus, duáſq; quietes. Aequalitas verò ſemper erit in pulſu, ſiue in vno ſit, ſiue in pluribus. Quomodo autem erit æqualitas in vno pulſu, quando dilatatio arteriæ & cõſtrictio erunt æquales: tantus enim erit motus conſtrictionis, quantus eſt dilatationis. inæqualitas autem erit, cũ erit oppoſitum, dilatatio, habeátq;

vnam

vnam mensurã,& constrictio habeat alterã diuersam.nõ enim tũc dilatatio, & constrictio sũt pares,ideo fit inæqualitas in pulsu,quia non erit eadem longitudo.sic idem dicatis de tempore,videlicet de velocitate, & tarditate:vel potest esse ista inæqualitas vel in parte,vel in toto pulsu,in parte pulsus,aut in dilatione tantum,aut in constrictione tantum,vt si primum incipit dilatari,posteà in medio desistat à dilatatione, deinde redeat ad dilatationẽ,sic fit inæqualitas in parte vna pulsus solummodo,& isti appellantur pulsus intercidentes:sicq; dicimus de opposito,quòd primùm constringatur, secundò dilatetur, tertiò constringatur, sic erit inæqualis in parte vna tantummodo.sed notate,melius ista inæqualitas cognoscitur,& manifestius,quoniã magis dilatationis differentias cognoscimus, quàm constrictionis.Nam credo differentias constrictionis agnosci non posse, inæqualitas autem in pluribus pulsibus fit,& cognoscitur sic, vt quando fit vnus pulsus æqualis,alius verò inæqualis plurium pulsuum est cum est vniformitas in pluribus, inæqualitas: quando adest difformitas in pulsibus multis; inæqualitas vt si fit vnus pulsus magnus,valius velox,alius frequẽs, & alio modo,vel vnus sit magnus,velox,

ac frequens,alius verò non sic se habeat: aut si duo pulsus sint, & fiant vno modo, alius verò videlicet tertius altero modo,& vt si sex pulsus eruni æquales vno modo,& alius,vel alii altero modo.& decem vno modo alii verò diuerso modo,& id quod dico de magnitudine,de velocitate,déque frequentia aut in vno pulsu,aut in pluribus,idem dico de suis oppositis paruitate, tarditate,& raritate,& tandem possunt esse decem millia differentiarum,& ista inæqualitas contractè est in pluribus pulsibus, appellaturq; systemaitice,& pulsus systematicus,à latinis tãquam collectiuus multarum differentiarum pulsuum: & sic uidetis,quomodo hic oritur octaua differentia pulsuum,non absoluta in se,sed ad aliquid dicta, & respectiua: hoc ergo erit octauum genus.nonum genus,vel differentia pulsuum attenditur penes ordinẽ inæqualem,& versatur circa inæqualitates inordinatas,tunc vel penes æqualitatem etiã ordinis: si fuerit æqualitas ordinata, tunc semper illa æqualitas fit eodem modo. inæqualitas autem inordinata in vno pulsu,quando semel modò in vno, modò in altero pulsu alio modo,& quod dicimus de æqualitate,& inæqualitate inordinata,idẽ dicendum de æqualitatibus,& inæqualitatibus.

tibus. sufficit autem nobis scire in præsenti genera harum differentiarũ, videlicet habere pulsum ordinatum, quis sit, & quis inordinatus. inordinatus autem sic se habet, vt posſit in infinitum variari, & dixit Arist. in lib. de sensu, & sensili non tantùm medico empirico, sed gymnastico, atque philosopho conuenire, & sic manifestum erit, quòd ordo sequitur æqualitatem, aut inæqualitatem, & paſsiones eius, & hoc de quarta differentia pulsuum. tertia differentia relatiua, vel decima exordiendo ab ouo appellatur rhythmica proportio circa hãc partem exponendam, vellem potius mathematicos hanc exponere, cùm sit proprium munus horum: ista autem rhythmica proportio, quæ est differentia decima attenditur penes consonantiã, & propterea motus tarditatis, & velocitatis pulsuũ: hæc autem proportio dicitur ab Auicena boni, vel mali ponderis: à Gale. rhythmicon, vel eurhythmum bonæ, vel malæ consonantiæ. Diu has differentias consideraui, & ita in eis fui perplexus, vt nihil circa eas intelligerem, cum eas capere non poſſem velatus maximo, ac obscuro velamine, & hoc quia nõ fui instructus ab aliquo. at ego istas differentias à me partas labore longo vos libentiſsimè doceo; eas ergo libẽter

etiam audiatis;circa hanc vltimã differentiam rhythmicam nuncupatã, & proportionatam,notate esse per metaphorã sumptam à vocibus:nam sicut omnes consonãtiæ oriuntur à voce graui,& acuta,quę sunt in medio,eæ faciunt consonantiam : sicut enim proportiones,& respectus, qui sunt inter graues,& acutas voces faciunt ipsam consonãtiam:pari modo respectus,& proportiones in pulsibus sunt & in velocitate, & tarditate : nam velocitas,& tarditas habent consonantiã,vel dissonantiã facere in pulsibus.ponuntur enim respectiuè.grauitas in voce comparatur ad motum tardum in pulsu,velox verò motus ponitur respectiuè ad vocẽ acutam;& sic pulsus erit tardus,vt vox grauis, pulsus pariter velox vt vox acuta,& sanè fiunt cõsonantiæ ex vocibus bene proportionatis. & quidẽ admodum pauci sunt,qui has consonantias assequantur. oportet in primis bonum esse medicum, si debet noscere inter has voces rhythmitatem,& cognoscere rectè,quis sit pulsus velox,quísue tardus : deinde quis sit pulsus magnus, & quis paruus, quibus ignoratis non erit vnquam posibile scire optimè ista.& vt dicit Galenus hoc erit summè necessarium in prognosticis,quoniam tota natura est rhythmica,ac plena
propor

proportionibus, & vltimũ quod remanet semper erit symmetria aliarum. atq; nihil est, quod bonũ in hac arte de pulsibus possit reddere medicum, nisi hoc: quia qui rectè hanc rythmicam habuerit proportionem, ille poterit sperare de notitia pulsuũ, si non malè. oportet itaq; primum, cognoscere pulsum velocem, & tardum: deinde magnum, & paruum, posteà facere comparationem, quoniã inter pulsum rarum, & tardũ est proportio multiplex. Si enim ita est, ut accidat multiplex proportio, tunc erit multiplex, & conueniens musica, & talis proportio erit aut duplex, aut triplex, aut tarditas ad pulsum rarum, optima erit. talis inquam proportio, & consonantia, & proportio super partiens est optima, qualis sexquialtera, quæ facit consonantiam inter velocitatem, & tarditatem pulsuum. si autem erit proportio triplex, superpartiens, hæc quidem erit imperfecta, quoniã se habet ipsa inter velocitatem, & tarditatem, quemadmodum à tribus ad quinque, vel vt à quatuor vsque ad sex, ista dicitur proportio superpartiens nõ bona vllo pacto: nam non facit aliquam proportionem, nec attendi potest aliqua consonantia, quemadmodum sciunt & ipsi mathematici. primũ enim in hac fiunt quatuor, deinde sex, non

possunt

poſſunt attendi rhythmi, ſed arhythmi. Quare qui erit bonus muſicus,& ſi cognoſcet hæc ad tactum pulſus per ipſum ſenſum, tamen nihil operabitur: itaque prius opus eſt eſſe perfectum muſicum, deinde cognoſcere velocitatem,& tarditatem pulſus,quibus cognitis differentias omnes eorum cognoſcetis,& ſi non quoad tactum; ſcietis tamen quando fuerit occaſio de his loqui,& do exemplum.nam ſic conſideratis,vt æqualitates in ipſa muſica. æqualitatas autem conſtat in ipſa voce acuta,& graui,ibi enim graues voces,& acutæ, hæ ſunt æquales.quæ autem ſunt æquales, illæ ſunt ſimiles, & voces vniformes tam in graui, quam acuto,& hæ, vt dixi, nullam faciunt conſonantiam. Diſſonæ autem voces,& inæquales,in quibus erat vniformitas,non tamen erat rhythmus, nec apparentia eius, ſed in diſſonis,quando eſt debita, eſt rhythmus tunc,vt ſunt quatuor ad ſex: hæ ſunt diſſonæ in proportione. diſſonæ autem nō habent veras proportiones,& proprias, ſed proportione potius carent. ſed in proportione ſuperpatiente, vbi eſt æqualitas, eſt quandoque diſproportio,vt in duabus octauis perfectis ſit vnum imperfectum:ordo enim reperitur in voce. nam diſſonantiæ etiam habent ordinem ,& ſeruant conſo-

nantias Dyapaſſon, & ibi erit ordo. quare quod diximus de pulſibus, idem dicatis de vocibus: pulſus tardus aſsimilatur graui, & velox pulſus, voci acutæ, & quot erũt proportiones in voce, totidem ſunt in ipſis pulſibus, & ſic æqualitas, inæqualitas, proportio, improportio, conſonantia, diſſonantia attenduntur penes voces, & pulſus, & ſic iam habuiſtis decem differentias, vel decem genera pulſuum, quæ, vt credo, puto vos intellexiſſe. COR AVTEM SICCIVS &c. Iam manifeſtum eſt, quæ ſit differentia pulſus duri. durities autem erat ſeptima differentia pulſus oriens ab inſtrumento: inſtrumentum verò erat ipſa arteria: hoc declarato hic, modo vnum quæritur, nam recentes mutantur, qui dubitant hic, quare Gale. tantum dicat cor ſiccum facere pulſum durum? cur autem tacuerit de magnitudine, velocitate, & frequentia, & de ſuis oppoſitis? præterea dubitant cur Gale. nihil dixerit de reſpiratione? ad primum dico Gal. hoc in loco non eſſe diminutum, bene aliis in locis fuit, hic non potuit aliter loqui. Notate, vt dixi, tres ſunt differentiæ in motu, magnitudo, velocitas, & frequentia, quæ ſumuntur à cauſa finali, vt probatum eſt, quæ finalis cauſa eſt neceſsitas euentandi, quæ fit, & diuerſificatur

pro

propter magnitudinem, & decrementum caloris innati in corde. ab hac autem caliditate, vel aucta, vel diminuta fiunt hæ tres differentiæ pulsus. debemus ergo has tres differentias sumere ab ipsa necessitate, quæ commutatur ad mutationem ipsius caliditatis in corde: si sic est, ergo Gale. bene dixit superius in temperatura cordis calidi: quid ergo mirum, si has tacuit hic, cum hæ tantum sumantur ab ipsa caliditate. non enim hic loquitur de caliditate, sed de siccitate: si quid Gale. plus egit de tribus differentiis illis, consequenter & ibi egit de caliditate cordis: modo non agit de corde calido hic, sed de sicco tantum, non ideo errauit, si eas tres silentio prætermisit, cum suis oppositis, paruitate, raritate, & tarditate: quænam erit, peto ab ipsis hoc, mutatio in motu, ac in pulsu? si est durus, nulla quidem: nam siccitas non debet facere diuersitatem, vt sciatis, est sic: si sit & caliditas, & frigiditas nunc mutatur in magnitudinem, vel paruitatem, nō in velocitatem, nec in frequentiam. Itaque cum agat tantum de corde sicco, omissa caliditate, non respiciens ad caliditatem, sed ad instrumentum tantum, hæc cum arteria sit, meritò egit de differentia pulsus attinentis ad ipsum instrumentum, quod quidem instru-

mentum cum fuerit siccum, pulsus erit durus: quoniam durities significat, & arguit siccitatem, vt suprà ostendimus, modò nõ fiat congelatio, aut repletio.

Cum itaque verum sit hoc, caliditatem in corde efficere necessitatem maiorem, consequenter illas tres differentias adaugeri: augebitur primo ipsa magnitudo in pulsu, deinde velocitas, postremò frequentia. si verò diminuitur ipsa necessitas, incipiunt mutari opposito modo hæ differentiæ, & diminui; nam primò diminuitur frequentia, & fit rarus, secundo diminuitur velocitas, & fit tardus pulsus, cum magis diminuitur calor. si adhuc magis deperdatur ipse calor, non fiet pulsus magnus, sed paruus, & sic erit existente corde frigido rarus, tardus, & paruus, & sic patet calore existente maximo in corde fieri pulsum magnũ, velocem, & frequentem; quoniam augetur necessitas euẽtandi. si verò sit paruus, & diminutus valde calor, fit oppositum in pulsu, vt dictum est. Hic autem cum Gal. sermonem hunc tantum de siccitate cordis instituit, siccitas autẽ nihil facit ad immutandum ipsam necessitatem, nec ipsa humiditas cordis, cum sint qualitates passiuæ: si non immutatur necessitas caloris ab his qualitatibus passiuis, ergo nec pulsus in

magni

magnitudine immutabitur velocitate, vel frequentia, nec in suis oppositis: quoniam hæ omnes differentiæ immutantur ad mutationem necessitatis. merito itaque Gale. prætermisit illas differentias tres prouenientes à necessitate, non à siccitate: quia non indicant de ipsa siccitate cordis, & tantum agere voluit de vna differentia pulsus proueniente à siccitate de pulsus duritie. Nam si siccitas extiterit in corde, faciet arterias duras, quæ sunt agnata cordis. cum verò fuerint arteriæ factæ siccæ, orta enim attestantur de principiis suis, propter cor siccum, & arteriæ duræ, & hoc est necessariò, quod siccitas arguatur, & indicetur ab ipsa duritie, modo illa durities non causetur ab aliis duabus causis, quæ sunt accidentales, à repletione, vt vter, & à congelatione, vt aqua dum fit glacies. hæ enim duæ causæ sunt per accidens, dum duritiem gignunt: quoniam aqua per se est humida, & durities per se prouenit à siccitate præter hæc duo, sicut & mollities ab humiditate, præter ea alia duo. Quare Gal. optimè dicit, dum sermonem hic habuit de vna differentia de duritie pulsus, quoniam siccitas per se facit duritiem. existente ergo corde sicco sua orta, vel agnata, arteriæ erunt siccæ: ideo nihil mirum, si pulsus fuerit durus,

& hoc tactu cognoſcitur propter cordis ſic-citatem, & hæc eſt bona ratio, quare Gale. tacuerit illas tres differẽtias primas de pulſu, quæ potius attinent ad cordis caliditatem, ad euentationis neceſsitatem, & tantum egit de quarta differẽtia, de duritie. legatis vos modo recentes in his, & videbitis, quam errent: confundunt ſe ferè ſemper, & miſcent ſigna ſalubria cum inſalubribus, & neutris. Vnde ſequi illos eſſet potius dediſcere, quam aliquid diſcere: qui non vult aberrare, oportet materias habere diſtinctas, vt ipſæmet exigunt. nam hic tãtum loquimur de ſalubribus, non de inſalubribus, nec de neutris: extat modo illud dubium contra Gal. cur omnino tacuerit de reſpiratione? Hoc in loco habetis ſcire, quod in cordis temperatura Gal. ſupra poſuit pulſus reſpirationem, quæ eſt magis propria cordi, cum fiat in corde, & in thorace, qui pulſus fit in arteriis tantum, ipſam reſpirationem hoc in loco ſubticuit. cur hic de reſpiratione tacuerit, cũ ſit cordis actio propria? Dicatis hic Gal. non fuiſſe diminutũ, imò locutum artificioſè, quemadmodum dicit Horatius Flaccus in quodã carmine, verum in opere longo &c. Nam Galen. in aliquibus, vt ardens videtur mirabilis: in aliquibus etiam videtur eſſe breuis, & man-

cus à ſua doctrina, tamē ſemper ille in hoc capite eſt diligentiſsimus. in nulla enim re deficit, nulláque abūdat, nec eſt ſuperfluus. cum autem tacuerit hic reſpirationem, dico rectè feciſſe, & non eſt, quoniam reſpiratio aut eſt maior, vel minor, vel velox, aut frequens; ſemper fit ab illis iiſdem cauſis, à quibus fit pulſus, qui fit à neceſsitate aucta, vel diminuta, prout calor in corde augetur, vel diminuitur, & conſequenter erunt illæ tres differentiæ magnitudo, & aliæ duæ cum ſuis oppoſitis. & ideo quo ad has differentias non debet ſermonem habere, cum ſe teneant ex parte neceſsitatis, ſícque non fuit neceſſarium loqui de his, ſed de quibus dicere debuiſſet, cum aliæ differentiæ ſe teneant ex parte virtutis, aliæ ex parte inſtrumenti, aliæ ſecundū quid? Cùm ventum eſt ad primam partem de differentiis pulſuum, quæ proueniunt à virtute non eſt neceſſe loqui; quoniam hæ attinent ad neceſsitatem, in corde autem ſicco nec eſt diminuta, nec aucta ratio neceſsitatis: & nos tantum de ſicca cordis temperatura loquimur, de aliis autem differentiis, quæ ad neceſsitatem pertinent, nihil hic agemus. quantū ad quartum de virtute, nec de illa eſt agendum; quoniā ſiccitas nō auget virtutem, nec diminuit eam, niſi ſit hectica

fortitudo enim pulſus, aut debilitas eſt proprium virtutis ſignum. igitur nec de hac differentia debet haberi ſermo in cordis ſiccitate, quia eam non immutaret ſiccitas: nam calida, & ſicca ſiccitas habet hominem reddere fortem, ac robuſtum, nunc enim loquimur de ſalubribus: nam de inſalubribus alia eſſet ratio. Quantum verò ad differentias pulſuum ex parte inſtrumenti ſe tenentes, vacuum & plenum, deinceps dicam. nam ſiccitas cordis non facit huiuſmodi differētias, neceſsitas facit hoc, nec durities, nec mollities: nam hæc non habent ſic agere in thorace, ſicut in arteriis, ſi cor ſiccum, & arteriæ ſiccæ, quoniam hæ proueniunt à corde: nam orta vt ſupra. ſi enim ſunt duræ, ergo cor ſiccum: & de thorace non eſt ſic dicendum; quoniam thorax non eſt genitus à corde, ſed à ſpinali medulla, quæ prouenit à cerebro: ſi cor ſiccum, ergo thorax durus, non eſt ita arguere; & ideo non valet dicere, ſicuti bene valet de arteriis, non debebat ponere differentias ab inſtrumento pulſuum in corde ſicco, ſed tantum dicat de pulſus duritie, & nō de thorace loquatur, à quo proueniunt differentiæ pulſus ex parte inſtrumenti, quod ipſi eſt inſtrumentum. quoad alias tres differentias ſecundum quid, quæ referuntur

ad motum thoracos, nec hæ aliquo pacto dependent à ſiccitate cordis, & ſic nulla erit differentia in actione thoracis, quæ hic à Gal. ſit commemoranda, quia dependent à ſiccitate cordis. quoniam hæ differentiæ iam dictæ non habent, quòd in aliquo permutentur à ſiccitate, ſed tantum ab ea peruenit durities per ſe, de qua etiam ſolummodo egit: & ſic videtis, quomodo artificioſe Gal. ſubticuerit de reſpiratione thoracis: & de magnitudine, velocitate, & frequentia cum ſuis oppoſitis dixit: & ſic patet pars capitis. ET IRAM non promptam quidem, ſed feram, & quæ non facilè ſedari queat. iam ſatisfecit primo fonti, & de ſignis cordis ſicci, quæ ſumuntur ab actionibus propriis, nunc agit de ſecundo fonte, qui ſumitur à propriis paſsionibus cordis, & inquit. ſi cor fuerit ſiccum, in eo neceſſariò erit ira non prompta, ſed talis fera erit. pro hoc annotare debetis, quòd eadem eſt ratio de corde ſicco & humido, qualis eſt de cerebro ſicco & humido: inſtrumentum enim humidum, & molle facilè recipit impreſsiones, facilèq; eas abiicit, & perdit. contrà inſtrumentum durum, quod recipit difficillimè recipit, difficillimè quoq; abiicit huiuſmodi imagines, vel impreſsiones: & hoc eſt quemadmodum dicit

Arist.in lib.de memoria, & reminiscentia de cera, & lapide, vel marmore:cera enim etiamsi facilè recipiat impressiones, facilè tamē eas deperdit,&in hoc assimilatur instrumento molli.sed contrà fit in lapide,in quo difficilè fit sculptura, difficillimè eius contrarium.cum adest,non mouetur talis impressio,& eam obrem diu durat imago: in cera autē facilè,& citò euanescit. Quare sicut in his dictis exemplis extrinsecus patet,ita dicunt isti cerebrum, & cor humidū facilè recipere impressiones, vt cor humidum facilè recipit iram, sed facilè etiā remittit eam,quam si fuerit siccum:contrà est,si instrumentum est siccum, quod dum conceperit,difficilè receptum abiicit. itaq; est manifestū ex ista suppositione secundū Gal.cor siccū habere iram nō promptam: ira enim est passio cordis,vel affectus eius, quæ in ipso imprimitur ex aliqua re imaginata nocitura,vel obuia illi.si autē cor fuerit siccæ tēperiei difficillimè imprimetur talis affectus,vel huius species:sed dū fuerit impressa,fit ita talis inepta,impia, & fera cum diu retineatur,vt nunquā talis passio in corde sicco remittatur,ni prius vlciscatur.& ideo quia cor est siccū, & fit adeò sæua hæc passio,vt isti tūc nō pareat rationi,& hæc solet dici ira ferina. hic moue-

tur

tur vnum dubium nonnullorum, & qui meritò dicunt ꝙ non videtur eadem ratio, & ſimilitudo rerum exteriorum cum interioribus. Non ſolùm dicimus rem duram difficillimè ſuſcipere impreſsionē, ſed etiā dum recipit difficillimè abiicere tam de inſtrumento interno, quā de externo vt de marmore: ſic cōtrà de humido, & molli, & tā valet extrà quā intra: ſed dicūt iſti, quænám eſt ſimilitudo inter illam ſpeciē, quæ imprimitur in anima, & illā, quę imprimitur in corpore. nam, inquiunt, hæc ſpecies, vel imaginatio impreſſa in anima, vel in animæ virtutibus non imprimitur in corde, nō in cerebro, vt ſit propria paſsio cordis, vel cerebri, ſed imprimitur in virtutibus animæ. huiuſmodi enim impreſsiones animæ ſunt omnino diuerſæ à ſpeciebus impreſsis in corde, & ſic concludunt hanc ſimilitudinem non ſtare, nec eſſe bonam. quod dicunt habet de ſimili res corporea cum incorporea. hęc ſua dubitatio ſatis apparēs eſt, ad hoc aduertatis, quod dicit Gal. in lib. an animi mores temperaturam corporis ſequantur, ſi animus recipiat ſpecies, non tamen recipit, niſi corporeas, ita vt ſpecies recipiantur à parte corporea, & vult ibi, quòd calor innatus eſſet anima, & ſi non eſſet anima, ſaltem eſſet inſtrumen-

tum

tum proximum animæ, voluítque ibi spiritus recipi in corpore, non in anima, & voluit virtutem esse in corde, vel in corpore, quæ virtus separari nõ potest sine ipso corpore. ergo quid sit hoc, non dicemus amplius de anima humana, cum supponamus secundum medicos, quòd huiusmodi species non possunt esse, nec imprimi, nisi in corpore, in quo est calor. licet enim res quæ recipitur sit incorporea, & intentionalis; tamen recipiens est corporeum, & reale, & talis species non potest in eo recipi, nisi secundum dispositionem corporis: & si sit intentionalis illa species, & spiritualis, & queadmodũ lumẽ solis est exemplũ ad intelligẽdum, quomodo hæ species recipiantur in corpore? lumen sit, vt species, species hæc est sensibilis, visibilis, & nulla est specierum melior ad probandum hoc, quam lumen solis: lumen solis recipitur in rebus corporeis, quod dum est spirituale recipitur intentionaliter: non enim recipitur naturaliter, vel corporaliter, sed intentionaliter, vt diximus, & si recipiens, vel corpus sit reale. ponatur ergo istud lumen solis actu adesse, & sit vnum corpus lucidum, & molle, vel rarum, tunc illud lumen parum adest, nil moratur quin ingrediatur tale corpus, imò facilè species illa lumi-
nis

nis ſplendet hic & illic. ſi verò erit corpus ſolidum, ac denſum tunc ibi lumen non penetrat intus, ſed ibi perſtat, neque ingredi poteſt: ſic dicendum de ſpecie, quæ recipitur à virtute corporea humana, quæ virtus eſt calor naturalis, aut anima humana: vbi enim fuerit corpus humidum, tunc facilè ſpecies imprimitur in eo, facilè etiam ab eo recedit: non enim poteſt retinere diu, cum ſit molle. vbi autem corpus fuerit ſiccum & durum, ſpecies, quæ ab eo recipitur ſi diu ſtet ad hoc obeundum, tamen diu quoque ibi perſtat. & Ariſto. ſeptimo phyſicorum inquit, quòd anima humana tunc reſidet, quando eſt quieta ab omnibus accidentibus, & paſsionibus. Dicebamus etiam ſuperius de mente Ariſto. quinto de generatione animalium capite primo, dum agitatur oculus, tunc non poteſt rectè videre, vt patet ſenſui, quia patet quod ſiccitas facit ſtabilitatem, & firmitatem: humiditas verò facit mobilitatem, & flexibilitatem. & ideo ſpecies in corde receptæ, dum ſit ſiccum, diu retinetur in eo, & ſi illa ſpecies non ſit corporea, tamen ſecundum materiam corporis, in quo recipitur, illa fiet melior, vel peior, vel longioris, vel breuioris permanſionis in eo: melius autem de his docturi ſumus, & quæ

non facilè ſedari queat; quoniam læſio adeſt. dum enim animus re mutatur, & in dubio eſt, facilè huc atq; illuc impellitur. vbi enim ſpecies in corpore humido fuerit impreſſa, facilè labitur, ſi attollitur. ideo Gale. optimè dicit hic, quod in corde ſicco ſit ira, quæ etiamſi non prompta ſit, non tamen facilè ſedatur. MAGNA EX PARTE VNIVERSVM CORPVS SICCIVS EXISTIT &c. His viſis iam ſatiſfecimus duobus primis fontibus, modo agam de tertio fonte, qui ſumitur à diſpoſitionibus thoracis, quæ diſpoſitiones oriuntur ab actionibus naturalibus generatiuis: omnia enim ſigna, vt toties diximus, ortum habent ab actionibus, & paſsionibus. actiones autem ſunt in triplici differentia in ſummo genere: nam aliæ ſunt animales, aliæ vitales, aliæ verò naturales. iſte autem tertius fons oritur ab actionibus naturalibus generatiuis. At naturales actiones ſunt in duplici differentia: nam aliæ ſunt generatiuæ, aliæ nutritiuæ. De nutritiuis nũc ſermonẽ nõ habebimus, ſed de generatiuis ſolũmodo. At, vt alias dicebamus, hæ actiones naturales nulla habẽt ſigna ex ſe, niſi ex operationibus ſuis, ſuiſue effectibus: per ipſa excrementa patet qualéſnam ſint, an bonæ, vel malæ: ratio

huius est, quod non ex se cognoscuntur, nisi à suis operationibus, quoniam sunt occultæ: non enim possumus videre virtutē concoctiuam oculis, quomodo concoquat, an bene, vel malè: nec ratio, nec aliqua harum trium, nisi per sua excrementa: nam si fuerit bona concoctio, & bona expulsio, bonæ etiam erunt duæ primæ naturales virtutes. an verò concoctio sit bona, an mala hoc cognoscitur ab excrementis, dum excrementa sint naturalia, vel præter naturam, & sic harum fit cognitio per accidens, mediantibus suis operationibus. non autem per se: quemadmodum animales, aut vitales cognoscuntur, vt in videndo, sentiendo; sed naturales non sic ex se cognoscuntur, sed per accidens. per sua opera, videlicet per sua excrementa. Itaque Galen. harum naturalium virtutum tantùm ponit suas operationes, vt in earum cognitionem deueniamus, & dicit magnáque ex parte &c. Diximus superius temperaturam totius sequi ex temperatura cordis. sæpe enim accidit, quod si cor est siccum, dicit Gale. etiam totum corpus reddatur siccū. sequitur igitur temperatura totius ad temperaturam cordis, qualis fuerit vt plurimum, & dicit magna ex parte: per hoc enim dictum facit exceptionem, quoniam non semper est verum

verum dicere, ꝙ totius temperatura sequatur ad temperaturam cordis; sed magna ex parte. Nisi enim aliquid obstarit, vt hepar. TOTVM CORPVS SEQVITVR CORDIS TEMPERATVRAM, NISI HEPAR VEHEMENTER OBSTITERIT &c. Pro intellectione horum verborum, vt melius inferius dicemus, vbi de resistentia hepatis ad cor loquemur, debetis scire, quemadmodum cor est fons, & principium vitæ, & caloris naturalis: qui calor in ipso corde tantùm est actualis, & forma caloris complexionalis. Nam iste calor cordis habet influere super omnia membra alia eius calorem. Quoniam calor in omnibus aliis membris, preterquam in corde, est in potentia, & complexionalis respectu caloris in corde: quia ibi verè est actualis, in cerebro, in hepate, in ventriculo, & vbique est in potentia, & complexionalis, & est veluti materia quædam, vt in brachiis, manibus, pedibus &c. & si eis sit calor proprius, non tamen est actualis in eis. Nam membra nihil quicquam ex se agere, nec perficere valent, nisi ratione caloris in corde, à quo suffragantur, quia est actu quemadmodum est videre per ipsum Gale. septimo de placitis Hippocratis, & Platonis: iste enim calor solus in corde est,

qui

qui auxiliatur omnibus aliis membris, quia actualis. neminíque dubium est & secundum philosophos, & secundum medicos, calorem innatum esse causam, & principium vitæ, quo quidem cessante cessat virtus, & vita: oportet enim, vt ad membra omnia, calor complexionalis in eis existẽs influat cõtinuè à calore cordis. Nam si vis, quod calor sit complexionalis in omnibus membris, pręterquam in corde videas, quia si brachium sit læsum, adhuc vita durat: si hepar lædatur, etiam viuit homo per tempus, dummodo reliquũ corpus sit sanum: sic dicendum de cerebro, & de aliis membris. At si vix cor lædatur, tunc statim deficit vita, deficiunt omnes spiritus, omnésq; actiones vitales: & sic corrupto corde, totũ etiam corpus corrumpitur. Nam non est amplius tunc calor in corde influeus, nec actuans calorem complexionalem cæterorum membrorum, qui habet influere vitam toti per influentiam ipsius cordis. ergo calor est, qui actu dat vitam aliis membris, & tam diu fit ista actio, quãdiu membra alia recipiunt calorem ab ipso corde, omnia ideo membra habent vitam à corde, non alio à quo illustrantur continuè. & sic patet, quod temperatura totius maxima ex parte resultat à calore, vel à temperie

cordis. Dicit Gale. magna ex parte: quia si cordis calor non erit sanus, vel magis auctus sua temperie,& cũ siccitate, tunc etiam totum redditur siccius. Nam siccitas est, vt lima caloris, quẽadmodum humiditas obtundit ipsum. cum ergo sic sit quod calor magna ex parte in corde dicit actum corporis, corde existente sicco corpus totum siccum erit,& hoc maximè cõtingit in hecticis,& præcipuè in pestilẽtibus. Diximus anno elapso quemadmodum febres hecticæ, & pestilentes pendent à putredine maxima in substantia cordis existente: in his enim febribus,& consimilibus cor redditur adeo siccum cum putredine,& totum corpus per consequens adeò siccum, & gracile, vt tabescat, & per tres, aut quatuor dies ad summum decedat è vita. vnde Hippocrates rectè posuit signa de putredine tali sic: sic etiam si contingat siccitas cordis in corporibus sanis in corde,& totum erit siccum: sed non semper, nisi magna ex parte, & bene sic dicit Gal. quia fecit exceptionẽ: nam hepar potest multum obstare, & sic tunc non erit vera regula, quòd existente corde sicco, siccum reddatur totum. nam si hepar obstabit valde, à quo, & in quo generatur sanguis, ex sanguine nutritur animal ipsum, quia ex sanguine gignũtur ipsi spiritus.

ritus,& calor innatus, & corpus miſtum ex quatuor qualitatibus: ideo naturalis calor ex ſanguine generatur, ſed materialiter, non autem formaliter,& ſic etiam ibi materialiter ſpiritus gignuntur ab ipſo ſanguine, & deinde calor innatus, & ſpiritus poſtquam materialiter facti ſunt ex ſanguine,fiunt formaliter. Nam formam accipiunt non à materia, niſi diſpoſita, quia nulla poteſt eſſe forma à materia, niſi ſecundum diſpoſitionē ipſius materiæ.oportet inquam quòd talis actio fiat ſpirituum caloris ſecundum proportionem,& diſpoſitionem materiæ.ſi enim hepar facit hanc materiam,ſanguinē,heparq; ſit valde humidū, ſanguis ab eo genitus erit humidus: ſi ſanguis humidus,ergo & ſpiritus,&calor naturalis humidi: hoc enim manifeſtum, quod ſi hepar eſt valde humidum, ſic erit ſuus ſanguis, & ſic calor, & ſpiritus humidiores.debetis ſcire, quādoq; corpus dū eſt ſanum ratione hepatis vehementer humidi reddi humidū:quoniā formę perficiuntur à diſpoſitione materię.ſi ideo hæc ſe habent vt hepar ſit valde humidum,tunc vehementer reſiſtit cordi ſicco, quoniā hepar humidum præſtat materiam talem,vt obſtet,& formæ ſecundū materiam diſponuntur: vnde neceſſariò ſequitur, quòd totum

reddatur corpus humidum ex humiditate hepatis, si hepar maximè excesserit per humidum, & sciatis quod hepatis humiditas debet esse quam maxima, & in multo debet superare cordis siccitatem, si totum debet fieri humidum: quoniam si humiditas hepatis, & siccitas cordis æquentur, nihil ageret illa humiditas in cor siccum: nam adhuc superaret cordis siccitatem. & ideo si totum debet reddi humidum, opus est, quod humiditas hepatis adeò sit maxima, vt maximè superet. Vnde si ita erit quamuis cor fuerit siccum, tamen totum erit corpus humidius ratione hepatis, & sic valebit, quod aliquando possit esse humidum totum corde existente sicco.

CAPVT XXX.

CORDIS VERO HVMIDIORIS SIGNA, PVLSVS MOLLES ET MORES AD IRAM QVIDEM PROCLIVES &c. Si omnes essent prouecti hoc in loco quidé multa tacerem, quæ hodie sum dicturus. Iam sunt omnia manifesta, tum propter iuniores, prouecti estote patientes. vidimus in præcedenti lectione de signis cordis sicci indicantibus excessum siccitatis, nunc modo agit de signis indicantib

cantibus excessum humiditatis in corde, quæ opponitur siccitati. ergo & sua signa contraria erũt signis à siccitate, & omnino erit ratio cõtraria inter humidũ,& siccum, superius etiã dum ageret de siccitate cordis dixit, quod habebat pulsum durũ,hic vero dixit, pulsus est mollis &c. & incipit volẽs ostẽdere quod sit cor,vel excedẽs in humiditate à propriis operationibus cordis, qui est primus fons indicans de signis. debetis enim semper præ oculis habere illos tres fontes indicãtes de signis. vnus est propriarum actionũ,secũdus est propriarũ passionũ,tertius est de virtutibus naturalibus generatiuis, vel vt alio modo dicamus de dispositione thoracis, quæ genita est ab aliis virtutibus naturalibus. Quãtum ad primũ fontem,ad actiones proprias cordis,quãdo cor erit humidum, tunc pulsus erunt molles,& hæc aliàs probata sunt. nam diximus duritiem, & mollitiem se tenere ex parte instrumenti, arteriarum, & dicebamus, si cor esset siccæ temperaturæ,quod sua orta, arteriæ erant duræ,quoniam orta attestantur principiorum naturam,& semper nunc loquimur de corporibus sanis. pariter vbi est cor humidum nullo impediente, arteriæ erunt molles, ergo sui pulsus, quoniam mollities oritur ab humido. ratione

instrumenti, vbi cor siccum, ibi arteria dura: ergo pulsus etiam, & ratio est, vt diximus, quia orta attestantur de principiis. Nã arteriæ habent suum ortum, vel principiũ in corde, quale cor, tales arteriæ in suo corpore, & vbi cor erit humidum valde, vt excedat in ea qualitate, eius pulsus erunt molles ratione instrumenti, & necessariò, & mores quidem ad iram procliues. secũdus fons à passionibus propriis sicut supra quomodo dicebamus vnamquamq; substantiam recipientem impressionẽ, quod si esset humida, hæc facilè reciperet impressiones: sed facilè quoque eas abiiceret: oppositum autem omnino accidit in substantia sicca valde, quoniam ea est difficillima ad impressiones suscipiendas, sed dum eas susceperit diu ipsas retinet. cum itaque hæc dicta sic se habeant, facillimè modo est videre, quemadmodum in corde humidiori citò fiat ira, quę est passio, & velociter imprimitur, & pariter etiam in eo citò huiusmodi passio aboleatur. ET VNIVERSVM CORPVS HVMIDIVS EXISTIT &c. Duobus iam satisfecit fontibus signorum Gale. & ab actionibus propriis, & de passionibus, hac in parte modò ponitur tertius fons de dispositione thoracis, quæ prouenit à naturalibus actionibus generatiuis.

Quomo

Quomodo autem totum corpus reddatur calidius ratione caliditatis in corde nullo impediente, vt hepate vehemente, sic totũ vidimus posse reddi siccius ratione siccitatis in corde excedentis, nisi hepar obstiterit. Diximus autem quomodo hepar resistat cordi: sic enim potest resistere humiditate cordi, vt totum fiat humidius, sed rarò. SECVNDVM VERO CONIVGATIONEM QVALITATVM PRIMARVM VITIOSI CORDIS TEMPERATVRAE ITA SE HABENT &c. Egimus hucusq; cum Gale. de intemperaturis simplicibus cordis, nunc modo hoc expleto vult aggredi de compositis.

CAP. XXXI.

CALIDI ET SICCI CORDIS PVLSVS SVNT DVRI ET MAGNI &c. Et primum incipit à corde calido, & sicco similiter compositis; calidi & sicci cordis, & meritò in primis ab his, quoniam dum de his simpliciter ageret, primũ in qualitatibus actiuis egit de corde, deinde in passiuis egit de sicco primum incipit enumerare signa huius temperaturæ compositæ, pulsus duri sunt; & magni &c. & iste est fons primus signorum à propriis cor-

dis actionibus:vbi enim excessus erit caliditatis,& siccitatis in corde,illi pulsus duri,& magni sunt,vt ait Galen.& veloces,& frequentes,vt iam supra audiuistis,quo modo tres pulsuum differétiæ sumuntur à causa finali,videlicet à necessitate caloris,quæ necessitas fit à calore cordis,dum augetur. Nam aucto ipso calore augetur & necessitas,quia semper ipsa augetur ad augmentum caloris in corde.si diminuitur calor, etiam necessitas,vt ostendimus,quomodo aucta necessitas supplebitur illis tribus differentiis pulsuum essentialibus,quarũ prima est magnitudo pulsus,in qua fit dilatatio,& constrictio:qua quidem dilatatione multum de aere attrahitur pro refrigeratione cordis.vbi enim caliditas est aucta, quanto magis augetur,tanto magis magnitudo etiam augetur ab ipsa necessitate.Nã opus est multa extensione ad refrigerandum cor,& ad hoc agendum natura primũ eligit magnitudinem, quæ si fuerit sufficiens,nõ additur,nec suprà euenit alia differentia,vt velocitas,nec frequẽtia:sed ipsa magnitudo sufficit.Diximus autem superius,quomodo magnitudo tantum sufficiat indilatatione thoracis pro euẽtatione cordis.sed si caliditas sit iuncta cum siccitate; tuncilla caliditas est magis aucta,& vehemens,

mens,quam si per se foret, vel quam si esset cum humiditate. Nam siccitas est,vt lima caliditatis,& ipsius caloris,ideoq; iuncta siccitate ipsi caliditati tunc non sufficit ipsa magnitudo,nec dilatatio thoracis,nec respiratio ipsa, sed debet addi necessariò alia differentia,quæ suppleat primæ,eique sufficiat,quoniam vt diximus, non sat est motus dilatationis solus,sed & supplet cũ velocitate, quia ratione iunctæ siccitatis maximè aucta est caliditas.& consequẽter necessitas.ergo cum aucta sit necessitas,& ipsa magnitudo supplere nequeat,ei auxiliatur velocitas,quæ est secunda differentia pulsuum. si autem nec natura possit ei necessitati auctæ cum suis differentiis duabus supplere,posteà subuenit ei cum altera,quæ est tertia differentia,& dicitur frequentia. vbi enim non sufficiunt duæ primæ,supplet & ista tertia differentia,& sic funguntur officio suo.& quoniam omnia hæc declarauimus, ideo non multa indigent declaratione. sciatis, in corde calido & sicco valde per compositionem pulsus erunt duri,& veloces,& magni,& frequentes,etiam ratione siccitatis,duri;caliditatis verò magni,veloces,& frequentes,dum sit summa caliditas,sunt maiores,& velociores,& frequentiores,quàm si esset sola cali-

ditas tātum excedens.& ideo si quis erit sanus,& habeat magnam necessitatem euentandi caliditas cordis,ibi est caliditas magna,& siccitas.Et eam ob rem pulsus erit durus, magnus, velox,& frequens.sed hic aliquis dubitaret,quoniam ibi supra locuti sumus de caliditate cordis tantum,diximusque de velocitate,& de frequentia;de magnitudine autē nihil diximus,quia Galen.tacuit ipsam magnitudinem.cur ergo hic quoq; nō tacuit eam,ponit tantum hic magnitudinem,vbi loquitur de caliditate & siccitate simul:debebat enim & hic silere de magnitudine. Nam siccitas videtur deprimere magnitudinem:sicci enim corde habent pulsus duros tantum,nō autem faciunt ipsi quid ad magnitudinem pulsus, imò potius debent esse minores. Ad hoc notandum,quod dicebamus in corpore sano,in quo sit caliditas excedens, quod necessariò pulsus primū sit magnitudo,antequam fiat velocitas,nec frequentia:oportet enim quod præcedat magnitudo.Quare autem ibi tacuit ipsam magnitudinem, ratio est,cum ibi in corde tantum abundat caliditas,& vt dictum cor calidum nullo impediente habet sic reddere totum corpus calidum:talia autem corpora,vt habetur secundo de temperaturis,sunt carnosa

satis,

ſatis, & boni habitus, & ſatis muſculoſa: atque in iſtis cooperiuntur arteriæ,& latét. Vnde in talibus corporibus magnitudo pulſus nõ bene percipitur. præterea ſigna indicantia de tali, vel tali temperatura debent eſſe manifeſta, non latentia, quia ibi magnitudo non erat manifeſta, eam prætermiſit ſilentio, cum non pateat, in his in quibus ſolum caliditas in corde excedat. Nam, vt dixi, habent multum carnis, multos muſculos, qui tegunt arterias, ſed in his tantum velocitas, & frequentia cognoſcuntur, ideo de his bene ſermonem habuit ibi, quæ immedietatè ſequuntur ad magnitudinem, vbi actiones non ſint impeditæ. At vbi fuerit caliditas cordis cum ſiccitate, ibi neceſſariò adeſt gracilitas corporis, non multa caro, & ſunt parui muſculi, & arteriæ ſunt valde detétæ, & manifeſtæ. ſi enim verum eſt, quod ad temperaturã cordis ſequitur temperatura totius, hoc corpus quidem erit gracile, non cornoſum, & in ipſo bene percipitur magnitudo pulſus, quoniã aucta neceſsitate primum percipitur magnitudo, quæ non poteſt percipi in calido tantum. cur autẽ iſti, qui ſunt calidi, & ſicci corde, ſint graciles corpore, hoc patet ratione ſanguinis ſui, qui eſt durior, & feruentior. In iis enim natura reſpicit præcipuè

face

facere excrementum de ipſo ſanguine,& expellit,& non bene nutrit:& ideo iſti ſunt graciles.prætereà qui habent cor calidum, & ſiccum valde tales habent caliditatē maximam innatam igneam complexionalē aliorum membrorum.prætereà eſt tertia ratio, quod iſti calidi & ſicci corde ſunt promptiſsimi,& nunquam quieti, ſemper in perpetuo motu,continuè quid moliuntur & animo,& corpore;qui motus exceſsiui plurimum exiccant:& ob id redduntur graciles iſti.poſtremò iidem habēt humores valde tenues, & poros ſatis latos: vnde patiuntur multas difflationes,& euaporationes. Vidiſtis autem quomodo ob quatuor cauſas,qui habent cor calidum & ſiccum,ſint graciles,& nō carnoſi,ideo in his bene percipitur magnitudo pulſus,velocitas,& frequentia,& qualis eſt pulſus in his, talis etiam correſpōdet reſpiratio per thoracem:diſtant enim tantum in inſtrumento.ſi nanq; thorax eſt magnus, etiā pulſus debet reſpondere reſpirationi, quia ſi thòrax magnus, ergo reſpiratio magna, ideo pulſus debet eſſe magnus.ſi thorax fuerit conueniens pro calore exiſtente in corde, tunc etiā reſpiratio erit cōueniens. Num dilatatio magna nō eſt,niſi à magno inſtrumento:ſi paruum,continget quod tantum dimi

diminuetur de magnitudine, quoniam nõ posset bene dilatari thorax, nec consequenter euentatio sua potest cum magnitudine supplere: quia paruum est instrumentum; tantum autẽ supplebit cum velocitate, ac cum frequentia. Itaque dicit, si thorax est æqualis ad caliditatem cordis, & ad euentationem, tunc eædem erunt differentiæ pulsus, & sic in respiratione, vt æqualiter augeatur magnitudo, velocitas, ac frequentia. si autem fuerit paruus thorax, tunc modo proportionali ad euentationem, diminuetur ipsa magnitudo: quoniam non poterit recte dilatari, sed quò maiores fient pulsus illi; eò velociores, ac frequentiores: & ideo dicit thoracem nõ auctum proportionaliter. si thorax non est proportionatus ad necessitatem cordis, fiunt pulsus parui, sed velociores, ac frequentiores, & ob eam rẽ distant ipsi à pulsibus, in quibus thorax est proportionatus cordi. HI VERO PRAE CVNCTIS PECTVS HABENT MAXIME HIRSVTVM, ET ILIA &c. Iam diximus superius dispositionem thoracis fieri, & esse ab operationibus naturalibus generatiuis, à quibus oriuntur dispositiones, quæ sunt affectus apparentes. Hic enim ponit Galen. tertium fontem, vt patet, signorum. si enim apparebit in thorace, vel

vel in pectore multitudo pilorum, & circa hypochondria signum est caliditatem excedere cum siccitate, à quibus oritur pilorũ multitudo ob causas iam dictas, à quibus sunt pili: de quorum materia dictum fuit. deinde non est causa efficiens, quæ est calor vehemens, & intensus. tertio oportet, vt pili oriantur, vias & meatus esse apertos, & in debita mensura: vbi autem fuerit caliditas, & siccitas in corde cõueniunt ibi omnes hæ causæ pilorum. primum materialis causa adest, deinde calor vehemens, deinde sunt debiti pori, & debito modo ampli, cum adsint omnes pilorum causæ, ibi necessariò debet esse pilorum multitudo, ac etiã pilorum robustorum. non enim tantũmodo sunt multi, sed etiam validi, ac robusti: quia materiæ suæ omnes sunt bene disposítæ, ac validæ, & pori debito modo ampli.
AD ACTIONES AVTEM PROMPTI SVNT &c. A proprijs enim passionibus cordis sumitur hic caliditas excedens in corde: vbi enim quis fuerit iracundus, & subitus ad iram, ad vindictas, & terribilis, aut audax, & ita vt vergat ad imprudentiam, & in passionibus huiusmodi perseuerans, tantum debetis arguere ab his proprijs passionibus, hunc esse calidum & siccum in
cordis

cordis temperie: caliditas quidem, quæ eſt vehemens & eſt effectrix efficit huiuſmodi affectus omnes., & non ſolum hoc eſt verum de virtutibus vitalibus in corde exiſtētibus, ſed etiam de animalibus tam interioribus, quam exterioribus, & de virtute motiua. pariter idem dicendum & de naturalibus actionibus. qui habent hepar valde calidum, hi non tantum concoquunt, imò vrunt alimentum. vbi caliditas erit in corde excedens, ibi ſuæ operationes excedent, & erunt fortes: vbi autem erit diminuta caliditas, ſic & ſuæ actiones diminuuntur, vbi adeſt maximus calor in corde cum ſiccitate, ibi adeſt conſtantia animi, audacia, iracundia &c. & has paſsiones diu retinent. Quare iſti calidi, & ſicci corde non tantum ſunt iracundi, & audaces, ſed etiam imprudentes, habéntque mores tyrannicos, & omnia volunt ſibi arrogare: ſicut per oppoſitum qui ſunt frigidi cordis, ſunt puſillanimes, timidi, non audaces, ſegnéſq; & neſciunt loqui. at qui calidi & ſicci ſunt adeo constantes, & maxime ſibi cõfidũt, vt putẽt omnia ſe rectè habere, quæ faciunt, & ipſi ſiunt tyranni, qui in ciuitatibus extrema omnia vi agere volunt, & hoc à ſumma cordis caliditate, & ſiccitate, ſunt inquam, & faciles ad furorem, non tamen facilè remit

lè remittunt iniurias, bene facillimè faciũt isti cum sint iracundi, & ira nihil aliud est, nisi furor breuis. Quare non tantũ irascuntur, sed etiam faciunt, vbi quid concupiuerint. sed per contrarium ira, & mala dispositiones, & hæ passiones in his non facilè abolentur. DE TOTIVS AVTEM CORPORIS TEMPERATVRA, ET THORACIS AMPLITVDINE HIS, QVAE ANTE DIXIMVS &c. Dicebamus superius, quod cordis temperatura magna ex parte & reddit corpus totum tale, & assimilatur ei totius tẽperatura, nisi hepar obstiterit. Declarauimus enim hoc in superioribus, in sequẽtibus etiam declarabimus, ubi agemus de resistentia hepatis ad cor. Dicebamus quomodo vehemens, ac magna hepatis dyscrasia, & cor calidum & siccum, & hepar frigidum & humidum valde pugnent inter se: ostendemus etiã hanc hepatis tẽperaturã, quomodo contra agit cordi. Dicit Gale. corde existente calido & sicco, etiã totum fore tale, nisi hepar obstabit, & inquit, quod magnitudo thoracis prouenit, & oritur à cerebro, & sic de reliquis iam dictis quale fuerit cerebrum, sic & thorax vel magnus, vel latus, vel strictus, & cõsequenter secundum proportionem thoracis fiunt variæ respirationes, & inspirationes.

CAP. XXXII.

SI VERO CALIDITAS VNA CVM HVMIDITATE DOMINABITVR, MINVS QVIDEM HIS, QVOS ANTEA DIXIMVS &c. Tangam vnum verbum de his. Gale. volens tradere hanc temperaturam primum incipit à diſpoſitionibus thoracis genitis ab actionibus naturalibus generatiuis: iſta enim ſunt ſigna ferè ſimilia iam dictis, & ſequentia ſigna iam declarabat: & vbi fuerit caliditas, & humiditas ſimiliter excedentes in corde, nō ſunt pili, quia pili tantum ſequuntur caliditatem: ſed iſti ſūnt calidi, & humidi, ideo nō habent pilos, quoniam materia pilorum eſt aduſta, & fuliginoſa. ſic à caliditate, vbi modo eſt humiditas cum caliditate iuncta in corde, materia pilorum aduſta non erit, ſed mollior: & eorū mores molliores ſunt. cauſa ideo efficiens pilorum in talibus eſt minor, & non ſic aduſta, vt in caliditate tantum, ſed adeſt blanda, mollis, & ſuauis: & ideo ſi fuerint, aderunt admodum pauci. At videtur vnum dubium hic cum Ariſto. in quarto meteororum, aduſtio fit à caliditate, & ſiccitate, elixatio verò à calido, & humido, ſed elixatio etiam habet multos pilos, ideò quia hic etiam adeſt calidi-

tas,ergo & hic debent esse pili multi. Notate pro responsione ad hoc: non enim debetis credere, quod caliditas tantum possit sine siccitate generare pilos, quoniam caliditas sola manens nō est maxima, nec multi excessus, & si sit maior, quam caliditas temperata: ratio autem est, quia caliditas fit multa iuncta cum humiditate, non quod sit maxima per se sola, quoniam si esset maxima sola caliditas, hoc esset contra Auer. & ista exiccaret. & notate, Auer. male arguit contra Gale. qui dixit temperaturam humidam, & calidam non dari caliditas ergo sola non est multum intensa, sed iuncta cum siccitate est maxima: iuncta etiam cum humiditate est magna: quia si non esset magna, & maior, quam est, si sit sola destrueretur talis caliditas ab humiditate omnino, non tamen adeò est intensa caliditas cum humiditate iuncta, sicuti quando est iuncta siccitati: nam tunc est valde acuta. Et Gal. comparat has duas temperaturas caliditatem cum humiditate, & caliditatem cum siccitate ad pueros, & ad iuuenes in secundo de temperaturis, quoniam calor iuuenum est maior, quam in pueris: quia ipsi habent caliditatem cum siccitate; pueri verò cum humiditate. cum ergo caliditas cum humiditate est satis ignea, & maior,

ior, quam caliditas sola, ideo tales habent quid de pilis, non tamen illi pili sunt ita, & tanti quemadmodum in calidis, & siccis. Itaque dicit minui quidem his, quos anteà diximus &c. AD ACTIONES VERO NIHILOMINVS PROMPTI &c. Arguit modo Galen. à propriis passionibus cordis, & est secundus fons signorum, & inquit hos nõ esse minus promptos, quoniam in eis caliditas est satis valida, & si non ignea, quæ quidem caliditas non deficit in suis actionibus: licet enim isti calidi & humidi sint pares in actionibus suis cum calidis, & siccis corde, vt in confidentia, tamẽ isti non sunt ita pertinaces, & perseuerantes, vt qui habent cor calidum, & siccum. Nã hi calidi & sicci corde sunt magis pertinaces, & furibundi: illi verò sunt molliores, & benigniores, quia etiamsi habeant iram ipsi, non tamen habent tantam, vt calidi, & sicci, PVLSVS VERO MAGNI, ET MOLLES, ET VELOCES, ET FREQVENTES EXISTVNT. Sicut enim in caliditate & siccitate cordis, sic & hic erunt quatuor pulsuum differentiæ, & iste est primus fons ab actionibus propriis cordis in calidis & siccis corde: primum erat durities pulsus, & deinde aliæ tres differentiæ. In his verò pulsus sunt

molles.& quare?quia arteriæ ſunt molles, quoniam cor eſt molle, ac humidũ. Nam orta de principiis atteſtantur ſua principia. quantum verò attinet ad alias tres differentias magnitudinem, velocitatem, ac frequentiam, verum eſt, quod vbi in corde caliditas aucta, eget multa euentatione, in his cum ſit multa caliditas iuncta cum humiditate, eſt magna neceſsitas euẽtãdi; iſti pulſus habere debent has tres differentias tam in pulſibus, quam in reſpirationibus. primum erit magnitudo, quæ debet ſatiſfacere illi neceſsitati. ſi autem hæc non ſatisfaciat, quia neceſsitas ſit valde magna, tunc ei aduenit ſecunda differentia velocitas, & ſi adhuc nõ ſatis erit, opitulatur ei, deinde tertia differentia, frequentia. ſi in his pulſibus, & reſpirationibus ſunt hæ tres differentiæ, ergo in his eſt magna caliditas cum humiditate. prima autem differentia pulſuum in his eſt mollities ab inſtrumento, ab arteriis, aliæ tres à cauſa finali à neceſsitate. ET RESPIRATIO CVM THORAX FVERIT CORDI PROPORTIONABILIS, SEMPER ERIT EADEM PROPORTIO, QVEMADMODVM DIXIMVS DE NECESSITATE, SI VERO MINOR EXTITERIT &c. Omnia iam manifeſta

ſupe

ſuperius erant. SI AVTEM MVLTA FVERIT EVERSIO IN TEMPERATVRA &c. Nunc modo Gale. in hoc corpore aſſumit vnum locum, vel vnum fontem ſignorum, qui fons ſumitur ab actionibus extrinſecus occurrentibus: de hoc autem alibi non dixit: ego quidem hunc fontem poſui vbiq; in noſtris tabulis. Fons igitur iſte habetur ab extrinſecus accidentibus, vel extrinſecis paſsionibus. oſtendebamus autem in tabula noſtra vniuerſaliter, quod omnia ſigna ſumuntur à paſsionibus propriis, & etiam extrinſecus, & intrinſecus diceretur, & erant ſex res non naturales cibus & potus, exercitiũ &c. ſic Gal. hic diuidendo hæc accidentia in duas partes, vel paſsiones, nunc de extrinſecis dicit paſsionibus, quod qui calidi & humidi corde, hi ſunt ſubiecti morbis, & putredini. Quare autem hoc, facilè eſt videre cauſam, quam tradit Ariſto. in quarto meteororũ. putreſcunt enim hi humores, in quibus reperitur caliditas innata debilis, quæ caliditas ſuperatur ab humiditate, aut quia humidum non bene dominatur à calore innato, tamen cum calor non prædominetur innatus ipſi humido, generatur in eo putredo, vel fit putredo à cauſa externa: quoniam caliditas extrinſecus aduenięns

superat,& vincit caliditatem internam, & facit putrescere humores in corpore, quẽadmodum fit in maximo æstu, & in ortu canis,quod tempus quia calidum est, sæpe occupat caliditatem internam,& ad se trahit ipsum humidum : sícque fit putredo. fiet autem putredo humorum in aere ab humido nimis excedente, & exuberante: his modo contingit fieri putredinem in corpore humorum;cum autem quis habeat aliquod membrum præcipuum calidum valde,vt cor in corpore, quod habeat sibi totum reddere simile, vbi fuerit caliditas cordis,& sic humiditas maxima, tunc necessariò nõ potest calor dominari propter hanc vehementem humiditatem:vnde suffocatur, & putrescit,& putrescunt humores in tali corpore,& generatur in eo putredo. modo fit humiditas extranea, aeris etiam excedens,quoniam vbicunque fuerit humidum extraneum,vel ab aere,vel ab alia causa,& tale sit corpus humidum cum caliditate,cum est similitudo, & symbolum inter hos, ideo ab vno ad alium est facilis transitus:tales ob id facillimè putrescunt, quoniam habẽt symbolismum. Nam ista corpora habent caliditatem, & humiditatem maximam,ex alio latere suprà euenit externum humidum qui in qualitate assimilan

milantur,nihil mirum,ſi facilè putreſcunt tales calidi & humidi. EXPIRATIONES AVTEM MAIORES SVNT, AC VELOCIORES INSPIRATIONIBVS &c.Notate Gale.addit vnum aliud. Audiuiſtis quomodo omnis pulſus conſtat ex duobus motibus, & duabus quietibus: hi motus ſunt contrarii,& oppoſiti,quia vnus eſt dilatationis, alius conſtrictionis, inter hos duos oppoſitos motus cadit vna quies media,& neceſſariò: nam aliter hi motus non eſſent oppoſiti.motus enim dilatationis ad hoc eſt,vt attrahat de aere. Nam expiratio,& conſtrictio ad hæc facta ſunt, vt excernantur excrementa fuliginoſa à corde aeris iam attracti:atque ad hoc facta eſt expiratio,vel conſtrictionis vſus, vt expellat aerem ſuperfluum,& vapores fuliginoſos, ſicut munus dilatationis eſt attrahere ipſum.vt enim augebitur,vel diminuetur neceſsitas:ſic etiam augebuntur, vel diminuentur iſti motus,dilatatio,& conſtrictio. Nam ſi maior erit neceſsitas euentationis, tunc quidē erit maior dilatatio, quia opus eſt multa attractione tunc:ſi enim plurimi fuerint vapores fuliginoſi,& aer attractus, quam ſit neceſsitas, tunc maior erit conſtrictio,& expiratio: quoniam adeſt multitudo magna vaporum fuliginoſorum,

ſed vbi eſt caliditas,& humiditas magna in corpore, ibi eſt multitudo vaporum, qui ſunt apti ad generandam putredinem,& calor ille non poteſt eos expellere, quoniam humiditas eſt maior, & ſemper generantur vapores in corde ob ſimilitudinem aeris attracti cũ humiditate interna. Itaque in calidis, & humidis debet fieri multa expiratio,& maior, quam dilatatio, vel inſpiratio. Nam calidi & humidi corde ſunt valde excrementoſi:at inſpiratio fit, quando opus eſt attractione aeris. expiratio ergo in his erit maior, quoniam ea egent ob multos vapores in corde, & non egent tanta inſpiratione, quemadmodum egent, qui ſunt calidi & ſicci:non enim Galen. dicit inſpirationem eſſe magnam, vel paruam:nam maior erit expiratio,& minor eſt dilatatio in his, quam conſtrictio: iſti enim duo motus faciunt rhythmum: iſte ponit ſummiſsionem, ſyſtolen, non diaſtolen, eadem ratio eſt de pulſibus, qualis de reſpiratione.

De hepatis temperatura.

CAP. XXXIII.

HEPATIS CALIDIORIS INDICIA VENARVM LATITVDO &c. Sicut aliàs toties audiuiſtis à nobis, diximus

ximus omnia ſigna,quæ indicant de ſalubritate,vel inſalubritate ſumi à duobus fontibus ſignorum, vel enim ſumuntur ab actionibus,vel paſsionibus:circa hæç enim duo genera,vel fontes ſignorum verſantur omnia ſigna.actiones verò ſunt in triplici differentia,quarum aliæ animales,aliæ vitales,aliæ naturales:vnaquæque enim iſtarum habet ſuam propriam ſedem, vel inſtrumētum,ſiue membrum diſtinctum ab aliis. Animales autem habent in cerebro facultatem ſeparatam, vel vt melius, ſubſtantiam,& ſunt partes illę in cerebro, quæ exercent has operationes animales: ſubſtantia:ideo ſeparata non facultas ſicut habetur in ſexto de placitis Hippocratis, & Platonis:hæc enim ſubſtantia, & actio animalis exercens animales operationes ſedet in cerebro,de hac iam cum Gal.egimus ſuperius,ſecunda autem actio,vel ſubſtantia, vel inſtrumentum exiſtit in ſecundo ventriculo,in corde:éſtque ſecundum, in quo ſtat ſubſtantia vitalis,& de hac ſubſtantia etiam egimus.tertia facultas,vel ſubſtātia, vel actio appellatur naturalis, quæ habet ſuum inſtrumentum ſeparatum,& propriā ſibi ſedem:inſtrumentum proprium eſt he par,de quo in præſentia habendus eſt ſermo,ſi modo verum eſt,quod omnia ſigna

ſumuntur ab actionibus,& paſsionibus, vt probauimus ſuprà, dum ageremus de animalibus,& vitalibus viribus. Reſtat vt agamus de naturalibus,& de inſtrumento ſuo hepate,quod eſt ſedes virtutum naturaliũ. tertio autem loco poſuit Gale.hepar, & ſic tertium erit inſtrumẽtum, aut facultas,vel ſubſtantia,aut actio.ergo de ſignis ſalubribus agere volumus ipſius hepatis, quia nos tradimus veram methodum. Gale.autem hic dat ſigna per hiſtoriam,etiamſi in lib. de methodo tradidit ea per methodum,nõ hic ideo, cum ibi per methodum de his egerit, voluit repetere. Nos autem quia ſumus philoſophi, hic methodicè procedemus, non per hiſtoriam, ſed vt habeamus cõnexum omnium horum ſignorum cum ſuis ſignatis,vt autem hoc fiat debetis ſupponere ſigna indicantia affectus corporis nihil aliud eſſe,niſi affectus occultarũ cauſarum,quæ cauſæ occultæ habent ſuos affectus manifeſtos, per quos deueniamus in cognitionem cauſarum occultarum.dicuntur autem hi affectus ſigna à ſignando, vel notando,vel quia indicant, aut ſignificant quid de occulto.quod cum ita ſit, quod ſigna ſint effectus cauſarum latentium, nunquam effectus cauſarum habere poterimus intrinſecarum, niſi prius cognouerimus ipſas,

ipſas,vt ſi eſt fumus,ergo ignis:non enim
vnquam poterimus cognoſcere ibi ignem
latentem eſſe,niſi videamus fumum appa-
rentem prius,nam ille fumus apparens eſt
effectus indicans ſuam cauſam latentem
ignem:neuter enim per ſe haberi poterit,
cum ſe habeãt inuicem effectus,habeántq;
inter ſe relationẽ.habenda ergo eſt hæc ha
bitudo,vel relatio,quæ tamen non poterit
haberi,niſi prius habeamus terminũ vtrũ-
que.cum ergo ſit relatio,vt habetur à phi-
loſopho quinto metaph. ſecundo , relatio
vel habitudo eſt inter cauſam,& effectũ,ſi-
ue relatio eſt inter agens,& patiẽs, opus eſt
habere cauſas horum effectuum,vt ſit mu-
tua habitudo,& relatio bona, vt vno cogni
to ſtatim & aliud cognoſcatur. Vnde nec
demonſtratio à ſigno eſt vera, ſed temera-
ria,& imperfecta:nã talis demõſtratio ſit à
poſteriori per cognitionem præcognitam
inter cauſam latẽtem,& affectum notum.
His ſic ſuppoſitis,vt habeamus tẽperaturã
hepatis per ſigna manifeſta, vel effectus no
tos,ſunt habẽda in primis multa vtilia hic
à Gale.tradita,& qui volũt habere Gale.in
tabula noſtra poſſunt videre iſta facillimè,
& qui adhuc non habent,ſcribant,quæ dixi
mus.intereà igitur hæc præſciri debent:pri
mũ eſt hoc,quòd inſtrumentũ ſanguinis eſt
hepar,

hepar, & principium eius, quoniam in eo generatur ſanguis, non autem cor eſt principium ſanguinis, quemadmodum volunt philoſophi, & Ariſt. qui voluit ſanguinem generari in corde pro nutrimento corporis, ſed rectius dicamus nos cum medicis, & Gale. ꝙ generatur in hepate non alibi: & ſuppoſitioné hanc probat Gal. per demonſtrationem, in hepate eſt facultas ſanguificandi, & hepar eſt principium ſanguinis, quoniam ſanguis in eo generatur, ſed ſanguis eſt factus pro neceſsitate alēdi corpus, & vnumquodq; membrũ. Ideo hepar erit principium pro alimento totius corporis, & ſic patet primum ſuppoſitum, quod hepar eſt principium, & origo ſanguinis, qui eſt alimentum totius. ſecundum ſuppoſitum eſt, quod venæ omnes habeant ortum ab hepate, quemadmodum volunt medici, non autem oriuntur à corde, vt voluerunt philoſophi, qui dicunt ſanguinem per totum fluere. ſuppoſitum tertium quod venarum nonnullæ ſunt, vt radices, quæ manent, etiam ſunt inter gibbum hepatis, & inter inteſtina ventris, & appellantur venæ meſeraicæ, quæ faciunt ad vnam venam magnam quæ dicitur porta. præterea ſunt aliæ venæ tanquam rami, & hæ ſunt per totum corpus diſperſę, per vniuerſumque di-

stribuuntur. quartum suppositum, hæ venæ quæ habēt ductus, & canales sanguinis sunt amplæ, vel strictæ; aut duræ, vel molles, aut calidæ, vel frigidæ, vel siccæ, vel humidæ, quęúe habent suas dominationes secundum operationem hepatis. si namque hepar calidum fuerit, tales quoquæ venæ calidæ erunt; si frigidum, frigidæ: nam orta de principiis quemadmodum sæpe dictum fuit à nobis, sua principia attestantur. venę itaq; se habent prout erit temperatura hepatis. quintũ suppositum est quod ista sanguificatio in hepate, est actio, vel operatio naturalis in corpore existens, distinguitur contra virtutem animalem existentem in cerebro, & cõtra vitalem in corde: est enim separata ab aliis, non tantum subiecto, sed etiam natura, & substantia secundum medicos, & loco. Hæc autem quinque debetis supponere, quæ omnia quinq; habentur in sexto de placitis, & in quarto de vsu partium, & alibi sæpe. sextum suppositum est, quod hæc actio naturalis omnis perficitur, & expletur per temperaturam, quę est quatuor primarum qualitatum, quæ qualitates quatuor sunt in misto tanquam in re, per quam explentur omnes actiones naturales, siue sint bonæ, vel malæ secundum temperaturam hepatis, vt habetur à Gale. in

tertio de facultatibus naturalibus, & etiam à philosopho in secundo de generatione,& corruptione. septimum suppositũ est, quod hæc sanguificatio in hepate, licet sit naturalis actio, est tamen concoctionis species. Nam quandóque hepar sanguificat, concoquit alimentum, quæ actio est nobilissima, eò quia intendit assimilare sua substantia, quod concoquit, ideo meritò dicitur nobilissima. Octauum suppositum est hãc concoctionem fieri & perfici per elixationem, quæ elixatio per calidũ, & humidum fit, quemadmodum habetur ab Arist. quarto meteororum. Nonum suppositum est, naturam à principio generationis facere,& generare instrumenta propria, prout sunt magis commoda ad suum finem intẽtum, cum semper agat ratione finis, alioquin ageret frustrà,& dum agit, semper operatur, quod melius est, & magis commodum ei, & fini:& hęc quidem actio fit aut bona, aut mala veluti materia sua est bona, vel non, & vti suum instrumentum est vel bonum, vel malum, vt ad generationem sanguis menstruus est causa materialis, calor est causa formalis, instrumenta sunt venæ. decimum suppositum est arteriam paruam decidi, & distribui à corde ad imas partes hepatis, & non esse alias arterias ad hepar, nisi

nisi in corde. vndecimum suppositum est in hepate non esse nec sensum, nec motum, nec virtutem à cerebro. duodecimum & vltimum suppositum est hepar sua natura calefacere membra propria propinqua. nam dicit Gale. tertio de facultatibus naturalibus, quod hepar est foculus: nam agit concoctionem per calorem ventriculi. Debetis omnia hæc supposita duodecim supponere, quomodo hepar sit principium sanguinis, quia in eo generantur, deinde quod omnes venæ habent ortum ab hepate, & venarum aliquæ sunt, vt radices, aliæ vt rami: & venarum, per quas ducitur sanguis, aliæ sunt amplæ, & aliæ strictæ, aliæ duræ, aliæ molles, aliæ calidæ. prætereà sanguificatio hepatis est actio naturalis, distincta ab aliis duabus animali, & à vitali, & ista actio perficitur à temperatura constante ex primis quatuor qualitatibus: deinde hæc actio naturalis, sanguificatio habet concoquere alimentum: & ideo dicitur nobilissima. prætereà concoctio fit per elixationem, & natura semper à principio generationis facit sibi instrumenta propria ad suum finem exequendum, & semper id eligit, quod melius est. prætereà arteria parua oritur à corde, & demandatur ad sinum hepatis, & hepar

non

non habet nec sensum, nec motum, nec aliquam virtutem à cerebro. vltimo hepar natura sua habet calefacere membra vicina. his omnibus sumptis, rectéque habitis facilè etiã habebitis signa indicantia temperaturam hepatis. Videamus modò, si res sic se habeat: primum Gale. tractat de signis caliditatis hepatis, deinceps agit de aliis signis. primum in hoc annotare vnum debetis videlicet, signa omnia sumi ab actionibus, & passionibus &c. cum modo in hepate sit actio merè naturalis, vt patet per sextum suppositũ, quæ perficitur per temperaturam existentem ex quatuor primis qualitatibus &c. ista sanguificatio est actio naturalis, & nõ permiscetur alicui aliarum virtutum. deinde ad ipsum transit tantùm vna parua arteria, & ideo nõ habet consensum cum virtute vitali, vt habetur in sexto supposito, in quo dicebamus illã paruam arteriam tantùm pertrãsire à corde ad hepar. vnde hepar nõ habet sensum, nec motum, nec correspondentiam cum cerebro. Nam nec nerui ad hepar descẽdunt à cerebro. tertio actio est naturalis, & merè, si sic est, ergo ab actionibus, & passionibus naturalibus, & sic habere potestis ꝙ hæc signa de temperatura hepatis non oriuntur à vitalibus, non ab animalibus actionibus,

nibus, ſed tantùm à naturalibus, quod patet per decimum ſuppoſitum, in quo probatum eſt tantùm vnam paruam arteriam deſcẽdere à corde ad imum hepatis, & per ſe tantùm ſtare. ergo naturales cum naturalibus paſsionibus: nam dicunt de hepatis temperatura, vt videbitis. Actio autem naturalis duplex, vna generatiua, & hæc à generationis principio producit fœtum; alia naturalis nutritiua appellatur, quæ habet fœtum alere, ab vna enim harum dicimus effluere ſigna indicantia temperaturam hepatis & dicit Galen. hepatis calidioris indicia &c. Afferre tantum ſigna indicantia caliditatem hepatis, quæ ſumuntur ab illis duabus actionibus generatiuis, & nutritiuis: & primum eſt venarum amplitudo, aut latitudo, quod ſumptum eſt à generatiuis; quoniam ſic à principio generationis actæ ſunt venæ. vbi autem apparuerint magnæ, indicium de hepatis caliditate eſt, quoniam orta de principiis atteſtantur ea. Videamus modo hæc ſigna, quomodo ſe habeant vel cum ſuis cauſis, vel ſignatis. habenda eſt primum talis habitudo inter ſigna, & ſignata, vel dices inter effectum, ſignũ, & inter cauſam ſigni, quæ eſt ipſum ſignatum. ſi enim verũ fuerit nonum ſuppoſitum, quod natura à principio genera-

tionis præparat sibi instrumenta commoda, quantum potest ad finem suum, quemadmodum se habuerit virtutis, & caloris dispositio, tale instrumentum esse debet, & instrumentum tale erit, qualis temperatura membri. cum ergo qualis calor, & dispositio hepatis sit, ac qualis temperatura, tale suum instrumentum debeat esse, vt temperatura hepatis per causam formalem est calida, cum hepar fuerit calidum, ergo venæ latæ, cum ibi eadem multitudo sanguinis, & crassitudo: atque necessario vasa magna, & ampla esse oportet, tũ propter multam caliditatem, tum propter sanguinis multitudinem, & sic venæ sunt amplæ ratione causæ materialis sanguinis. prætereà ratione causæ efficientis, & hoc iam patet, quoniam est multus calor, qui dilatat, abeóque venæ dilatantur: ex quo venarũ amplitudo, idem vbi calor abũdat in hepate, ibi amplitudo est, & sic quando hepar erit calidum à principio generationis nõ deficiẽte materia sanguine, sed sit in debita quãtitate, vt oportet, & sit tantùm excessus in caliditate, tunc hepar calidum, & hoc indicabitur à venis magnis: caliditas enim, & frigiditas, vt Aristo. in secundo de generatione. & corruptione; in quarto meteororũ sunt contrariæ qualitates, & substantia, &
sua

ſua ſubiecta, in quibus agit calor & frigus, ſunt contraria. quando à principio generationis conſtituitur materia debita, & cauſa efficiens, calor abundans, & adſit cauſa finalis, tunc his tribus exiſtentibus ſiccialis forma venarum: quia ſemper amplitudo venarum ſequitur ad hepatis caliditatem: & ſic patet quomodo ex ratione, & ex veris philoſophię principiis hæc omnia conſonent. FLAVA BILIS ABVNDANTIOR &c. Debet enim ſic legi, & Leonicenus, qui dixit rufam bilem, malè dicit: non enim debet ſic legi, vt rufa dicatur, ſed flaua: quoniam rufa bilis eſt citrina miſta ex pituita, & cum flaua. Rufa enim non habet verum, & exquiſitum colorem bilis flauę, ſed color verus debet eſſe flauus, tunc erit vera bilis flaua: ergo bilis abundantia eſt ſecundum ſignum hepatis calidi, quod quidem ſumitur ab actione naturali, nutritiua: primum ſignum fuit ſumptum ab actione naturali generatiua, hoc ſecundum ab ipſa nutritiua ſumitur. quomodo verum ſit hoc, vt à nutritiua ſumatur patet ex hoc, quia dum cōcoquitur ſanguis, generatur flaua bilis. Nam ibi eſt caliditas, & vbi erit ipſa abundantior, ibi erit etiam plurimum de flaua bile. hoc autem cognoſcitur per octauū ſuppoſitum à no-

bis traditum, ni fallor. Videatis, actio quæ naturalis merè dicitur, est concoctio sanguinis, quæ fit per calidum & humidum, vt habetur in quarto meteororũ. si enim debet esse bona cõcoctio, debet per calidum, & humidum fieri temperatũ, & calor debet esse temperatus, quia si esset intensus, tunc non fieret bona concoctio. nam vt ait Aristo. loco citato cum concoctio fit, si caliditas excedat vltra modum, tunc non fit debita concoctio, sed adustio: si enim deficit humiditas, & supplebit vltra modum caliditas, fiet hepsesis: sin autem supplebit humiditas, & deficiet caliditas, tũc fiet mollities, quæ appellatur declinatio in vera concoctione. Vbi autem fuerit calor debitus, & humidum in debita proportione, fiet alteratio debita, & concoctio naturalis. igitur si calor erit torrefaciens, non vera fiet alteratio, quoniã dum fuerit calor igneus; tunc adustio fiet, vel hepsesis, & torrefactio: si autem deficiat calor, & humidum in minima quantitate fuerit, ita vt prę ualeat, tunc fiet molynsis, quæ est alteratio, & concoctio imperfecta: vbicunq; autem dominabitur calor in corpore, & in hepate maximoperè sanguinem concoquendo torrefaciet. vnde ex eo in maxima portione fiet bilis flaua: nam fit ex sanguine adusto ten-

dens

dens ad torrefactionem. cum enim calor abundauerit in hepate, in quo ſanguis generatur, tunc quidem ſanguis fiet feruidus, & torrefactus: vnde tranſibit in naturam flauæ bilis, quoniã ſubtiliatur ipſe ſanguis à calore illo, & ſic conuertitur in bilem. ſi autem magis augebitur calor ille adurens in hepate nõ adoperabitur, vt primũ: nam amplius non fiet flaua, ſed atra bilis, & eſt etiam tunc, vt ſecundum adurens, non vt primum. itaq; dicit Gal. fit in corpore flaua bilis, quando calor eſt vt primum adurens. At quando eſt in ætate conſiſtentiæ, tunc fiet atra bilis, quoniam eſt in ſumma feruiditate, & eſt ſumma caliditas illa, non ibi flaua, ſed atra poteſt fieri bilis, quia calor ille ſanguinem aſſat: non autem adurit, qui humor eſt ſuperaſſatus fit atra per aſſationem, cum non tantùm fiat elixatio à vehementi calore, ſed aſſatio. videlicet ſic ex his neceſſariis cognoſcetis habitudinem cauſæ ad cauſatum, vbi adeſſe videtis flauam bilem, tunc in hepate calorem dominari ſcietis, & etiam vt primũ adurens. ſi autem atram abundare bilem in corpore indicabitis, tunc calorẽ eſſe vehementiſſimum, vt aſſantem, quod dicitur ſecũdum adurens, non tamen elixantẽ, ſed aſſantem ſanguinem. quomodo hoc cognoſcam, fla-

uam bilem redundare in tali corpore, quoniam ſanguis eſt intra venas, & non poteſt videri? ſciam bene illud hepar eſſe calidū, cum venæ amplæ, & latæ apparuerint, non tamen ſciam an flaua bilis, an atra ab hoc ſigno dominetur. Videatis Gale. in quarto de tuenda ſanitate, in quo dicit, vbi eſt dominium alicuius humoris in corpore, tunc color apparens in cute indicabit, quiſnam fuerit ille humor exuberans cuti ſubpallidus, qui appellatur, à Græcis ὤχρος vergēs ad citrinum: tunc enim hoc erit indicium de flaua bile dominante. ergo adeſt caliditas hepatis, calidior ipſe ſanguis. Hoc eſt tertium ſignum ſumptum ab actione naturali generatiua nutritiua: generatur enim ſanguis calidior in hepate calido, quod manifeſtè patet, cum in eo generetur ſanguis ipſe: ídque nulla eget probatione. nam, vt in ſexto ſuppoſito diximus, omnis actio naturalis completur & perficitur per temperaturā, quæ conſtat ex quatuor primis qualitatibus, & talis effectus, ſcilicet ſanguis calidior ſequitur ad illam commiſtionem qualitatum, videlicet quod ſit caliditas in hepate: iſte ergo effectus debet eſſe calidus, quia ſequitur ipſe ad temperaturam ſuam calidiorem. ſi modo hepatis temperatura eſt calida, cum ſanguis non eſt calidus valde, quo

de, quomodo cognoscitur hoc, quod sit sanguis calidior in hepate calido? ex tactu: materia enim talis calida percipitur tactu ipso prætereà cum sanguis est calidior, adest maior caliditas in venis, quam in alijs partibus, nam vt sæpe dictum est, facultates naturales cognoscuntur à suis operationibus, cum de se ipsæ lateant: ideo debent manifestari per suas operationes, & sic tertium patet signũ de hepatis caliditate. ATQVE EADEM RATIONE CORPVS VNIVERSVM &c. Quartum signum hoc est: hæc enim manifesta sunt ex primo, & secundo supposito omnes venas ab hepate ortum habere, non ab alio. Diximus alias quale est alimentum, & ex quo alimento generatur sanguis, qui distribuitur per vniuersum corpus, vt habetur primo de alimentis. & in libro de bono, & malo succo, cum hepar sit calidius, & sanguis etiam erit calidior, quia in hepate fit. ex ipso autem sanguine nutritur totum corpus. ergo existente hepate calido, & sanguine, totum quoque erit calidius. NISI OBSTITERIT COR &c. Gale. hic facit vnam exceptionem, quæ de se extat, & manifesta est. Nam si in corde fuerit frigiditas, eo modo, quo aliàs dictum est cõtemperabit caliditatẽ hepatis: cor enim vt habet substantiã

magis proportionatã, & similẽ sic secũ inducit,& assimilatur omnino. Vnde cũ fuerit caliditas in hepate, etiam caliditas in corde,in quo corde tantum est calor actualis rumpens per totum corpus,quod in cæteris membris calor erat in potentia,vt diximus,qui dicitur complexionalis, & in potentia:in corde verò est actualis influẽs semper super ipsum calorem complexionalẽ, & sic magis calefacit. Vnde cor est illud, quod facit,& reddit totum vniuersum corpus calidum, secundum vim suam, tamen magis calefacit hepar : quoniam hepar de se est magis calidum, etiam secundum naturam suam, quam cerebrum,quod de natura sua est frigidum.& ideo hepar facilius recipit impressionem cordis, quam faciat cerebrum. Quare etiam facilius alteratur hepar à cordis intemperatura calida,quam alia membra,& præcipuè cerebrum:patet, quoniam in habentibus symbolum, & similitudinem quandam est facilis transitus: hepar est natura calidum calore complexionali,& cor est calidum actu : ideo facile alteratur, & dictum est cor esse,quod præbet calorem actualem vnicuique membro, & sic sibi reddit totum corpus simile, nisi hepar obstiterit, ipsi cordi : quia si cor erit

frigidum, non erit hepar calidum: quia etiamsi natura sua debet esse calidum, si tamen cor obstabit, nec dabit ei calorem actualem, sic hepar non poterit esse calidum. TVNC HIS VENTER ET ILIA HIRSVTA &c. Hoc est secũdum signum de caliditate hepatis sumptum ab actione naturali generatiua à principio generationis. Dum ergo à principio fit calidum corpus reddit ipsum, ac disponitur ad pilos generandos: vbi enim caliditas dominatur in parte aliqua corporis, ibi fiũt pili, quoniam illa pars calida corporis præparat materiam, ex qua deinde habent generari pili, deinde adest multa materia fuliginosa parata ad generationem pilorum, ratione caloris magni. prætereà calor ille præparat meatus, & poros cutis amplos in debito modo pro generatione pilorum: vnde adsunt omnes causæ pilorum, materialis efficiens, & finalis. Itaque manifestum est, vbi hepar est calidum, hypochondria esse hirsuta, quemadmodum patet ex vltimo assumpto, quod existente hepate calido reddentur membra vicina calida, cum eo. cum hepar sit prope hypochondria, & maxime apud dextrum in ventre inferiori, si erit calidum hepar, tunc calefaciet partes illas vi-

cinas,& consequenter reddet eas pilosas,& maxime vt dixi hypochōdrium dextrum, quoniam est propinquum illi: ideo ipsum nutrit. vbi igitur adest materia præparata, & agens,& locus debitus, ibi adest multitudo pilorum circa hypochondria, maxime dextrum, dummodo hepar sit calidum.& sic videtis causam horum, & habitudinem in causam,& effectum.

CAPVT XXXVI.

FRIGIDIORIS VERO ANGVSTIA &c. Iam omnia ista clara sunt, & patēt per suum oppositum declaratum, per causam materialem, efficientem, & finalem. Nam si verum est, quod vbi est caliditas hepatis, talis facit venas amplas, & partes vicinas pilosas, ratione causæ materialis, efficientis, & finalis. si verò per oppositum hepar erit frigidius, etiā sanguis frigidior reddetur, qui in eo generatᷣ, si sanguis erit frigidus, omnes tunc deficient causæ pilorum non erit causa materialis, nec finalis, nec efficiens: quoniam frigiditas non dilatat, sed adstringit. Nec etiam causa finalis, quia cum adest materia, qua materia, scilicet sanguis generatur à calore moderato per concoctionem: non enim fit magna,&

gna,& debita concoctio in tali hepate,quia calor paucus. Hoc autem manifestum est per nouem causas, quia vbi vehemens, vel temperatus calor, ibi concoctio perfecta. sanguis fit in hepate, nec adest causa efficiens,quoniam frigiditas astringit. Ideo dicit angustiam venarum. Venæ enim sunt strictæ. PITVITA ABVNDANTIOR &c. Sed in frigiditate hepatis non bilis flaua abũdat,nec atra,sed pituita multa. Diximus in octauo supposito nostro, quod coctio fit per alterationem,& per elixationem:elixatio per calidum temperatũ cũ humido, si modo calor deficit, quia hepar est frigidius, tunc non potest fieri debita concoctio,& elixatio,sed fit molynsis,& concoctionis priuatio. Vnde non potest generari sanguis perfectus, sed pituita,& multa. Nam pituita generatur ex alteratione, & concoctionis priuatione. Ideo in hepate frigido generatur pituita : hoc autem cognoscitur ex colore : nam in his color est subalbidus. prætereà frigiditas percipitur ex tactu corporis, quæ indicabit nobis sanguinem esse frigidum in hepate, & in venis. ATQVE TOTIVS CORPORIS HABITV &c. Sicut enim sanguis calidus facit totum esse calidius corpus, quia calor adest magnus,concoquit suũ alimẽtũ bene,&

bene, & ipsum reddit calidum sanguinem, qui per totum vagatur corpus. Vnde corpus vbi erit calidius, sic si frigidior erit sanguis, reddet totum frigidum, nisi ei obstat ipsum cor sua caliditate, quod est oppositũ superioribus dictis. Nam existente hepate calido valide reddet totum corpus calidius, nisi cor frigidum obstaret. VENTER ILLIS GLABER EST ATQVE ILIA &c. Hæc omnia per se patent ex caussis oppositis. Nam cõtrariorum eadem est disciplina.

CAPVT XXXVII.

SICCIORIS AVTEM, SANGVIS QVIDEN CRASSIOR, ET MINVS ABVNDANS &c. Postquam Gal. hucusque tradidit excessum, & dominium qualitatum actiuarum in hepate, & primum de caliditate, deinde de frigiditate, nunc modo vult tradere dominium qualitatum passiuarum in hepate. Siccioris autem hepatis indicia sunt quatuor, quæ sumuntur ab actionibus naturalibus, non autem ab aliis, vt toties dictum est. primum à generatiua sumptum est, tale autem est, vt in hepate sicciori sanguis est crassior. præterea sanguis est paucus, & secundum signum. sanguis

guis enim craſsior fit in hepate ſicciori, deinde & paucus: hæc in nono, & ſexto ſunt declarata ſuppoſito, quod in vnoquoque membro tales fiunt actiones, qualis eſt temperatura illius membri: nam ſi temperatura membri fuerit ſicca, tales inquam erunt actiones, ſiccæ: & ſic ſubſtantia ſicca. quare pro ratione membri ſimiliter temperatura ſua, talia erunt alimenta eius, & tales actiones. Si autem hepar fuerit ſiccum, tunc generabit ſanguinem ſiccum, & craſſum. & paucum. Nam ablata caliditate, & remanente ſiccitate tantum fit ſanguis craſſus, & ſiccus: hic enim tantum fit mentio de hepatis ſiccitate, quod habet facere ſanguinem craſsiorem, quoniam vult aſsimilari ſibi, & vendicare alimentum ſuæ ſubſtantiæ, Vnde ſi ipſi debet aſsimilari, oportet, quod faciat craſsiorem ſanguinem. Notate artem Gal. quare tantum dicat ſanguinem craſsiorem generari ab hepate ſicco, nō autem dicit de ſanguine ſicco hic: alibi enim mentionē facit de ſicco ſanguine, ad hoc quod bene alibi dicit, & recte ſanguinem craſſum, & ſiccum fieri à ſubſtantia hepatis. quoniam alimentum aſsimilatur ſuæ ſubſtantiæ hepatis, quæ eſt calida & ſicca. Nam quo ad caliditatem fit ſiccus, quo ad ſiccitatem fit craſſus, & ſic ſanguis aſsimilatur

ſubſtantiæ

ſubſtantiæ hepatos hic,& fit craſſus,quia eſt hepar ſiccum. debebat autem fieri & ſiccus, ſed quoniam hic non adeſt caliditas faciens hoc,non fit ſiccus,ſed tantum craſſus, & in hac hepatis temperatura quid de humido, quæ eſt cauſa humectans? non enim adeſt cauſa aliqua exiccans caliditas. Vnde ſanguis iſte etiamſi ſit craſſus, eſt tamen humidus in temperatura hepatis ſicca,eſt minus abundans. Quęritur etiam hic,quare in hepate ſicciori generatur ſanguis paucus? ſi autem ſecundum commentatorem vellemus dicere ad hoc, hanc cauſam eſſe cauſam, quod generatur paucus ſanguis, qui vult ſiccitatem eſſe ad hoc. Sed ſi non ſit caliditas, quomodo hoc eſt verum? bene quidem dicere poſſemus,ſi adeſſet caliditas & ſiccitas in hepate, plurimum de bile generari, & ſic parum de ſanguine, ſed tantum adeſt ſiccitas in hac temperatura hepatis.

SICCIORIS AVTEM SANGVIS QVIDEM CRASSIOR &c. Videbamus in præcedenti lectione pro declarationibus proprijs,quænam eſſent ſigna hepatis ſicci, & primo quoniam eſſet ſanguis craſsior, quinam ſanguis ſiccus reſtabat dicere. & incepimus de ſanguinis abundantia, quoniam hoc in loco dicit ſanguinem nõ abundare,ſed videtur dicere contrarium, & falſum

sum Gale. Nam sanguis fit per alteratione͂, alteratio fit per calidum, calor dicitur esse causa efficiens, vt supra diximus. prætereà Gale. secundo de temperaturis inquit, vbi caliditas est, ibi est multum sanguinis, & vbi non est is multus, nec ibi caliditas, & illud est malum signum: quoniam à caliditate generatur sanguis. prætereà concoctio bona fit per elixationem, elixatio per calidum, & humidum. ego respondeo ad hoc, & dico si scitis, quid sit concoctio quæ fit per elixationem, est ad hoc, vt assimilet alimentum membro, in quo fit talis cócoctio, vt quidem tale alimentum conuertatur ad substantiam illius membri. non potest autem hoc fieri, nisi totum assimiletur, quéadmodum habetur in secundo de facultatibus naturalibus. ergo concoctio fiet per attractionem, & assimilationem membrorum, quod habet cócoquere, si sit humidũ, attrahit multum de eo, si siccum, etiam de sicco alimento, & non multum de humido: sed plus, & multum de sicco, vt conseruetur eius temperatura: cum autem hepar sit hic siccum, non humidum, nec alterius temperaturæ non attrahit multum de humido, sed plurimũ de sicco: si parum de humido: & multum de sicco. ergo parũ habebit sanguinis tale hepar. sic est dicendum de vẽtriculo sicco, qui quidé valde appetit

potum, ac haud parum bibit, ſed minime appetit cibum. contrà ventriculus, qui humidus eſt, nõ multum bibit, ſed plurimum appetit cibum. ſed extat dubium aliud annotandum, quod tale eſt, ſi hepar ſiccum non multum, ſed parum generat ſanguinis, quando attrahit, quis humor in eo generabitur dum appetit, & attrahit alimentum, quod non bene conficiatur. quis ergo generabitur tunc in eo humor? non enim generabitur bilis flaua, quoniam iſta generatur à calido excedente, nec melancholia, quoniam hæc fit per aduſtionem, cum ad eam requiratur maior caliditas, quam etiã in flaua bile: nec pituita fit in hepate, quoniam ſolet generari in hepate à calore deficiente, ſed in huiuſmodi hepate eſt calor moderatus. ergo nec in eo fit pituita. Quid ergo dicendum in hoc? ſi ſequemur mentem Auerrois, qui vult in corpore humano non eſſe multam ſiccitatem, niſi ei ſit adiuncta caliditas, & inquit: iſta ſiccitas nihil afficit, & agit, niſi cum ipſa iuncta ſit caliditas, quæ facit ipſam actualem, quæ duæ qualitates cum fuerint ſimul iunctæ generatur flaua bilis, modo non ſint in magno exceſſu. at ſecundum Gal. alioquin eſt dicendũ, qui ponit ſiccitatis exceſſum, & temperaturam ſiccam per ſe abſque caliditate.

ſed dic

ſed dicimus nos aliquem humorem in tali hepate nõ generari, non flauam bilem, nec atram, nec pituitam, ſed excrementa, & feces in eo generari, nam quod attrahitur ab hoc hepate non in humorem conuertitur, ſed in feces, quoniam non rectè excoquitur: generatur enim aut vrina, aut feces per aluum, & hoc manifeſtum eſt: quia qui multum potant, multum mingunt quoque ii, vt qui hepate ſicci ſunt. VNDE DVRIORES TOTIVS HABITVS CORPORIS SICCIOR &c. Hic etiam locus ſumitur ab actione naturali generatiua, quãdo hepar eſt ſiccius, venæ debent eſſe tales, ſed duriores: quoniã ſigna ſignatis, & principia principiatis correſpondere debent: orta enim de principiis ſemper atteſtantur ea. principiata autem ſunt venæ, & ſic venæ erunt duræ, taliſque erit habitus totius corporis: quoniam venæ factæ ſunt, ſicut & totum factum erit. Vnde hic notetis vnum, in quo apparet mirum artificiũ Gal. Nam vbique ipſe ſuprà dixit, niſi cor obſtiterit: hic autem nullus de hoc ſermo habetur. Quare autem hic non dicat, videbitis plenius cauſam infrà huiuſmodi, tamen nunc notetis hoc tacuiſſe, eò quia vbi eſt ſiccitas exuberans in hepate, à qua ſiccitate poteſt refrenari cordis humiditas, quæ eſt ei con-

traria:non tamen potest siccitas hepatis vnquam alterari,& refrangi ab humido cordis,qua in re recentes malè loquuntur.

CAP. XXXVIII.

HVMIDIORIS AVTEM, SANGVIS QVIDEM ABVNDANTIOR, ATQVE HVMIDIOR &c. Gale.modo ponit signa humidioris hepatis, quæ omnino sunt opposita siccitati hepatis:quoniam oppositorum eadem est disciplina.primum autem signum huius hepatis est sanguis etiam multus:quia multum humidus attrahitur ab hepate propter symbolismum,in sicciori autem hepate parum generabitur sanguinis: oppositum autem fit in hac temperatura:nam hic multum de sanguine fit,quoniam plurimum de humido attrahitur,vt dixit,ab ipso hepate. ATQVE HVMIDIOR &c. Oritur enim hoc signum aliud, sanguis humidior. quare in hac temperie generatur iste sanguis?nam alimentum in vnaquaque parte corporis fit,sicut & totum est,quoniam talis est substantia in toto, qualis in vnaquaque parte totius corporis:si hepar est humidius,sic & totum:ergo & sanguis est humidior. VENAE AVTEM MOLLIORES &c.

Sicuti

Sicuti enim in hepate ſicciori venæ erant duriores, ſic in hepate humido humidiores venæ ſunt: ac ideo molliores, quæ habent ortum ab actione naturali generatiua, & ſic orta atteſtantur de principiis. ITA VERO ET VNIVERSVM CORPVS &c. Vbi enim hepar fuerit humidius, ſic & totum erit humidius; quoniam ſanguis, qui eſt mollior, genitus in hepate humidiori eſt alimentum totius. quoniam ſic ſe habet, ideo habet totum reddere humidius. ſi humidius facit totum, ergo & mollius ipſum totum: ſicuti & ſiccius totum dicitur durius, vt viſum eſt. NISI PARTES AD COR ATTINENTES OBSTITERINT &c. Hic Galen. affert obiectionem, & ratio huius eſt: quoniam vbi adeſt humiditas cordis, tunc non facillimè poteſt ſiccitas cordis alterare, & refrenare talem hepatis humiditatem excedentem à ſua temperatura debita. ſiccitas verò cordis dum & ipſa excedet, poteſt reducere humiditatem hepatis ad temperiem. quomodo autem ſit, ſtatim audietis.

CAP. XXXIX.

CALIDIORIS VERO SIMVL, AC SICCIORIS IN-

DICIA &c. Nunc modo Galen. ex quo iam tradidit ſigna qualitatum ſimplicium in hepate, in præſentia vult tradere ſigna de compoſitis qualitatibus hepatis. primum incipit à calido & ſicco hepate ſimul: vbi enim calidius, & ſiccius hepar fuerit, ſigna hæc ſumuntur hic poſita ab actionibus, & paſsionibus. ſumpta enim ſunt ſex ſigna, quorum primum tale eſt. ILIA PLVRIMVM HISPIDA &c. Omnia ſunt manifeſta. quare enim hypochondria ſunt hirſuta hoc ex vltimo noſtro probatum eſt ſuppoſito, quod hepar prout eſt calidius, vel frigidius, talia reddit membra ſibi vicina. vbi enim eſt caliditas, ibi multitudo pilorum: vbi adeſt cauſa materialis, & cauſa efficiens, & locus aptus ad generationem pilorum. SANGVIS CRASSIOR SIMVL ET SICCIOR &c. Hoc ſecundum eſt indicium. Dicit, ſi eſt caliditas iuncta cum ſiccitate, ibi non tantummodo eſt craſsitudo ſanguinis, ſed etiã ſiccitas. Nam ſuprà dixit in hepate tantum ſicciori. quod ſanguis erat tantum craſsior. ſed quia caliditas & ſiccitas ſimul iunctæ, ideo ſanguis eſt craſsior, & ſiccior. quia caliditas eſt, quæ facit ſiccitatem. ſed dicat quis, ſi ibi in hepate ſicciori ſolus ſanguis tantũ erat craſſior,

ſior, videtur quod etiam debebat eſſe ſiccior, quia vbi craſsities videtur, etiam ibi ſiccitas aliqua. ergo ibi malè dicit. præterea videtur, quod ſiccitas ſit maxima cum craſsitie: nam vbi ſanguis eſt craſſus, eſt etiam & ſiccior. ergo hic eſt ſuperfluus, dum dicit, quod eſt craſsior, deinde ſiccior, & ſic videntur nugæ. primum ad hoc, ſciatis, vbicunque ſanguis eſt craſſus, non tamen eſt ſiccus etiam: nam craſsitudo poteſt eſſe per miſtionem humoris, vel per aduſtionem: quando eſt per commiſtionem, tunc non habet ſiccitatem craſsitudo. ſi enim pituita permiſceretur alicui, talis humor quidem erit craſſus, non tamen ſiccus; cum quandoque poſsit fieri craſſitudo, & humiditas ſine ſiccitate, ideo ſi eſt craſsior, poteſt eſſe ſic abſque eo, quod ſit ſiccior: poteſt etiam craſsitudo fieri nō per commiſtionem, ſed per aduſtionem, vt quando caliditas eſt iuncta ſiccitati, tunc illa caliditas iuncta cum ſiccitate torrefacit, & fit concoctio per aduſtionem: quoniam partes humidiores abſumuntur, & ſubtrahuntur. Vnde talis ſanguis erit quidē craſſus, & ſiccus ſimul, quia eſt per aduſtionem. itaque dixi ſuperius quando temperatura hepatis eſt tantum ſicca, tantummodo fit ſanguis craſſus. Dum verò cali-

ditas est iuncta siccitati fit sanguis crassus & siccus: quoniam absumitur, & partes sanguinis subtiliores aduruntur, & sic restat crassus, & siccus, quẽadmodum hic. Quare Galen. ibi, & hic rectè locutus est. FLAVA BILIS PLVRIMA EST &c. Superius agendo de hepate calido tantum diximus ibi, quod dum caliditas incipit calefacere, primum fiebat flaua bilis, deinde si magis adaugeretur illa caliditas, fiebat tunc atra bilis: sic enim & hic dum caliditas iuncta est cum siccitate, & valde calet, fit tunc flaua bilis. CONSISTENTE AVTEM AETATE, ET ATRA. Rectè dicit, non tantùm quandoque fit flaua bilis, sed etiam atra: quia in ætate consistentiæ etiam augetur magis caliditas, & fit tunc atra. VENARVM AVTEM LATITVDO, ET DVRITIES &c. Vbi enim hepar est calidum, & siccum per excessum, tunc venæ sunt latiores, & duriores. necessario enim venæ sunt latæ, & duræ: vbi latæ, hepar habet caliditatem, & humiditatem per excessum. Hæc autem signa sumuntur ab actione naturali generatiua, generatur latitudo, & amplitudo venarum à caliditate, quemadmodum dicebamus de signis caliditatis: vnde & durities generatur à siccitate quoque. quare bene dixit

Gale.

Galen.in hac temperie venæ ſunt latæ, ac duræ. Nam ſicut ſunt duæ qualitates compoſitæ per exceſſum, ita duo ſigna, vel accidentia ſimul ſunt meritò vnita, vt patet. SIC VERO ET VNIVERSVM CORPVS SE HABET &c. Hæc enim verba feruntur ad duritiem, non ad latitudinem. iſti enim qui ſunt calidi & ſicci hepate, ſunt corpore aſperi, graciles, & non bene piloſi, & duri ſunt, quoniam à ſiccitate fit durities, ſicut ab humiditate fit mollities, vt patet in mulieribus, & in pueris. QVIA HVMIDI SIC VERO &c. Notetis, hic non ponit addendo, niſi cor obſtiterit: vnde cum non protulerit Galen. talem particulam, multi ſuper hoc dubitant, & errant. ſed vos eſtote attenti, & notate rectè mentem Galen. NAM QVAE CALIDITAS EX CORDE ORIGINEM HABET. Pro declaratione horum verborum videbitis omnes expoſitores errare. Dicamus primò opinionem errantium, deinde accedamus ad textum. Dico illud, nam, non eſſe particulam redditiuam, ſed exceptiuam. nam & latini, & græci expoſitores ſæpe ſic ponunt, vt verbi gratia, ſi dicamus Marcus in re bellica fuit ſummus apud Romanos: quantum enim ad mores, & ſanguinem plurimi ſupera-

runt eum, ſed quia pugnauit in Sagontio, & ſuperauit, & illud, nam, non eſt redditiua particula, ſed exceptiua: ſic eſt dicendum de γὰρ addendo ei, ſed tunc non eſt redditio cauſæ, ſed exceptio. vnde & Acakia errat in textu. ponit enim inquiens, quæ enim, nam enim non excipit, ſed reddit rationem: Ideo Leonicenus melius dixit, qui dixit, nom mirum eſt ſi Acakia errat, quoniam etiam deceptus eſt in ſenſu Gale. & ſic patet modus dicendi. Leonicenus quoque deceptus eſt, quoniam ipſe in textu demit illud quidem, & litera deberet ſic iacere. SICCITATEM VERO NON POTEST &c. Deberet enim his verbis addi vnum quidem. Nam per talequidem indicatur quid contrariis ſupradictis, vt verbi gratia, ſi ita dicamus, eſt quidem iſte bonus vir, ſed non perfectè bonus. Ad rem noſtram accedamus. Dicebat enim Galen. vbi hepar eſt calidum & ſiccum, venæ ſunt latæ & duræ: duræ ſiccitatis ratione, latæ caliditatis: & ſicut ſe habet hepar; ſic & totum corpus. reddit modo rationem, quare ipſe Gale. non dixerit particulam illam hic exceptiuè, niſi cor obſtiterit. Nam caliditas excedens in corde poteſt obtundere frigiditatem hepatis, & ſic contra. ſed non dici poteſt, quod humiditas cordis, ſi

hepar

hepar fuerit ſiccum, poſsit ipſum ſiccum
hepar alterare:hoc enim minimè verum
eſt.& ideo totum reddetur durius, vbi ſic-
citas fuerit in hepate excedens, & pariter
etiam ſiccitas. Quare pro certo habeatis,
quod ſiccitas hepatis non poteſt obtundi,
& alterari ab humiditate cordis, bene ve-
rum eſt cordis caliditatem poſſe obtunde-
re frigiditatem hepatis; & contra frigidi-
tatem cordis etiam compeſcere calidita-
tem hepatis,& non verum eſt,quod humi-
ditas cordis habeat hepatis ſiccitatem alte
rare,hoc quidẽ minimè verum eſt in qua-
litatibꝰ paſsiuis.Habito hoc diſcurſu quo-
modo inter qualitates actiuas caliditas,vel
frigiditas cordis poſsit ſuperare frigidita-
tem,vel caliditatem hepatis,quod non ve-
rum fiet in paſsiuis:quia humiditas cordis
non poteſt contemperare ſiccitatem hepa-
tis.De quarta parte modo erit mentio,ſicut
in paſsiuis humiditas cordis non poteſt al-
terare ſiccitatem hepatis, ſic ſiccitas cordis
non facilè,ſed medio modo alterabitur ab
humiditate hepatis.neque verò cordis hu-
miditas poteſt ſic , vt dictum eſt , hepatis
ſiccitatem contemperare : & quia iſta non
ſunt dicenda per hiſtoriam,ſed ratione, &
vera methodo,ideo modo audietis horum
diſcurſum,& rationem.ex quo apparebunt

infiniti errores,& magni nouorum de his resistentiis, qui à fontibus omnino aberrant & ita, vt non posim eos videre. Vt igitur rectè habeatis huius rei fundamentum, debetis scire, quemadmodum non in generatione rerum quæque sint maximè animalium; & plantarum, duo sunt principia, quæ faciunt ad generationem, & ad conseruationem generationis, quæ aut sunt calor & spiritus excedentes in omni animali, in omnibus plantis, & in quocunque misto: primum principium requiritur spiritus & calor, qui sunt ambo, tanquam principium formale, sine quo nihil potest fieri, nec generari. præterea aliud est principiũ materiale, quod principium est materia humida, quæ quidem materia est subiectũ spiritus, & caloris in generatione, & in omni misto, & sic semper verum est, vt nunquam fallat, quin sint, & materia hæc duo principia, & etiam verum est hoc in his quæ generantur ex putredine, quemadmodum manifestum est in his & externis, quæ sunt hic inferius quotidie. non enim generantur, nisi affuerit humiditas excedens, & abundans, quæ intumescat à calore, & spiritibus: non in his generatur, nisi prius affuerit materia, vel principium materiale, in quo sint & calor, & spiritus. quemad-

modum

modum requiritur, generatiua in generatione filiorum, quæ ſemper de præſenti eſt neceſſaria, ſi debet facere fœtum. Nam ipſi in generatione ſunt principium formale, ex quo principio fit fœtus cum materia poſita, ſic dicendum de his extrinſecus generabilibus. Vnde Theophraſtus in primo de plantis dicebat ex putredine ſeu putri materia non fieri animal, niſi ſit plurima humiditas collecta, vel humor collectus, qui deinde à calore, & à ſpiritibus debet intumeſcere, poſteà informetur: vnde tunc generetur aliquid, & tunc producat natura hūc fœtum ſiue planta ſit, vel animal ſecundum fluxum ſtellarum adiuuantem, & influentem ſuper ipſum. hoc etiam cognouerunt poetæ, qui dixerūt animalia plurima generari ab his cauſis, calore, & ſpiritibus. nam materia præparatur tunc, quando materia eſt facta putrida. vbi enim putreſcit, & calor, & ſpiritus imprægnant illam materiam tunc fit generatio aliqua, vt dixerunt poetæ Pytonem generatum eſſe ex putri materia, quoniam fuit humiditas ex diluuio & aere contracta, quam poſteà dum ſol illuſtraret imprægnauit. & ideo dixit poeta, Te quoq; maxime Python. Videtis inquam poetas cognouiſſe hoc, ex calore, & putri materia in geni

tis etiam à putredine generari multa. cognouit & hoc etiam Gale. vt habetur in libro de ſimplicibus, & octauo de placitis, & in libro de ſemine, & in libro qui inſcribitur, an animi mores temperaturam corporis ſequantur. Idem etiam cognouit Virgilius, licet fuerit dubius, inquiēs ſpiritum diffuſum per omnia cum calore: vnde dixit, Spiritus intus alit &c. iſtum calorem, & ſpiritum Ariſto. in ſecundo de generatione animalium cap. tertio, non vult eſſe quid, nec habere participationem cum calore igneo, ſed eſſe quoddam cœleſte, & habere originem à cœlo. licet enim ſit calor, non tamen quid habet participans cum calore igneo, ſed eſſe quoddam cœleſte, & habere originē à cœlo: non enim calefacit ex virtute ignis, quia poteſt ſumi calor, non tamen ſit igneus. vnde calor, qui eſt igneus, non dicitur productiuus alicuius rei, imò corrūpit, & deſtruit: ſed calor cœleſtis eſt, qui generat, & eſt cauſa generationis omnium rerum. Videbimus id etiam in ſeminibus terræ. nunquam videbitis ſemē aliquod generare, niſi in eo primum ingreſſus fuerit calor cœleſtis, niſi primum calor ille, & ſpiritus intumeſcant illam materiam, vel ſemen illud. nunquam quid generabitur, niſi ſpiritus, & calor imprægnauerint,

non

non fiet generatio. sed dicendum de semine animalium, vt de semine plantarum, & hoc quidem manifestũ est. semen enim humanum est cũ spuma, & magna albedine, & feruore, quę habẽt augere spiritus cõmistos ibi, & albedo illa dicit calorẽ ibi adesse. Quare in tali semine sunt calor, & spiritus, deinde est materia. ergo sunt duo principia, vnum formale, aliud materiale: vnde Arist. in secundo de generatione animaliũ cap. 7. vel 2. inquit semen fieri ex spiritu, & aqua, & dum fit generatio, dicit eundẽ spiritum incrassari: dum verò spiritus resoluitur deficit, & colliquatur, & tamen remanet aquea substantia, & spiritus recedit. quod etiam antiqui poetæ Græci cognouerunt, dum dixerunt Venerem esse ortam ex spuma maris. hæc autẽ spuma non fit, nisi mediantibus spiritibus: ergo Venus orta est ex aquea substantia, & spiritibus simul mistis. Quod cum ita sit, vt dicit etiam Galen. in principio libri de fœtu, vbi semen iaculatum est in vtero in septem diebus primis spiritus illi, qui erant in semine, abeunt, & separantur, sicque quod est spumosum, & remanet aquosum, vel substãtia aquea, vnde fit, vt calor postea posit agere in illam materiam, & embryon formatur, alterãdo materiam illam, cum materia illa aquea:

postea

postea separantur spiritus illi ab ea materia, aliud principium scilicet calor incipit agere in illam materiam : vnde virtus formatiua præstat formam : & sic natura seruauit in semine istos spiritus, & calorem illum in semine per illos septem dies : post illos vasorum fit generatio, tunc iidem spiritus incrassati. dum verò spiritus resoluitur, deficit, & colliquatur, & tamen remanet aquea substantia, & spiritus recedit. natura præparauit vasa duo, in quorum vno recipiantur spiritus illi, & calor : in altero verò attrahatur humidũ, & colloceturilla materia humida ibi. Ideo natura non ab re fecit illa duo vasa, in quorum vno &c. primum illud vas arteria appellatur, quæ applicatur arteriis mulieris in ventre, vt mittat hunc sanguinem, hósq; spiritus ad generationem: fecit & aliud natura vas, quod vas appellatur venarum, quę venę sunt positæ in ventre mulieris, per quas, tanquam per instruméta, attrahitur sanguis, & sic per hæc duo vasa ad ventrẽ mulieris attrahuntur spiritus, & calor, ac etiã materia: ex quibus duobus principiis materiali, & formali efficitur animal. Vnde cum fiat multa attractio, tunc per arteriam illam attrahitur plurimũ de spiritu, & sic tale vas præparat principium formale, spiritus, & calorem.

quod

quod formale principium dicitur cor ; deinde vas adhuc illæ venæ attrahunt materiam illam humidam,& aqueam,quę materia facit aliud instrumentum , & dicitur hepar propriè, quod est principium materiale,quod attrahit,& generat sanguinem, & dimittit ad fontem. Itaq; ipsum cor erit, tanquam præcipuum instrumentũ, & tanquam prinicipium formale:hepar tãquam materiale est , quia est instrumentum materiæ, sicut est principium primum caloris & spirituum. ideo natura fecit hæc instrumenta valde necessaria ad cõseruationem animalis. nam postquam genitum est animal,oportet etiam ipsum conseruare.nam vt bene prouidit natura ipsa ad ipsam generationem, sic etiam voluit prouidere ad conseruationem fœtus post generationem, sicut in generatione fecit illa duo vasa arteriam,& venam, quæ demandarent calorem cum spiritibus,& etiam sanguinem,& ideo quia post generationem non poterat conseruari animal, meritò fecit cor, & hepar : quæ duo anteà erant , quia necessaria erant , sicuti in conseruatione. meritò inquam fecit hæc duo principia , quorum vnum dignius est reliquo , & est cor. & ratio est , quoniam est principium formale hepar autem materiale. in corde cõtinetur

calor

calor & ſpiritus, quia amplum eſt. Vnde qui lædit ipſum primum principium, læditur & perit animal. Nam in corde, vt dixi, exiſtunt ſpiritus, & calor: ſed in hepate, quod eſt principium materiale, cum in eo ſit tantùm ſanguis, nõ calor actualis, quod ſi lædatur, non ſic ſtatim perit animal, ſed per tempus adhuc viuit, & diu. at læſo corde, ſtatim ſuccedit ei mors. Ideo cor eſt dignius membrum, quàm hepar: quod cum ſic ſe habeat ad hepar, & contrà: ſicut ſanguis ſe habet ad calorẽ & ſpiritum, & contrà ſanguis eſt materia, calor & ſpiritus ſunt forma, & ſanguis eſt ſubſtantia caloris, & ſpirituum. Vnde ſanguis nõ eſt ſic nobilis, qualis calor, & ſpiritus, nec ſanguis dicitur verè ſanguis, niſi habeat commiſtos ſpiritus cum calore. vnde Ariſt. ſecundo de partibus animalium capi. tertio, bene dicebat ſanguinem refrigeratum eſſe ſanguinem æquiuocè: quia caret tunc calore, & ſpiritibus. Itaq; huiuſmodi ſanguis frigidus non eſt verus ſanguis: nam non eſt ei forma: vnde calor & ſpiritus ſunt, qui faciunt viuere. Nam calor facit vitam, & eſt principium vitæ formale. quod hoc ſit verum, manifeſtum eſt in euacuatione, euacuato enim multo ſanguine, ſtatim ſuccumbit ipſa virtus: quoniam tolluntur ſpiritus, &

calor

calor cum ſanguine. ſic patet in emiſsione multi ſeminis, quia ſemen eſt optimus, & laboratus ſanguis, tunc deſtruitur virtus. Ideo patet in ſanguine vero eſſe calorem, & ſpiritus; cum emittatur multum ſeminis, tunc redditur totum corpus imbecille, non propter alimentum, quia deficiat, quia ſi eſſet defectus propter alimentum, non fieret tale deliquium in inſtanti: ſed fit talis defectus ex defectu caloris, & ſpirituũ in ſemine: quod eſt ſanguis optimus, & optimè concoctus, vt videbimus. Itaque ſemen valde iactum ſummè debilitat, & in inſtanti ob hanc cauſam. vnde Gale. in libro an Animi mores temperamenta corporis ſequantur, vult ſpiritus, & calorem eſſe, vel animam ipſam, vel inſtrumentum proximum ipſius animæ. nam euacuato ſanguine & ſpiritus, & calor innatus euacuãtur. & optimè dicit poeta Maro Vitam cum ſanguine fudit: & hoc, quoniam in ſanguine ſunt ſpiritus, & calor: & ideo manifeſtum eſt in corde eſſe principium formale vitæ, & ſpiritus, & calorem: in hepate materiale, ſanguinem. his ſic ſtantibus iam patet, quid dicendum ſit de ipſis reſiſtentiis, & primum colligamus iam dicta. ſi enim verum eſt in corde eſſe calorem innatum actualem, & eſſe principium vi-

tæ formale, quæ vita consistit tota in calore, & spiritibus, qui sunt in ipso corde; si modo excedat caliditas in corde, quod est principium vitæ; si verò in hepate frigiditas, tunc dico, quod quantum deerit de calitate in principio materiali videlicet, in hepate à debita, & tẽperata caliditate, tunc tãtũ superabitur ab excessu caliditatis existentis in principio formali. Vnde tunc facilè caliditas cordis excedens superabit frigiditatem hepatis. Nam hepar se habet, vt materia de facto, & caliditas in corde est vt forma calidorum. In hepate quidem est caliditas, sed non multa; nec potest esse multa frigiditas in hepate, cũ in eo fiat vna concoctio. potest ideo hepar esse calidum, sed in eo tanta caliditas esse nequit, quia semper superetur à nimia caliditate cordis: quia etiamsi possit esse calidum valde hepar, nunquam tamen caliditate cor superabit, aut superare poterit: quia ipsum cor habet caliditatẽ actu. & ideo caliditas cordis facillimè habet superare frigiditatem hepatis, si verum est, quod dicebamus, cor esse principium formale, & habere calorem actualem. Quare sit principium vitæ, & iste est primus gradus resistentiæ. Deueniamus modo ad alia, quomodo cor fuerit frigidum, & hepar sit calidum. Nam

si

si deficiat calor in corde, & diminuatur principium formale caliditatis, à quo accipit talem calorem, & spiritus; deinde sit hepar calidum, & valde: quæ tamen caliditas est veluti materia semper, non vt forma in hepate ipso: sed principium formale sic & cor: etiam si sit diminutus calor in ipso; quis enim superabit? Dico in hepate non posse esse caliditatem tantam, quin superetur à frigiditate cordis: quoniã etiam si hepar habeat plus de calido, quàm de frigido, tamen ille calor in hepate est in potentia, & debet actuari semper à corde. Vnde si cor nõ habebit multum de caliditate in se, nec hepar, quantũ vult de sua actuali caliditate, poterit eam habere actu. Vnde dico non vincere caliditatem hepatis tunc, sed succumbere: propterea ꝙ calor cordis hepatos frigus deuincit. Nam si fuerit calor paruus in corde, ac frigiditas multa, tunc frigiditas habet contẽperare caliditatem hepatis, vt fiat minus acuta, & sic etiam cor superabit: hæc de qualitatibus actiuis. De passiuis modo qualitatibus. si siccitas in corde sit vehemens, nam cor est naturaliter calidum, & siccum, dico respectiuè, quòd in se benignum, & mite, & si tantùm caliditas. At si modo siccitas excedat in corde, tunc cor erit calidũ: nam siccitas oppo-

nitur humiditati, & ſit hepar excedens in humiditate, & cor ſuperet in ſiccitate, licet ſiccitas ſit qualitas paſsiua ſecundum maiorem partem, quàm ſit actiua (Nam omnes qualitates agunt) vnde dico quod ſiccitas hæc prædominans in corde oppoſita humiditati hepatis, non tamen ita ſicut caliditas cordis ſolet alterare hepatis frigiditatem. ſed quoquo modo poteſt ſiccitas ipſam alterare humiditatem: & ſic patet tertius modus reſiſtendi à corde contra hepar. vltima qualitas, parum eſt humiditas in corde excedens, & de hac quarta qualitate aliter eſt dicendum. ſi enim cor erit humidum, & hepar ſit ſiccius, dico quod non pôteſt eſſe tanta humiditas in corde, quæ poſsit alterare ſiccitatem hepatis. ſit enim quantumcunq; cor humidum, & hepar ſiccum, nunquam poteſt tale cor hepatis ſiccitatem alterare, & humectare, imò reddetur ſiccius. & ſicut hepar erat prius ſiccius; pariter etiam erit ſiccius; quia non poteſt alterari ab illa humiditate. licet ab aliquibus extrinſecus occurrentibus immutari poſsit, vt à cibo, vt non ſit amplius ſic ſiccum hepar. patet igitur cor calidum poſſe alterare hepar frigidũ, & cor frigidũ poſſe immutare hepar calidum. & valde: & cor ſiccum etiam quoquo modo poſſe immutare

mutare hepar humidum : ac de quarta resistentia cordis . cor humidum non valet contra siccitatem hepatis: sunt & alia perpulchra. habetis iam quomodo cor potest alterare ipsum hepar , cũ suis qualitatibus moderatis,quoniã se habẽt,vt causent postea humores quatuor. Dico, caliditas in corde est in primo gradu facultatis ad cõtemperandam hepatis frigiditatem,& bene ad hæc animaduertatis pro collegiis.nã non est bene,& rectè intellectus iste locus. Dico iterũ , quod caliditates in corde sunt in primo gradu ad contemperandũ hepar frigidum,& sic nunquã erit caliditas in corde,quia semper sit etiam in hepate,& semper loquimur hic de corporibus sanis,non de ægris, vt in hydropisi,quæ ægritudo habet hepar adeo infrigiditatum, vt nõ possit emẽdari à caliditate cordis. sed dicimus nos in corporibus sanis,vbi cor erit calidũ, & hepar frigidum , cor habere alterare ipsum hepar,& in his maximè se confundunt medici iuniores. secundó frigiditas cordis habet alterare caliditatem hepatis , vt videbitis in sequenti. tertiò siccitas cordis potest alterare etiam hepatis humiditatem, & eam obtundere , sed aliquo modo , non absolutè. quartò est humiditas cordis,quæ non potest alterare siccitatem hepatis.

His autem omnibus sic demonstratis, & auctoritatibus, & rationibus, videamus modo, quomodo, cor principiũ formale vincat hepar; & nisi sciretis, quomodo principia possint alterari, ex quibus constat temperatura, non cognoscetis temperaturas, & per consequẽs ignoratis temperaturis, non poteritis rectè metiri morbos, & ægritudines, qui mensurantur, ac proportionantur ad sanitatem, & ad temperaturam. omnia igitur hæc sunt habenda principia; quæ principia etiam si videãtur parua in quantitate, tamẽ sunt maxima in virtute. Quare iam vidistis quatuor qualitates in hepate, & quatuor in corde, & quomodo hepar potest alterari à corde, & vinci. primum quomodo caliditas cordis potest vincere hepar frigidum, sic etiam cor frigidissimũ vincere hepar calidum, & etiam cor siccum potest aliquo modo alterare humidũ hepar, licet cor humidum nequeat vincere siccum hepar, vt dicit Gal. tres ergo qualitates possunt vinci in hepate à corde: siccitas verò hepatis non potest superari ab humiditate cordis. Declaro modò hoc, quomodo cor humidum non potest superare hepar siccum, & ratio huius est, quoniam omnis actio fit à proportione maioris inæqualitatis. At humiditas, quam diximus

esse

esse in corde, etiamsi sit maior tunc, quàm hepatis siccitas, tamen illa humiditas in corde est potius siccitas respectu hepatis, quàm humiditas. Ideo non potest hæc cordis humiditas vincere hepatis siccitatem: sed fit vna contemperatio. & sic postquam habuistis, quomodo cordis tẽperatura possit vincere hepar, nunc modo etiam audiatis, quomodo contra hepar posit alterare cor. Nam vnum est principium materiale, aliud est formale, quorum vtrunque per se habet quatuor qualitates; & videmus ex quatuor in corde, & ex quatuor in hepate, tres hepatis superari posse à qualitatibus tribus cordis: vna autem non potest alterari. & est siccitas hepatis ab humiditate cordis. aliæ enim omnes superantur à suis contrariis in corde existentibus. Audiatis modò, quomodo se habeat cor respectu hepatis. Audiuistis superius à Galen. quemadmodũ excessus caliditatis cordis vincitur à frigiditate hepatis. sed dicet aliquis, dixisti supra oppositum: quod nihil facilius est, quã vt frigiditas hepatis vincatur à caliditate cordis: hic modò cõtrariũ erit verũ, quod sic facillimè ipsa caliditas cordis habeat superare hepatis frigiditatem. ergo ponis manifestam contradictionem? Ad hoc dico, supponere debitis cor esse for

male principium,& fontem caloris actualis,hepar materiale,& fontem sanguinis;& substantia caloris, dum primum emanat à corde est, vt causa efficiens: dum verò agit est, vt causa formalis. scitis à maioris inæqualitatis proportione prouenire actionẽ, si agẽs debet agere, & immutare, opus est, vt sua proportio sit maior, & tantò maior, quantò minor erit passi proportio. nam si resultaret passio, & esset æquiualentior agente,tunc quidem non fieret actio,vt patet,& quidem verum est,in subiecto est resistentia debilis, & agens est forte, & validum,quod tunc fieret alteratio, & mutatio de contrario in contrarium, verbi gratia,si subiectum frigidum,vt vnum, & agens sit calidum,ac potens, vt tria, tunc facillimè illud subiectum frigidum alterabitur ab agente calido vt tria. Vnde cor calidum habet alterare hepar frigidũ. Dicatis,quod caliditas cordis est potens contra frigiditatem hepatis, quia caliditas est fortis, vt tria: frigiditas verò vt vnum tantum. sed si modo frigiditas sit vehemens,& magna,& agat;atq; calor cordis sit minimus,& paucus,tunc verum est,quod dicit Gale. hepar frigidum quandoq; superare posse cor calidum. Nam intelligit tunc de caliditate cordis, quæ est pauca, & maxima hepatis frigid

frigiditate. ſemper enim agens in omni
actione aliquid patitur, quoniam pendet
ab vno ſubiecto, vt agens etiam patiatur,
ſicut & paſſum valde, cum ſint contraria. ſi
ideo frigiditas erit ſatis vehemens etiamſi
agens agat, & vincat, & ſuperet; tamen quia
frigiditas eſt magna, eſſet detrimentum a-
genti. quemadmodum dicit Ariſto. in pri-
mo de generatione loquens de miſtione
qualitatum inquit, Vbi qualitates ita ſunt
contrariæ vt vna non ſuperet aliam, tunc
reducuntur ad temperamẽtum quoddam,
dum modo frigitas eſt in hepate, & eſt in-
tenſa, dum fit actio à caliditate in corde
exiſtente cõtra frigiditatem maiorẽ ipſa ca
liditate. itẽ remittit tunc frigiditas ad tem
peramentũ quoddã illam caliditatem. pri
mum ergo ſtat, quod ſit caliditas magna in
corde, & maior, quàm frigiditas hepatis,
tunc caliditas habet alterare illam frigidi-
tatem hepatis ad temperamentum, quoniã
illa frigiditas hepatis eſt tantum, vt vnum:
quoniam ſi agens ſit vt duo, vel vt tria, &
paſſum ſit vnum; ſicque mutabitur in vna
hora, puta erit vt duo agens, vt habetur ſe-
ptimo phyſicorũ maius paſſo, vt tria. Nam
calor cordis habet immutare hepatis fri-
giditatem reducendo ipſam à quadã tem-
perie, etiamſi vincat eam, non tamen facilè

eam vincit, quoniam est magna frigiditas, & si nõ citò eam superet, sicuti si esset parua, tamen in tempore alterat ipsam: & sic iam habetis primam alterationem hepatis ad cor, quo modo quandóque possit hepar alterare cor, & quomodo non remittitur cor: quando intensa est hepatis caliditas, contemperat cordis frigiditatem debilem. Audiatis quæso, dico cordis frigiditatem nunquam remitti à caliditate hepatis, & aliorum, & dico nũquam, sit quantum vult maxima, nunquam remittit cordis frigiditatem. Quare autem hoc est? quoniam caliditas est prima inter actiuas qualitates: & iam habuistis in vno suppositorum nostrorum rationem, dicebamus quod nullus calor præter existentem in corde in actu diceretur, & est actualis, qui habet rationem causæ efficientis, & huiusmodi alia. In aliis verò membris est in potentia, & complexionalis, tamen diuersus secundum variam membrorum naturam, signum huius est; propterea quòd est tantùm in potentia, si propter aliquem morbum, vel aliquam ob causam intercipiantur spiritus, nec emanat à corde calor ad alia membra, frigescit corpus totum. quod etiam calor in aliis membris, præterquam in corde sit in potentia, hoc patet: quoniam

ſi calor cordis non actuaret continuè alia membra, ipſa putreſcunt: quoniam calor aliorum non eſt in actu, ſed in potentia tantùm: ideo eſt debilis non potens. vnde is facilè ſuperatur à calore extraneo, & generatur putredo. Quare ſupponendo hoc, calorem cordis ſolum modo eſſe actu, in aliis in potentia: licet in hepate ſit quantũuis ſummus calor, ſemper tamen erit in potentia, & complexionalis, non actualis: ſed ſi ſit actualis ſit ab ipſo corde, non à ſe ipſo, ſit modo in corde frigiditas, quæ non poteſt eſſe in eo poſitiuè, ſed priuatiuè: q̃a diminutus ſit calor cordis; ſic enim loquimur propter diminutionem aliquam eius, & loquimur de corporibus ſanis. Ideo cordis caliditas ſit diminuta, & reddita debilis, quoad ſanitatem loquẽdo, iſta certè frigiditas quoquo modo erit remiſſa & ob hoc dicetur, quod eſt frigiditas cordis tũc. cum autem ſit hæc talis frigiditas, vel caloris diminutio in corde, qui nõ poterit ſecundum virtutem propriam actuare alia membra, & facere ſuum effectũ, niſi ſecundum vim, quã tunc habebit. ex quo eſt debilis ille calor, quia nõ poteſt actuare aliorum membrorũ calorem, tũc eſt diminuta caliditas in corde, & dicitur frigiditas in eo propter inanitionem caloris, vel diminu-
tionem:

tionem:quoniam non poteſt actuare calorem complexionalē, ſicuti oportet. ſit modo hepatis caliditas excedens,ita vt dicatur hepar calidum:dico, quod non erit actu calor ille,quia nō poteſt actuari à corde,cum iam ſit frigidum,non poterit tunc calidum illud hepar reagere, & contraoperari frigiditati cordis:quia,vt dixi,ille calor complexionalis hepatis etiamſi fuerit vehemens, non tamen actuatus à corde. Itaque exiſtente frigido corde neceſſariò , etiam erit hepar frigidum,& totum corpus, etiamſi calidum dicatur quo ad complexionem caliditatem,tamen erit frigidiſsimum:quia nō habet de calore actuali : & id dico calore cordis debili exiſtente reddi corpus frigidiſsimum. Quare rectè Gale.dicit de caliditate cordis debili facta,etiam totum fieri frigidum totum corpus, niſi hepar obſtiterit.ſed vbi fuerit cor frigidiſsimum,totum etiam reddetur frigidum:& tunc non dicit,niſi hepar obſtiterit,& ſic in cordis frigiditate caliditas hepatis nihil contra operabitur.ſicuti etiam dicimus de cordis humiditate contra hepar ſiccum, quod nihil talis humiditas agere valet contra hepatis ſiccitatem. ſic itaque vbi fuerit hepar valde calidum,& cor ſit frigidum,non poteſt huiuſmodi hepar quicquam agere contra,

cùm hepar illud non habeat in ſe de calore innato ad proportionem debitam. Quibus ſic habitis ceſſant omnes recentiorum conſecutiones,& nugæ de reſiſtentiis ipſis:efferunt multas diſtinctiones, ſed eas neſciunt docere. Vnde rectè dicebat Philoſophus ſignum ſapientiæ eſt poſſe docere,ſeu ſcire docere. qui autem neſcit docere,nec ille intelligit. quare qui bene docet,rectè intelligit: & non dubitat vbique. vnde,qui mouent illas concluſiones,ac paſſim difficultates ponunt,& inſeruant, ſciatis pro confeſſo illos minimè intelligere, nec ſcholaſticos quicquam perficere poſſe, vt ferè omnes his temporibus facere conſueuerunt. poſtquam egimus de qualitatibus actiuis, nunc de aliis paſsiuis duabus dicendum erit,quæ ſunt tales, vt ſi hepar ſit ſiccum in exceſſu temperaturæ, & cor ſit humidum, & vbi hepar eſt humidum, & cor ſiccum,dicimus illam humiditatem hepatis alteraturam illam ſiccitatem cordis. ſic ſi hepar ſit ſiccum,& cor humidum, hepar ſiccum alterare poteſt cor humidũ. primum ſi hepar ſit humidum, poteſt alterare cor ſiccum, quoniam in hepate fit ſanguis: hepate exiſtẽte humido, etiam ſanguis erit humidus, à quo continuè nutriuntur calor, & ſpiritus:& hoc quidem patet. nam quale

eſt ali

eſt alimẽtum, tale debet eſſe nutritũ; qualíſque fuerit ſanguis, talis calor etiam & ſpiritus, qui ſunt in corde. calor enim naturalis eſt corpus miſtum, & hoc manifeſtum eſt. nam nutritur ex ſanguine, qui ſanguis cum ſit humidus, ſic erit & calor, & ſpiritus. ergo & tale redditur cor; & quod dicimus de humido hepate ad cor ſiccum, idẽ de hepate ſicco contra cor humidum: quod hac eadem ratione poteſt hepar ſiccum alterare cor humidum. Quare habuiſtis inter omnes exceſſus cordis contra hepar, quòd ſiccitas hepatis non poteſt vinci ab humiditate cordis: aliæ quidem ſuperantur. ſic habuiſtis in exceſsibus contra cor, quod etiã frigiditas cordis non poteſt alterari à caliditate hepatis: aliæ bene poſſunt.

Figura Montani de reſiſtentiis.

Victoriæ cordis ad hepar gradus, & progreſſus eſt ab intenſo ad remiſſum.

Primus, caliditas cordis ad frigiditatem hepatis.

Secundus, frigiditas cordis ad caliditatem hepatis.

Tertius, ſiccitas cordis ad humiditatẽ hepatis.

Quartus, humiditas cordis ad ſiccitatem hepatis, & hæc ferè impoſsibilis.

Vict

Victoriæ hepatis ad cor gradus.

Primus, frigiditas hepatis ad caliditatem cordis.
Secundus, humiditas hepatis ad siccitatem cordis.
Tertius, siccitas hepatis ad humiditatẽ cordis.
Quartus caliditas hepatis ad frigiditatem cordis; hæc ferè impoßibilis.

SICCITATEM VERO NON POTEST HVMIDVM COR &c. Notate, vbi textus dicit à caliditate, deleatis illud: hæc enim inter omnes qualitates &c. frigiditas si fuerit in hepate, facillimè vincitur à caliditate cordis. LIQVET AVTEM QVOD CVM IN VNVM CONVENERINT VTRIVSQVE PRINCIPII TEMPERATVRAE &c. Affert modo correlatiuũ, quod totũ corpus erit tale, qualis fuerit duorum membrorũ temperatura cordis, & hepatis. Hoc autem dictum manifestũ est ex suppositis: nam diximus duo esse principia, vel membra principalia nostri corporis, quæ habent conseruare corpus vsq; à principio generationis, quod erat calor & spiritus, & aliud erat sanguis existens in hepate, qui habet nutrire calorem, & spiritus; cor est instrumentum formalis principii, hepar verò est materialis. si hæc duo

duo: sic se habeant. ad quæ duo reducitur & assimilatur etiam totum corpus, sequitur quidem temperatura totius ad temperaturas cæterorum membrorum, quoniam hæc duo principia sunt à generatione indiuidui, & non pro generatione; quoniam nõ fit generatio ex calore & spiritus, & sanguine hepatis, sed tantum hæc principia sunt pro conseruatione corporis, vt viuat, sed bene cor, & hepar sunt pro generatione: deinde quoniam oportet indiuiduum moueri, & discurrere, & habere tandem omnes sensus, ob id factum est cerebrum, quod nõ est genitum, nisi propter ipsos sensus. sed cor, & hepar sunt facta ad hoc, vt deseruiant generationi, & ideo prout erit cerebri temperatura, non erit tẽperatura totius, quia non est factum pro generatione, nec totius temperatura reddetur, qualis fuerit temperatura testiculorum, qui sunt facti pro nascituris, non alia de causa, nec propter natos. Et ideo solummodo hepar, & cor sunt facta, & genita pro indiuidui generatiõe, & qualia ista fuerint: tale reddetur totũ vnde desinant tot nugæ, quæ non rectè percipiuntur. tales volunt tamen afferre auctoritates non intellectas. Hæc est Gala. auctoritas manifesta, dum dicit. liquet autem dũ &c. Non enim loquitur ipse sub dubio, vt dicat

reducitur

reducitur totum ad temperaturam horum duorum membrorum; sed inquit, oportet vt temperatura totius, sit talis, qualis fuerit temperatura cordis, vel hepatis, & si ab ipsis afferantur rationes, & autoritates in oppositum, nihil mirum: quia neq; hic, neque alibi rectè intelligunt; & in collegiis patet si intelligunt an non? decipiuntur enim toties commiscentes temperaturas. Dicunt sæpe cor esse calidum, & deinde caliditatem hepatis, postea ponunt ventriculum, & testium temperaturam frigidam, quæ commiscent detestabilia sunt. si enim vellemus semper contradicere illis, essemus tanquam lepus inter canes. Dico autem non posse esse corpus sanum, quod habeat cor, & hepar calidū, quin cætera membra sint calida. Dicat quis cerebrum habet plus de temperatura frigida, quàm calida? Dico cor esse calidum, & hepar: quoniam sunt à principio generationis, & sunt principia vitæ vnum formale, aliud verò materiale. vnde in generatione, & post generationem semper sunt calida propter calorem spiritus, & sanguinem. cerebrum verò si dicatur magis frigidum esse, quàm calidum: tale membrum non est nec ad generationem, nec ad conseruationem indiuidui, vt debeat calidum esse; sed, vt contem-

peretcordis caliditatem,est frigidissimum, est factum propter decem sensus, & virtutem motiuam. vbi erit morbus aliquis in corpore, verum quidem est, illic actionem esse læsam & instrumentum corruptum, & tandem omnia læsa,& omnia præter naturam: vt si sit membrum vnum læsum,& vitiatum, quia recedit à sua temperatura in malam,& recedit à regula medietatis, tunc est læsum, tunc medicus vult illud membrum reducere, & si non potest, tunc resecat,ne in peius cadat,& offendat totũ: sicuti facit verus iudex,qui cum non potest malum hominem reducere ad bene agendum,committit ipsum ad iustitiam, & ad penã. sic item facit bonus medicus de mẽbro læso,cum non possit restituere, obtruncat,ne lædat etiam totum corpus. Quare dico,quod in ægris potest esse,vt membrum vnum sit frigidum,non ex se,sed per accidens,vt ventriculus,& cor sit calidum,& hepar calidum: sed ventriculus sit præter naturam. de ægris in præsentia nõ loquimur, sed tantum de salubribus hic sermo est, & sic dico nullum corpus sanum in corde calido,& hepate calido in temperatura sua posse habere aliquod aliorum membrorum,quod sit frigidum: & hoc patet ex ipsa natura rei,& ex autoritatibus; & qui aliter
dicunt,

dicunt,sunt ii,qui commiscent,& decipiuntur in his temperaturis.

CAP. XL.

HVMIDIVS AVTEM, AC SIMVL CALIDIVS HEPAR, MINVS QVIDEM &c. Nunc Gal. postquam nobis tradidit signa de temperaturis hepatis simplicibus & similiter de calido, & sicco simul, in præsentia modo vult tradere signa de humido, & calido hepate simul; & hoc primum signum est sumptum ab actione naturali generatiua, à principio generationis. Audiuistis enim, quòd vbi est caliditas & siccitas in hepate, ibi sunt pili sicci, ac duri, & multi: si verò sit humiditas cum siccitate, non sunt tanti capilli, sed russi, & molles, non nigricantes, nõ duri: sicut quidem sunt, dum est caliditas, & siccitas hepatis simul: nam tunc sunt multi capilli, & pili nigricantes duri, asperi. Dixi quod vbi temperatura hepatis est facta calida, & sicca, illa caliditas est causa efficiens multorum pilorum; & vbi est caliditas & humiditas, tunc pili, sed nõ adeò multi: quia nec est illa fuliginosa materia, quæ reperitur in temperatura hepatis calida & sicca: quoniam in temperatura calida & humida non

fit illa vehemens torrefactio eius materiæ: caliditas enim remittitur quoquo modo ab humiditate. nec ideo tot fiunt pili in temperatura hepatis calida & humida in hypochondriis in huiusmodi temperie & vbi nō fuerit multum excedens ipsa caliditas, nec qualitates pasśiuæ, tunc necessario modo se habebunt pili non multi, non pauci, & erunt medii in qualitate. Hæc omnia quoque superius audiuistis. PLVRIMVM VERO SANGVINIS &c. Iam patet quòd in hac temperie hypochondria erunt medio modo hirsuta. Dicit modo in his esse plurimum sanguinis: sanguis autem bonus fit à bona, & naturali cōcoctione, & is habet nutrire. Quare dicit plurimum sanguinem? Diximus superius, quod bona actio naturalis non ex se cognosci potest, sed à recta concoctione. cōcoctio autem cognoscitur ex aliis, quoniam vera elixatio fit à calido, & humido. vbi enim sunt hæ duæ causæ efficientes, calidum, & humidū: quibus naturalis fit concoctio, & consequenter naturalis actio; ob id plurimum in his fit de sanguine. Quare qui sunt humidi, & calidi hepatis, ii sunt sanguinei. ET VENAS AMPLAS &c. Venæ etiam in his sunt amplæ: & hoc signum sumitur ab actione naturali generatiua: calor enim in his est multus

in principio generationis, quo fiunt venæ amplæ. Nam proprium caloris est dilatare: propter causam efficientem caliditatem sunt latæ venæ. prætereà ob causam finalē, & causam materialem sunt amplæ venæ: quoniam adest plurimus sanguis. ratione enim causæ efficientis, qui calor abundat, sunt latæ: & ratione causæ finalis, quoniam à principio visum est naturæ opus esse venis amplis in his. sic ratione causæ materialis, quoniam materia seu plurimus sanguis abūdat, & est humida. quare nihil deest ratione causarum, quia venæ sunt amplæ, & sic rectè Gale. dicit venas in calidis, & humidis hepate esse latas, & magis, quàm in sicco, & calido: licet videatur esse oppositum. calidi, & sicci habēt paucam carnem. Vnde autem facilè eorum venæ apparent, & si paruæ sint. Habitúmq; calidiorē, atque humidiorem facit. qualis inquam temperatura hepatis est, tale totum reddet corporis habitum: nam hepate existente calido, & humido, sic erit & totum corpus, nisi obstiterit cor. Nam si cor obstabit, non sic totum fuerit, qualis erit hepatis temperies. animaduertatis ad fallacias multorum, qui dicunt, ille habet venas amplas: ergo habet hepar calidum. dico hoc non valere: nam requiruntur aliæ conditiones, vt superius

vidistis. dicit Gal. nisi obstiterit cor, quia si obstabit ipsum cor, tunc venæ latæ non arguunt caliditatem hepatis. Dico ego, quod sunt quædam signa sumpta ab actione naturali generatiua, alia verò ab actione naturali nutritiua. signa enim quæ à principio generationis ab actione naturali generatiua proueniunt, ea non immutantur. at si quis sit primum calidus, & siccus, deinde ille immutetur ab hac temperatura, hæc nõ est ab actiõe generatiua, sed à nutritiua facta fuit. sed quę sunt à generatiua, ea sunt, vt pili multi. venæ magnæ hæ nunquam permutantur, & vt si hepar fuerit calidum, & humidum, & venæ magnæ, hæc signa sunt ab actione generatiua. Ideo semper sunt, & erunt ipsamet. At si à consuetudine fiat mutatio talis temperaturæ, hoc erit signum à virtute nutritiua: sicque hæc sola mutatur ad cuius mutationem mutantur actiones, & effectus in corpore. QVEMADMODVM CALOR &c. Omnia, quæ à nutritiua dependent possunt mutari signa: vt Galen. quidem bene dixit in quarto de tuenda sanitate, qualis fuerit humor dominans in corpore, talis erit in cute apparens, & tale etiam reddetur totum corpus vel gracile, vel crassum: qualis erat humor dominãs, talis erit color in cute, quia si pitui-

ta da

ta dominatur, apparebit color pituitæ in cu te, ſubalbidus: ſi melancholia, etiam color melāc holiæ apparebit niger; & ſic de aliis. Quare ſigna ſumpta ab actione naturali generatiua nunquam permutātur, ſed quæ à nutritiua bene poſſunt permutari, vnde ſi multi ſint pili, & venæ latæ, tunc poteſt di ci hepar eſſe calidum à principio genera tionis, à generatiua virtute; quod hepar ad huc ſtet tale, vnde & totum erit tale. Quare debetis ſemper videre, quæ caliditas ſit in hepate à virtute generatiua, an à nutritiua? & tunc iudicare de ea: & ſic dico, quod ex venis latis neceſſariò non debetis arguere caliditatem cordis, quia poteſt eſſe ab alio. ego quidem ſæpe vidi venas latas, & pilo ſum pectus à principio, tamen illi erāt fri gidi, & humidi, atque iſtud erat à nutritiua virtute: & ſic nihil valet tunc dicere, illos eſſe calidos hepate. At qui in principio ge nerationis habebunt cor calidum, & alia ſigna, aut venas amplas, qui rectè habebūt diſpoſitionem corporis ſani, hi etiam facil limè habebunt diſpoſitionem ægri, alio quin non eſt poſsibile. vnde qui primum ſtudent libris de tuenda ſanitate, bene fa ciunt: nam primum debent diſci libri de tuenda ſanitate, poſteà de curādis morbis: & decipiuntur, iſti, qui aliter procedunt; ſi

dicunt, quod his de tuenda ſanitate libris raro vtimur, vt fuit odus, decipiuntur: propterea quòd primum eſt habendum quid ſit ſanitas, quæ eſt vt habitus: deinde morbus, qui eſt priuatio ſanitatis.

CAP. XLIII.

EGo ſum lecturus hodie de ſignis ſalubribus teſticulorum: ſi vultis poſteà his expeditis loquar de ſignis ſalubribus pulmonis, & erit longè pulchrius pertrāſire hæc ſigna ſalubria, quæ remanent de totius corporis habitudine, & deuenire ad inſalubria. Dabimus enim methodum perutilem, qua poteritis habere facillimè omnia ſigna ſalubria: & afferam in medium omnia vobis per vnum exemplũ aut de corde, aut de cerebro, de his ſignis inſalubribus. Quapropter tandem iis explicatis deueniremus ad tertium librum ſic enim meus eſt animus: ſi vobis placuerit. Habuiſtis ſuperius in calce de ſignis ſalubribus hepatis, quod natura eſſet calidũ & humidum, reliquum eſt manifeſtum in noſtra tabula de hepate. quamuis Gal. ſuum ſeruet ordinem indagando ſigna, tamē noſter eſt amplior, & copioſior: ſumpſimus enim prima ſigna ab hypochondrio dextro: de hiſq; partibus abun

abūdè ibi locuti ſumus: deinde deuenimus ad ſigna eſſentialia, ad agnata hepatis, quæ ſunt venæ. Nam venæ ſunt per eſſentiam ab ipſo hepate, & ibi diximus, quid indicet venæ amplæ, & quid, ſi ſint anguſtæ. poſteà egimus de operationibus hepatis, tam de his quæ ſunt ab ipſo, quàm quæ in ipſo. in ipſo enim erant duæ appetitus, & ſanguificatio, ab ipſo verò erat vna ſcilicet attractio, quæ aut velox, aut tarda: poſt deuenimus ad excrementa, quæ ſunt ſigna bonæ concoctionis, poſtremò ad antecedentia omnia hepatis tam intrinſecus, quàm extrinſecus, quæ ſi rectè aduertatis, omnia ſunt facilia. Dabo modo tabulam de pulmone, & vnam de ventriculo, & de ſignis totius inſalubribus. Deueniemus modo ad materiam teſticulorum: & notate, dicebamus tres eſſe ventres, in quibus iacent tria prima principia. In primo ventriculo, quod eſt caput, eſt vnum principium, cerebrum: in medio ventriculo eſt cor, imò in medio ſunt duo principia, primum eſt cor, inferius eſt hepar. teſticuli modo ſunt quartum principium. Nam ii ſunt inter membra principalia, circa quod debetis ſcire membrum principale, & naturale, vt habetur quinto metaphy. in cap. de priori ab Ariſto. principium, vel principale multis modis dicitur, & inter

reliquas principalitates, id dicitur esse principium, quod magis accedit ad finem, quod intenditur, ratione cuius cætera omnia fiũt. finis autem in omnibus dicitur esse duplex, quorum vnus est pro conseruatione indiuidui, alter ad conseruationem speciei esse dicitur. Quòd ad illum primum finem, qui habet indiuiduum conseruare, prouidit natura tribus principalibus instrumentis, cerebro, quod est primum, deinde corde, ac etiã tertio prouidit, hepate. Hæc enim tria sunt facta ab ipsa natura, quia sunt necessaria ipsi indiuiduo, vt conseruetur. postea fecit natura aliud principium ad alium finẽ intentum, ad conseruationem speciei, quod principium est quartum, & appellantur testiculi. est enim principalissimum quo ad speciem tantum conseruandam, non indiuiduum. De hoc autem quarto membro hoc in loco loquitur Galen. postquam egit de tribus, quæ sunt ad conseruationem indiuidui, afferendo nobis sua signa, vt habuimus de aliis inter signum, & signatum, non quidem per historiam tradita, sed per rationem. oportet discurrere ab ipsa rei essentia, cum semper in vnaquaque re erit incipere ab ipsa natura, rei essentia, de qua habẽdus est sermo: quoniã ab ipsius cognitione emanant omniũ accidentium cognitio

tiones: quemadmodũ asserunt Hippocrates, Gale. & Arist. ac Plato. Testiculi ergo sunt membrum præcipuum inter alia pro generatione in conseruandæ specie, ad generationem alterius animalis. Quod cum ita se habent, oportet esse vnam actionem, & vnã facultatem ordinatam ad ipsum finem intentum, quæ agat, aliter nihil fieret, sed quænam sit ista facultas necessaria? Dico eam esse generationem seminis. Nam per ipsum semen generatur simile animal priori. itaque opus est vna facultate tali, quę est causa conseruationis speciei: hæc in testiculis manet, ac ordinatur ad suum finem, ad generationem, & conseruationem speciei: ideo testes præcipuum membrum, quia sunt ad finem vnum ordinati. quę non respiciunt aliquem finem, ea non dicuntur præcipua. proprium verò est ipsorum testium, vt fiat hæc operatio propria eorum, facere semen, quæ propria est in ipsis, & propter ipsos, cum semen, vel sperma fiat in ipsis, & talis est propria operatio, & non alterius membri; quemadmodum & in cerebro fiunt propriæ operationes, imaginatio, discursus, memoria; sic in corde vt ira, & constantia animi; sic in hepate verè sunt appetitus, & sanguificatio: pariter etiam in testibus propria ipsorum operatio est ge-

neratio seminis, operatio generatiua testium est generatio seminis: sed ad generationem speciei sufficit ne talis generatio seminis? Dico quod non: nam si aliud non esset nunquam posset fieri generatio aliqua: opus est enim, quod fiat eiaculatio seminis à viro in matricem mulieris. sed talis eiaculatio non fit, nisi mediante suo instrumento, quod instrumentum oportet esse optimè dispositum: quia nisi sit, non posset erigi, nõ posset semen emittere intrò. oportet, vt penis erigatur, & fiat seminis eiaculatio. ista est operatio seminis in testibus, dum naturalis est. nam vna est testium naturalis actio, dum fit erectio penis naturaliter, quoniam testiculi sunt repleti materia, semine: semen enim causa naturalis est erectionis. & quoniam adsunt multi spiritus flatuosi; ex quo tunc erigitur nõ naturaliter penis, quemadmodũ dicit Gal. in sexto de locis affectis capi. 6. cum sunt isti spiritus flatuosi, tunc erigitur, & talis erectio præter naturam dicitur. illa autem naturalis est, quæ tantùm à semine producitur, seu erigitur, dum est causata à semine abundante in testiculis. sunt etiam aliqui ita proni, vt facillimè eis erigatur penis; etiamsi non habeant appetitum cum materia; sed tantùm hic loquimur de corpore

pore naturali; quoniam si corpus erit sanum, etiam talis actio erit naturalis: quia testes sunt repleti multo semine. si ideo in his fuerit flatus, ita vt suum semen sit flatuosum, & plenum vento; ac spumosum; quia est flatuosum, vt habetur secundo de generatione: dico, semine sic spumoso sunt repleti tunc testes, in quo quidam semine est calor, & spiritus multi flatuosi, qui per meatus amplos tendunt ad penem. Vnde tunc inflatur ipse ab illis. ex qua inflatione, quoniam calor est modicus in eo, tunc fit quædam titillatio in virga, ob quam postea fit excitatio ad venerem, & actio, vel erectio est quidem naturalis. At vbi non propter multi seminis redundantiam, vt habetur sexto de locis affectis, quando est flatuosum semen naturaliter, tunc bene est naturalis erectio in pene: sed quia sunt multi flatus in ventre, & non multum seminis, qui dum intus stant, deueniunt deinde ad testiculos, & ad penem, vt faciant tunc eum erigi sine aliqua imaginatione, & in his erigitur, quemadmodū in senibus fit, in quibus sunt multi flatus excrementosi, ita vt in his etiā erigatur virga; tamē nō possunt coire miseri, quoniā spiritus vel flatus ille excedēs in testiculis illis est frigidus, & pituitosus. Ideo propter flatum tumefacientem,

tem,& nimis flatuosum sępe iuuantur melancholici, quoniam in his expurgātur illi flatus crudi, & frigidi,& Arist. fecit vnum problema, cur est quod maximè cupiant coire?& est propter flatus illos,sed hęc minimè naturalis est actio. eunuchi etiā erigunt suos penes ob hāc causam,tamen non possunt coire, vt emittant semen. vnde non est tutum tenere eos in custodia mulierum, non quidē erigunt propter semen,sed propter flatus:quæ quidem actio in his non est naturalis,sed præter naturam:quia non habent testes. Quare naturalis actio seminis stat in testibus,nō quidem propriè permanet in illis, sed prouenit ab ipsis, vt suo instrumento: & hæc secunda actio testiculorum propria. tertia actio est eiaculatio seminis in matricem ob eundem finem. vbi enim titillauerit materia illa facit vt membrum virile validè infletur, ex quo pruritu tunc festinat illa materia, vt excernatur à loco illo. cū enim exit tertia actio testium naturalis quidē, quia prouenit ab ipsis testibus,non tamen est in illis. Hęc communia debent optimè notari, ac sciri, & memoriæ mandari, vt bene eorum operationes seu actiones bonas, vel malas cognoscatis: quæ si bonæ fuerint actiones, & ipsi testes boni: sic etiam malæ si malè se ha-

beant.

beant. & hoc bonum est principium ad cognoscendum, an testes sint salubres nec ne? sed hoc nõ sufficit scire tantũ per cognitionem earum operationum testiculorum, sed etiam opus est cognoscere causas, à quibus fiunt huiusmodi operationes vel bonæ, vel malæ: sed quomodo cognoscemus hoc? notate, quod diximus actiones à temperatura oriri, superius loquendo de operationibus hepatis dicebamus sanguificationẽ, non tãtùm posse esse naturalem, sed etiam præter naturalem & sicut se habuerit sanguificatio, sic etiam seminis eiectio: quoniã seminis generatio est ab optima sanguinis concoctione. quoniam actiones naturales fiunt à temperaturis, semper talis est actio, qualis temperatura mẽbri. si bona &c. prĕtereà, si hæc operatio, generatio seminis est concoctio, quoniã habet concoquere multum sanguinis in paucam portionem redigendo, hæc concoctio sanguinis in semine fit per alterationem. si sic, ergo talis alteratio fit per calidum, & humidum: & sic temperatura, & testes, in quibus fit semẽ debent esse calidi, & humidi: ideo sunt optimi: nã rectè concoquunt sanguinem in semine, & hæc de signis vniuersalibus testiculorum. exerceamus modo hanc methodũ in particularibus signis, queadmodum facit Gale.

TEMPERATVRA TESTICVLORVM CALIDA QVIDEM &c. Galen. quasi cōnectens hæc cum superioribus, primùm ponit signa temperaturæ testium, sumpta ab actionibus naturalibus, & inquit, calida ad Venerem procliuis est: nos enim diximus superius, quòd generatio multi seminis est, quę veram, & naturalem eiectionem facit, & quæ facit etiam erectionem penis naturaliter. atque seminis generatio per concoctionem fit, concoctio per calidum & humidum, quoniam est alteratio à calido & humido facta. Imò si in testibus tantùm fuerit caliditas, facit quidem semen, & multum; sed nimis acre est, quia est magis calidū, quàm si fuerit per temperaturam calidā & humidā. Incitat enim, & pungit semen à caliditate tantùm; sed quod est per calidum & humidum, id est, ad generationem optimū: non sic titillat, non adeo stimulat: quoniam spiritus in eo existentes sunt magis mites, & suaues. sed vbi semen est calidum sine humiditate, illud est magis feruens, & maior fit ab eo titillatio, maiórque pruritus ad Venerem; & sunt valde procliues ad libidinem. si autem sit calidum & humidum, non sic titillabit, & tales non erunt adeò salaces. ET MASCVLORVM GENERATRIX &c.

Hoc

Hoc ſignum ſumptum eſt à fine: nam qui habent calidos teſticulos, ij ſunt apti ad generationem maſculorum, & ratio huius eſt, quoniam mas eſt perfectius animal, & calidius, quàm fœmina. cum ergo ex calidiori ſemine naſcatur maſculus, & ex minus calido fœmina, debetis ſcire, quod in habentibus teſticulos calidos, in his eſt ſemen calidum, & aptum ad maſculorum generationem: ſicut per oppoſitum ex frigiditate mulieres; & ſic qui ſunt tantùm calidi teſticulis, ij melius generant, & mares, quando calidi & humidi, qui etiamſi generent, non tamen ſicut calidi tantùm; quoniam dum calidi, & humidi mãdant ſuum ſemen in vuluam, quod eſt cum frigiditate, & aquoſum, & habet minus de caliditate; non ſic apti ſunt ad generationem marium. AT VBI SOLVMMODO EST CALIDITAS IN SEMINE, EST FECVNDA &c. Dicit Gale. fœcunda, & non fœcundiſsima, quod tamen poſteà dicet in temperatura calida & ſicca, ſi talis erit fœcundiſsima. ergo nec quæ erit tantùm calida, erit fœcunda, ſed ipſa deberet dici fœcundiſsima, cum ſit magis apta ad generationem, & ad maſculos generandos, quàm calidi & humidi. ſed inferius quidem dicit in temperatura calida & ſicca eam eſſe fœ-

cundiſsimã. CELERRIMEQVE GENITALES PARTES OBSITAE PILIS &c. Hoc eſt ſignum ſumptum ab actione naturali generatiua, verbi gratia, in his partes teſticulorum citiſsimè redduntur piloſæ pro cognitionibus. quare ſic in caliditate teſtium citiſsimè generantur pili? Dicit Ariſt. in quinto de hiſtoria animaliũ cap. 14. pueris circa decimumquartum annum incipiunt teſtes piloſi, & pectẽ emittere pilos, & dum emittunt, & faciunt magnos teſtes cum pilis, & hæc ſunt ab vna & eadem cauſa. Nam vbi in iſtis incipit eſſe calor, & ſpiritus vehementiores, tunc teſtes fiunt maiores, quia calor eſt factus acutior ſeipſo, & teſtes habent meatus: vnde magis penetrat calor & ſpiritus, & dilatat, & ſic incipiũt teſticuli creſcere, & incipiunt primo generare, quoniam ibi calor & ſpiritus ſunt peruigiles, qui ſunt calidiſsimi. vbi tales ſiũt teſtes calidi, ſic oriũtur & partes illis vicinæ, quemadmodum dicimus de hepate, quod tali exiſtente hepate in temperatura ſic redduntur partes proximæ. dicebamus pilos generari à calore, tanquam à cauſa efficiente, à quo quidem calore aduruntur humores, & fit materia fuliginoſa, quæ eſt materia pilorum. vnde manifeſtum eſt iam pilos à calore fieri,

& à

& à causa materiali cum debita dilatatione pororum. quoniam huiusmodi materia expellitur à calore per poros, per successionem, & fiunt pili circa 14. annum, generantur pili ipsi circa testes in pueris. sed quantò corpus erit aliquod calidius, & eius spiritus calidiores, tantò citius fiunt pili in tali corpore: sicut est contrà, quantò magis calor deficiet in aliquo corpore à suo esse, & in eo spiritus sint segnes, tantò tardius emittet pilos istud corpus. si modo testiculi sint calidissimi, tunc attrahent calorem valde, qui habet emittere materiam fuliginosam, & sic augebuntur testes: sicut etiam pili, & penis ab eadem causa. & quod dico de maribus, idem dicendum de mulieribus; quoniam si plurimos habuerint pilos in illis partibus, illæ sunt valde procliues ad libidinem. sic etiam vicina loca sunt pilis obsessa ab eadem causa. dicit igitur celerrimè genitales partes obsepi pilis; quicunque ergo faciunt pilos citò, signum certissimum est habere testes calidos, & isti sunt proni ad libidinem, & salaces. simul autem & circumiacentes partes attingit: si enim sunt calidi testes, non tantùm illi citò pilosi, sed etiam partes eis circumuicinæ, vt diximus in hepate calido. FRIGIDIOR VERO CONTRA-

RIA EFFICIT. Omnia hæc ſunt nota cum contrariorum eadem eſt diſciplina, ET HVMIDA QVIDEM MVLTO, ET HVMIDO SEMINE ABVNDAT &c. Quod hucusque dixit de qualitatibus actiuis teſticulorum, nunc modò accedit ad qualitates paſsiuas, & de his loquimur paſsiuis, quantum humiditas ſuperat, & abundat in teſticulis, tantùm deficit ipſa ſiccitas. Vbi teſtium temperatura excedet, niſi per humidum, tunc in his ſemen generabitur, multum quidem: quoniam non eſt defectus in generatione ratione materiæ, ſed tale ſemen erit humidius, quàm conueniat: quia in eo eſt craſſities, & humiditas nimia, & deficit in eo ſiccitas. contrarium autem fit, vbi in ſemine exuberat ſiccitas, & deficit humiditas. nam tale ſemen non eſt multum, ſed paucum: omne enim membrum generat per concoctionem alimentum ſibi ſimile. nam hepar, ſi fuerit ſiccum, generabit ſanguinem ſiccum, & ſibi conſimilem, quemadmodum habetur in ſecundo de facultatibus naturalibus, quod hepar non generat ſanguinem, niſi vt ſe nutriat. ſi verum eſt, membrum omne, quod concoquit, generare per concoctionem ipſam, alimentum ſibi ſimile, ſi modo teſticuli fuerint

fuerint ſicci, ergo ſemen ſuum ſiccum, quoniam in ipſis generatur ſimile, & modicè craſſum generat ſemen. Tale inquam ſemen erit modicè craſſum, quoniam ſi eſt ſiccitas in hepate, & caliditas moderata non adurens, tunc talis temperatura facit ſemen eſſe craſſum; & loquendo de hepate diximus craſsitiem ſanguinis, vel ſeminis in ſanis poſſe dupliciter contingere, aut quia partes ſubtiles abſumuntur à calore, & exhalant, aut quoniam cõmiſcetur quid de parte craſſa in eo, vt de pituitoſa. ſed craſsities facta primo modo eſt cum caliditate abſumente ſecundo modo; ſecunda craſsities facta primo modo eſt cũ caliditate abſumente ſecũdo modo, quæ craſsities hic poſita eſt à frigiditate multa. ſed in his teſticulis non eſt multa caliditas, nec multa frigiditas: ergo ſemen nõ erit valde craſſum, ſed modicè, quoniam teſtes ſunt ſicci; ſicut & in hepate ſicco ſanguis eſt moderatus in craſsitie. ſic igitur ſemen in his teſtibus erit modicè craſſum.

CAPVT XLIIII.

CALIDIOR VERO AC SICCIOR &c. Aduertatis rectè hic vnũ dictum: quoniã iam omnia ſunt facilia, dicit enim & craſſum ſemen habet. nam habet omnes

conditiones: primum est siccitas in testiculis, quæ habet facere sanguinem, & semen crassum; est etiam caliditas acrior, quæ habet resoluere partes subtiliores, quibus resolutis sic semen reddetur crassum, & fœcundissima est. Hic oritur vna dubitatio tum à natura rei, tum propter difficultates appositas; & primum à natura rei videtur, quod temperatura non debeat esse fœcundissima, quoniam temperatura hæc est calida & sicca. nam si verum est, quod semen fiat per concoctionẽ veram sanguinis; & cõcoctio bona fiat seu perficiatur à calido & humido, cum hæc est calida, & sicca tẽperatura, videtur, quod deberet generare parum de sanguine: & sic parum de semine. quare dicit esse fœcundissimam, si generat parum de semine? sed fœcundissima debet esse tantum calida, vel calida & humida temperatura: præterea in contrarium sunt autoritates. quoniam in quinto aphorism. 62. 63. dicit Galen. hos esse fœcundissimos, quibus sunt calidi & humidi testes, non quibus calidi & sicci: sic dicit deinde de mulieribus. ergo dubium hoc habet secundum & à natura rei, & ab autoritatibus in oppositum. notate hoc, & primò respõsio est vera. dico esse fœcundum capi posse dupliciter, vno modo absolutè sine aliqua relatione,

non

non referendo hanc fœcunditatem: nemini dubium erit, quòd ij erunt fœcundissimi: qui habent testes calidos, & humidos, vt habetur in 5. aphor. aphorismis citatis, quoniam tales generant plurimum de semine; & hoc patet ratione iam probata à nobis superius: Nam temperatura calida & humida est, quæ bene concoquit, quæ temperatura fit à calido, & humido: sed modo semen est instrumentum fœcunditatis: ergo vbi plurimum de semine, ibi etiam plurimum de fœcunditate: quoniam fœcũditas absolutè sumpta est in calidis & humidis testiculis: quæ temperies, vt modo dixi, est valde fœcunda. At si consideremus fœcunditatem non absolutè, sed respectiuè, tunc magis fœcundi sunt calidi, & sicci: quia citius incipiunt coire, & tandem distinguit: multa enim reperiuntur seu requiruntur ad coitũ, vt fiat fœcundus. oportet enim quod primum sit promptus vir, & quod non debeat dormire, quando debet coire, quantum respectu seminis: & si sit fœcundissimus calidus & humidus: non tamen est promptus ad coitum: vt calidus & siccus. præterea calidi & humidi, tardè incipiunt coire, vt in vigesimo anno, & incipiunt coire cum nausea, qui etiamsi multum coeant, tamen semper sunt pulcherrimi, non facilè

exiccantur.tardè inquam incipiunt,& citò desinunt à tali opere. sed qui sunt calidi & sicci,hi quidem citò coire incipiũt, & tardè desinunt à coitu: semper volunt coire isti,& multi sunt senes talis temperaturæ, qui semper coire volunt.vnde isti respectiuè dicuntur fœcundissimi, quoniam sunt prompti,& citò incipiũt, & multũ coeunt. Ideò rectè dicit loquendo hic Gal.& quinto Aphorismorum 63.quod sunt fœcundissimi,& qui sunt calidi & humidi semper generant,& melius,& si non adeo citò: & semen horum quia calidum est & humidum, ideo in his dicitur fœcundissimum,& dicitur tale absolutè. Hæc est prima solutio, extat & alia solutio ad hoc dubium:quod si quis est fœcundissimus ratione seminis:dico,qui sunt calidi & humidi absolutè sunt fœcundissimi: quoniam suum semen est tale, & calidi & sicci respectiuè dicuntur fœcundissimi: quoniam promptissmi,& citò incipiunt, vt vult Gal. in sexto Aphorismorum. Dicit quidem semen est fœcundissimum,non tamen dicit talis, vel talis materiæ;nec in caliditate, & humiditate. sed dicit fecundissimum semen intelligẽs de calidis, & humidis:& sic oberrant isti, qui quærunt contradictiones. nam omnes secundum suum sensum sunt fœcundissimi.

mi.

mi. Deſcribitur autem homo calidus & ſiccus: & piloſus vbique. Tales dicuntur & hirci petulantes,qui ſalaciſsimi ſunt. Ideo non immeritò dixit ſemen horum eſſe fœcundiſsimum,& ſunt hirci iſti: qui ſemper volunt coire:& ſi non poſſunt.ſemper enim defatigantur. vnde Gale.in ſexto de tuenda valetudine inquit,qui ſunt calidi,& ſicci à coitu plurimum læduntur;& ſi ſemper appetant coitum.

De ſignis inſalubribus.
CAP. LXXXII.

NON tali ordine procedemus in reſiduo huius ſecundi, primum ſumus tradituri vniuerſalem methodum de ſignis inſalubribus, quæ methodus erit quidem perbreuis: tamen omnia ſub ſe perneceſſaria comprehendit,& fortè qui non ſcribũt, facilè obliuiſcuntur.In primis legam, poſteà altero die, vt habeatis quæ dicturus ſum,ſcribetis hæc. vidiſtis enim à principio huius ſecundi,dum inciperemus loqui de ſignis ſalubribus, quod dedimus vnam tabulam vniuerſalem omnium ſignorum, quorum alia appellantur ſalubria,alia neutra,& nonnulla inſalubria ſecundum mentem Gale.qui poſito prætereà verum aliud

addidimus, quod est à Gale. collectum per alios libros ibi, & illic. dicebamus in hoc secundò notando, quod horũ omniũ signorum quædam sunt indicãtia salubritatem, vel insalubrittem, vel neutralitatem præsentem; & horum aliqua quædam salubritatem, vel insalubritatẽ, vel neutralitatem præteritam: alia autem salubritatem futuram. omnia hæc sunt necessariò prælibanda: & rectè memoria seruanda. Ideo sciatis, signa aut dicunt præsentem dispositionem sanam, vel insalubrem, aut neutralem: illa verò quæ significant præsentem statum, vel dispositionem, appellantur signa diagnostica pręsentis status cognitiua, ac declaratiua: quæ præteritam indicant dispositionem, ea nuncupantur rememoratiua. At quæ prænunriant dispositionem futuram, illa vocantur prognostica, prænunciatiua. Hæc omnia habuistis in tabula nostra vniuersali: primum ibi agere inceperamus de signis salubribus præsentem statum indicantibus; de his quidem in primis dicebamus, adhuc methodum vniuersalem dedimus, & si vultis Gal. habere comitem in huiusmodi signis, etiam legatis hunc librum, & primum de elementis, primum, & secundum de temperaturis, & de facultatibus naturalibus, & etiam librum

an

an animi mores &c. In his habetis omnia, quæ super hunc secũdum tradidimus: & in tabulis, quoad primam partem signorum salubriũ. de præsenti dispositione nihil amplius: vt per ordinẽ procedamus circa hoc primũ debetis notare vnum, quod est valde commune omnibus signis præteritis, & futuris salubritatem indicãtibus præsentẽ, aut futuram. Nam ea signa huiusmodi indicantia, vel sunt in corpore salubri, vel insalubri, vel neutro: & hæc tria sunt anagnostica, & prognostica, quemadmodũ Gal. in primo prognosticorum dicit cum Hippoc. quod maximè confert habere signa, per quæ sit possibile habere dispositionem præteritam ægri, etiam est ad maximam medici gloriam, & ad summum eius honorẽ. hoc ideo ad medici maximum honorẽ, cũ multa in ægro prçterita rememorare sciat: quæ non antea nouerit. prætereà multum lucrantur, & tandem Gal. loco citato nihil magis facere ad medicum, quàm scire rememorare præterita ipsi ægro, & astantibus: nam & hoc etiam facit ad philosophiam. Medicus itaque debet habere artem, qua possit per signa deuenire in cognitionem præteritæ dispositionis: vnde dicimus, quod signa salubria de præterita, & futura dispositione, siue in corpore salubri,

vel

vel ægro vel neutro ſunt communia ob id, ſed à quibus modo fontibus incipiemus attendere hæc ſigna? Dico hanc artem in habendis his eſſe ſatis facilem, à quibus inquã fontibus ſumuntur? ab ijſdem, à quibus ſigna præſentis diſpoſitionis habita ſunt? & ſunt duæ ab actionibus, & paſsionibus. ſed qua via procedemus ad hæc, vt acquiramus futuram, vel præteritam ſanitatem, vel diſpoſitionem? dico quod prius cognoſcere oportet ſanitatis veſtigia, quæ nunc adeſt, ſi vultis habere indicia de præterita, & futura? ex veſtigiis derelictis à ſanitate in corpore cognoſcetis ibi ſalubritatem fuiſſe, non tamen eſſe: & cognoſcetis qualis fuerit ipſa ſanitas ibi. Audiuiſtis, quod ibi locuti ſumus de actionibus naturalibus generatiuis, & de nutritiuis, quemadmodum actionum naturalium quædam ſunt generatiuæ, quædam nutritiuæ: generatiuæ ſemper ſunt in ſuo ſubiecto. in quo ſunt eædem, à quo principio productæ fuerint; & ſi etiam mutentur corporis diſpoſitiones ſiue enim ſanus ſit, ſiue æger homo, ſemper hæ generatiuæ à principio remanent eædem, vt à principio genitæ fuerint venæ amplæ: pili multi, muſculi magni, arteriæ ſic, & aliæ huiuſmodi: talia nunquam mutantur: & ſi mutetur corporis diſpoſitio, quia facta

ſunt à principio ab ipſa virtute generatiua. vbi modo quis fuerit affectus aliquo morbo,& volueritis vos cognoſcere ſuam ſanitatem præteritam adhunc lapſum cognoſcendum in tali viro. quomodo inciderit in ipſum, opus eſt, vt diſtinguatis, quænám ſint ſigna propria præteritæ ſanitatis, &quæ propria ſigna præſentis diſpoſitionis, ſed quomodo cognoſcenda ſunt? videatis tunc rectè,quænám ſigna produxit virtus generatiua à principio generationis, vt ſi venæ fuerint amplæ,vel anguſtæ. Nã ſi auguſtæ;tunc erit indicium hepatis frigidi.ſic ad cognoſcendum cor, an calidum vel frigidum ſit, videatis an thorax ſit amplus,vel ſtrictus, an breuis? ſi amplus, cor erit calidũ:ſin alioquin: indicatur de cordis frigiditate. ſic etiam pilos conſiderare debetis an pauci,an multi? & arteriæ magnæ.ſi ſit muſculoſus necne? vidiſtis enim vbi loquebamur de ſignis ſalubribus,quod etiã temperatura immutatur,& humores,& ſicut variantur humores,pariter ſequuntur colores ꝓprij in cute talis, vel talis humiditatis dominantis. quare oporter, vt cognoſcatis pręteritam diſpoſitionẽ,vel ſanitatẽ, quænam fuęrit. ſi vultis bene dignoſcerę præſentem diſpoſitionem, vel ſanitatem, quædam fuerit,& eam metiri. prætereà ad hoc

hoc sunt cognoscendi mores, consuetudo, quæ habet iudicare de proxima sanitate. Nam mores sequũtur tẽperaturam corporis, quoad mores, & si mores facilè nõ immutantur ad habendam cerebri temperaturam videte, an fuerit ingeniosus, an non? & quid in præsentia posteà sit, an promptus, & vegetus in sensibus, an fuerit segnis, & tardus, ac obtusus: & sic his mediis facilè habebitis cerebri temperaturam, quæ fuerit, & quæ sit hic discurrere per virtutes vitales oportet, an audax iracundus, & constans. & quid in his anteà fuerit: sic inquirite in naturalibus virtutibus, quomodo se habeant, & habuerint. ex his igitur poteritis habere temperaturam membrorũ principalium. præterea valde vtile erit quoque si interrogabitis ægros, vel astãtes de præteritis: & hoc quidem non est difficilè. hæc enim non docentur hic, sed in praxi. & ideo talia huiusmodi melius poteritis quærere ex vobis, & sic magna vtilitas sequitur ipsum medicum habitis pręteritis, quia per ea poterit exquisitè cognoscere dispositionem præsentem. præter maximam vtilitatem eritis in maxima existimatione apud omnes; & de his sufficiant. Hæc nanque est quędam regula omnino habẽda ad cognoscendas præteritas dispositiones, & præsen-

tem

tem sanitatem in corpore aliquo, vel neutro, vel ægro. in præsentia habetis etiam artem, & modum, quo habere valetis signa in corpore neutro, vel ægro, de futura sanitate, à quibus fontibus sumũtur hæc signa? ab actionibus, & passionibus tantum. Videamus quomodo verum sit? Declaro hoc, sit aliquod corpus ægrum, vel neutrum, sumatis ægrum. vultis videre vtrum possit corpus curari, & si potest quando, & quomodo debeatis ipsum curare, quid considerabitis in hoc corpore? Notabitis actiones, & passiones totius, & primum ab actionibus: ab animalibus autem omnia, quomodo æger se habeat circa illas, nũquid hæ actiones sint prorsus ablatæ? nunquid diminutæ, an corruptæ? nunquid peius se habuerint, quàm nunc vel melius. an num læsæ sint in toto, vel in parte? quia si in toto omnes erunt læsæ: si in parte, ergo aliquæ erunt læsæ, aliæ non, & an debeant tendere ad sanitatem an non? & ad melius, vel peius, vel sunt ablatæ, vel diminutæ, vel corruptæ. vel si prius deterius se habeant, vel melius, & sic in virtutibus animalibus debetis procedere, in quibus nihil aliud potestis cognoscere, quàm quod diximus. sed in vitalibus longe melior, & dilucidior fit earum cognitio. In naturalibus

fit

fit dulcissima earum notitia, & sic dantur tres gradus, ex quibus sumitur indicium vtrum sit futura sanitas, nécne? in animalibus actionibus tantùm est videre, an sit futura sanitas nécne? per hoc quod videbimus, an peius vel melius se habuerint, quàm anteà. At in vitalibus de hoc est longè clarior methodus, quàm in animalibus, In his oportet videre pulsus, an magnitudo pulsus sit maior, quàm fuerit prius: & sic de velocitate, de frequentia; quoniam si fuerit pulsus magnus, velox, frequens tunc indicabit futuram sanitatem: si non adest contrà; & sic ratione pulsus potestis videre an sit futura sanitas nécne? quia si pulsus erit oppositus iam dicto, tunc non sanabitur æger. circa naturales actiones clarissima habetur notitia, circa quas versantur medici, quoniam faciliores. ostendebamus enim in præcedentibus has actiones non apparere ex se, nisi per suas operationes, suósque effectus, nimirum excrementa, à quibus melius sumuntur indicationes, & signa prognostica de futura sanitate, vel morte, isti autem affectus actionum naturalium, qui sunt excrementa, & qualitates mutatæ, quæ sunt ab actione naturali generatiua, quid indicant? primum excrementa indicant bonam, vel malam con-

coctio

coctionem in corpore, dum videmus excrementa accedere ad suam speciem naturalem, & bonam dispositionem, vt si videamus feces per secessum, & sudorem, & per vrinas, & debito tempore fieri, & in debita quantitate, & qualitate, & in bona substantia & in reliquis non immutatæ ab aliquo, tunc significant futuram salubritatem: per hæc enim signa cognoscuntur naturales actiones, quæ quidem habentur ab excrementis, nobis naturalem demōstrantibus actionem, quænam sit, & quomodo se habeat. ab actionibus ergo naturalibus per suos effectus sumuntur signa futuræ sanitatis, vel mortis. præterea per qualitates mutatas cognoscimus, an sit futura sanitas in ægro, an non? vt calore mollitie, duritie, lenitate, asperitate, caliditate, frigiditate, & reliquis qualitatibus, quæ habet indicare supra corpus secundum variationem earum. Nam si fuerit corpus valde feruens, dum est ægrū, fiet sanitas in eo: bonum enim hoc signum est, & dicit futuram sanitatem. vbi verò nimis durum fuerit, & fiat molle, tunc erit bonum signum de futura sanitate, & sic de cæteris dicendum, quæ in melius mutantur. dum verò hæc in peius, tunc signum in ægro de futura morte, nō sanitate; sic idem dicendum est de excrementis, & sic signa

huiusmodi à naturalibus actionibus sunt lucidissima ad cognoscendam mortem, vel futuram sanitatem. & quæ à vitalibus etiam sumuntur valde clara. circa passiones modo dico, quod semper debetis considerare eo modo, quo de actionibus: si enim primo vultis habere à passionibus, an æger liberabitur, vel non, primum consideretis passiones animales cerebri, quæ sunt somnus, & vigilia; & si æger diu vigilauerit, posteà dormiat, tunc illud erit bonum signum, quod liberabitur. si autem fiet oppositum, illud erit malum, & peribit, & sic ab his passionibus possunt signa sumi de sanitate futura, vel morte in ęgro. Deinde à passionibus vitalibus cordis eadem indicia sumi possunt. Nam si fuerit æger, qui incipiat diffidere, & timere, etiam viros omnes, tunc est malum signum: quoniã timor nascitur ab aliqua mala dispositione occulta in ipso ægro. Ideo tũc medicus debet timere, vbi in ægro deperdita est confidentia. sic si æger amiserit pudorem, quem prius habebat. & sit impudens, & ostendat pudibunda, non potest aliquo modo saluari. & ego neminem vidi amisso pudore saluari, & liberari: ideo hoc est pessimum signum. vbi autem in ætate æger fuerit constans, & maneat, illud erit bonum signum: & sic de ira-

cundia.

cundia. ſi autem fit per oppoſitum, indicabitur oppoſitum: hæc de cordis paſsionibus. Quantum ad tertium principium, de eius affectibus, vel paſsionibus: quando videtis aliquem ægrum inclinari ad voluptatem, tunc illud erit bonum indicium, & ſanabitur. deinde quo ad aliud. ad affectus ventriculi, ſi æger fuerit ſine appetitu; & cum magna ſiti, deinde tunc non ſitiat, ſed appetat, tunc illud erit bonum indicium: contra verò eſt malum. videtis nunc quonam modo, ab accidentibus huiuſmodi ſumantur talia ægri indicia in peius, vel melius ſit ferè ſuus ſtatus. quæ ſigna ſunt vel ſanitatis, vel futuræ mortis. & ſic vos Gale. docet ſumere ſigna, quæ ſemper verſantur circa duos fontes circa quos debetis verſari in tota huiuſmodi arte: non enim poteſt medicus ſumere ab alio ipſa ſigna. quare videtis actiones, & paſsiones eſſe fontes omnium ſignorum, quæ indicant præteritam ſanitatem, vel futuram hoc modo: & de his ſatis. ſi modò vultis habere hæc dicta per methodum, videatis tres libros de prognoſticis, & duos primos libros de criſi, & libros de diebus criticis. ſed vnum hic notandum, quod omiſeram quomodo ſe habeãt dies in actionibus, & paſsionibus; quæ omnia in libro allegato habetis, & ſic videtis,

quomodo ex hac methodo signa habere potestis, vt cognoscatis, quomodo corpus ægritendit ad sanitatem, vel ad salubritatem; quibus habitis facilis erit ingressus ad libros iam dictos, quoniam semper habebitis hæc omnia fixa in mentibus vestris: & hæc de signis indicantibus præteritam, & futuram sanitaté. agamus modo de signis indicantibus neutram dispositionem, quæ triplex est, vel est prima neutralitas per abnegationem vtriusq; extremi, vt verbi gratia cum quispiam est modo salubris, modo æger: vbi est tale corpus, dicitur modo salubre, modo insalubre. Alia est neutralitas, quæ non est in toto corpore, sed in aliquo membro, vt quod in vno membro sit sanitas, in alio verò non: vel dicitur neutralitas, quando quis in aliquo tempore habet neutralitatem, in alio sanitaté: de his duobus postremis modis in præsentia sermonem non habebimus, quia hic non faciunt ad rem nostram, & tantum de primo dicemus, ad quem alii duo reducuntur modi. De primo ergo neutralitatis modo aggrediar: quando est dubium, nõ possumus cognoscere, si tale corpus sit sanum, vel ęgrum: quodcunque sit, dicemus tantum signa indicantia præsentem neutralitatem: posteà de futura, & de præterita non dicemus,

mus, quæ omnia essent superflua. nam habita præsenti neutralitate, habebitis etiam alias duas. erimus autem breues in his: sed qua arte procedemus? incipiemus ab iisdem fontibus, vt suprà, cum actiones sint in triplici differētia: aliæ enim animales &c. quę non immutantur: deinde sunt & qualitates, vt calor, dirities &c. quæ non immutantur: & si omnia fuerint commutata in homine, tamen actiones, & qualitates non immutantur, sed eædem manent: non enim impediuntur ita, vt non posint agere; sed adhuc vincant, & tamen tale corpus est immutatum, quòd non decumbit adhuc: tunc cognitio ista est obscura, cùm non adhuc æger sit, tamen est immutatum corpus: tūc iudicetis hanc esse neutram dispositionem in corpore. & quod dico de actionibus, idē & de pasionibus omnibus trium virtutum &c. videlicet de animalibus, vt de somno, & vigilia de vitalibus vt ira, & cōstantia animi: de mutatione pulsus; & sic de naturalibus: in his non immorabor; videatis quomodo sint cognoscendæ insalubritates tam præsentes, quam futuræ: & hoc est maximè artificiosum, quæ omnia sunt habenda. primum enim docebimus, quomodo cognosci posit ægritudo præsens: deinde docebimus de futura. Dico signa indicātia

ſalubritatem,vel ægritudinem præſentem hoc modo ſe habent,quodquædam horum indicant morbum præſentem,alia verò locum affectum;ad quæ duo capita reducuntur omnia ſigna indicantia inſalubritatem præſentem,vel eſſentiã eius.ſigna quæ indicant naturam,vel eſſentiam, vel rationẽ formalem morbi,vt febris, vel eryſipelatis,vel indicant morbi malitiam,vel bonitatem eius, vel 3. indicant temperaturam morbi. Quare ſigna indicant morbum,aut eius tempora principium, augmentum,ſtatum,& declinationem:circa enim hæc tria verſari debetis in morbis:dicebamus enim primum aliqua indicare ipſum affectum morbum,alia verò locum affectum, qui locus ſit affectus,oportet omnia hæc cum neceſſaria ſint, recitare ſæpe. Hac diuiſione præmiſſa,quoniam aliqua indicant morbũ ipſum,& horum ſignorum ſalubrium &c. De ſecundo autem membro, de indicantibus locum affectum:aut enim indicant extrinſecum,& patentem;aut locum intrinſecum,& latentem. Iam ſunt membra huius diuiſionis ſufficienter diuiſa, videamus ſigillatim.& primo membra de ſignis,quę indicant eſſentiam morbi. Dico quod morbus omnis eſt in triplici differẽtia,aut ſit in temperatura, aut in compoſitione , aut in
ſolu

solutione continui. Videamus de primo, de signis insalubribus indicantibus malã tem peraturam. nam vna intemperies debet esse simplex, & sine materia: alia verò cum materia: simplex est sine materia in loco, sed intemperies ibi est, vel quia locus sit rarior factus, vel densior, non quod ibi sit materies; vel in membro est intemperies cum materia, quæ habeat corrumpere locum, ita vt membri temperies corrumpatur, & egrotet; non quod ex se sit ægrum membrum in compositione; sed quia impediatur ab operationibus suis, & actionibus solitis. sic enim his duobus modis potest esse intemperies essentialiter in membro, vel absque materia, vel cum materia. ergo potest intemperies aut simplex, aut composita; & ita videtis quomodo in temperatura membri possit esse vitium. sed quomodo, & qua arte, quibúsve signis poterimus cognoscere malam temperaturam? Vnde sumentur hæc signa? Dico procedendum esse semper ab actionibus, & passionibus, non ab aliis fontibus. sed in hoc tantum differunt, quia modo actiones, & passiones sunt naturales, modo neutrales, modo ægrè & vitiatæ. sed nos hic consideremus, quemadmodum hæ actiones sunt sanæ, non vt ægræ; quia si essent vitiatæ, tunc non essent

ſalubres.iſto modo temperatura mala,quæ per ſua ſigna cognoſcenda eſt,vel eſt in toto,vel in parte:ſed hoc nihil refert,quia ſiue ſit in toto,ſiue in vno membro, eadem ratio eſt ſine affluxu materiæ. Ideo non eſt multiplicanda iſta differentia vlterius ſiue in toto,ſiue in parte:ſed quonam modo cognoſceris talem temperaturam per hæc ſigna? Gal.tradidit hæc ſigna, ſed dum dicit hoc,cõfundit multa,quæ ſigna tantum indicant de temperatura ſine affluxu materiæ,vbi habentur,& ediſcuntur huiuſmodi ſigna à ſcientia generali;ſed non omnino rectè,quia confuſus eſt. vbi tantum fuerit intemperies calida à membro,tunc ſuæ actiones corrumpũtur.& notate, quod vnaquæque actio tripliciter poteſt deficere:aut enim diminuitur,aut corrumpitur, aut auffertur:ſed quando corrumpitur ipſa actio; quando aliter agit,quàm agere conueniat; tunc quidem eſt corrupta,quia non agit,ſicuti debet:ſed operatur aliquando,quando debeat,vt verbi gratia,ſi ego,qui modo legere debeo, dicerem, quæ non faciunt ad rem noſtram,& abſurda aliqua, tũc enimuerò eſſet mea actio legendi corrupta:quia & ſi agat,non tamen vt decet.ſed quæ ſunt actiones diminutæ. Dico actiones diminutas quidem agere,ſed imperfectè operari:
quia

quia nō possunt ita agere,vt necesse est nō complere,quemadmodum si legerem hodie mediam hanc lectionem. actiones autem ablatæ sunt, quoniam actiones nihil prorsus agunt. Aut ergo aufertur actio, vel diminuitur,vel corrumpitur:prout autem actiones hæ se habent triplici modo, possunt etiã variari. dicimus ergo cũ Gal.corrumpi actiones,vbi fuerit hæc intemperies calida in membro. noteris autem semper hoc esse verum in temperatura sine materia:nam in temperatura cum materia non semper verum fit, quod diximus,vt in temperatura sine materia,vbi talis intemperies in membro sine materia,& fit calida, tunc actio membri corrumpitur, & hoc est semper verum,quoniam Gale.non sic distinguit.& circa hæc plurimum,& diu fui dubius,& anxius, vt inuenirem lucem huius rei. Dico igitur in temperaturam existentem calidam absque materia tunc corrumpere actiones eius membri,in quo est,quando aliter operatur,quàm debeat:quemadmodum si cerebrum patiatur talem intemperiem calidam sine materia,tunc cerebri actio corrumpitur:quia non rectè discurrit,sed fit delirium. sic de ventriculo dicendum,quod existente intemperie calida in eo sine materia non rectè concoquit tunc;

ſed adurit: ſic in corde dicatur; iſti ſunt iracundi, & demoniaci, & terribiles: pariter ſi talis intemperies fuerit in teſticulis, tunc iſti cum vident puellas, volunt eas vi ſuperare. Quare dum hæc intemperies calida ſine materia eſt in aliquo membro, habet corrumpere actiones eius membri; & ſic vbi actiones in membro corrumpuntur, ibi ineſt caliditas præter naturam in temperatura abſque materia; & iſte eſt terminus diuidens membrum à ſanitate: quoniã impediuntur actiones à ſua operatione; quia corrumpuntur. ſic incipiunt quidem agere, ſed non complent, & non attingunt ſuum finem, tunc dicatis illud membrum eſſe frigidum, & illud membrum habere intemperaturam frigidam in gradu ſic magno, vt valeat diminuere actiones eius mẽbri cum ea frigiditate aduentitia. frigiditas enim vbi potens, habet diminuere. ſi verò frigiditas erit maxima, tunc auferentur actiones, & nõ tantum diminuentur, quemadmodum in ventriculo ſolet accidere: qui ſi infrigidetur, tunc non poteſt bene concoquere; & ſi ſit in eo intentiſsima frigiditas, tunc aufertur concoctio ei. ſic ſi cerebrum infrigidetur, tunc fiunt ſtupidi, & cacochymi propter nimiam frigiditatem: quod ſi ſic verum ſit, nullam rem facilius

est cognoscere, quàm has intemperies: quoniam vbi fuerit caliditas vehemens in temperatura sine materia, tunc corrumpuntur actiones eius membri. diminuũtur autem, vel auferuntur actiones eius membri: diminuuntur, quando in membro aduenit intemperies frigidissima sine materia; & hoc est semper verum. At vbi fuerit intemperies in membro per affluxum materię, nõ semper hoc est verum, quod à caliditate corrumpantur, & à frigiditate semper aut diminuantur, aut auferantur actiones. quando autem intemperies est per affluxum materiæ in membro, hic affluxus potest lædere membrum dupliciter aut in complexione, vt quando deueniat sic materia humida, vt generet & faciat tumorem, ita vt non tantum impediat membrum, & eius operationes quo ad instrumentum; sed quo ad temperaturam. est enim adeò mala temperies, vt faciat dolorem, & impediat operationes eius instrumenti, ac non tantum impediat temperaturam, vt similare est illud membrum, sed etiã vt organicũ, & instrumentale, & sic de his modis materiæ affluxus potest lædere operationes, aut tantum lædit ipsum membrum in operationibus quo ad tẽperaturã, aut quo ad instrumentũ semper lædẽdo operatiões eius.

si modo primo impediat membrum, prout est similare, si impedit temperaturam eius lædendo operationes, tunc eadem ratio, & eadem regula: quando mẽbrum læditur ab intemperie sine afluxu materiæ, quod si fueri: calida intemperies, tunc corrumpit actiones: si frigida, diminuit, aut aufert: si enim materia, quæ fluit ad membrum, vt ad brachium vel manum est frigida, tunc impedit actiones diminuendo eas. Nam manus est diminuta operatio, aut fortè est ablata; quod manus nihil potest moueri: si tantùm est diminuta manus operatio, signum est materiam frigidam illam non esse plurimam, sed paucam. si sit materia multa, quæ fluit, vel fluxa est, tũc omnino erit impedita manus, vel aliud simile membrum. quare secundum paruitatem, & multitudinem materiæ frigidæ fluxæ ad membrum, aut diminuuntur eius operationes, aut auferuntur. vbi ergo materia frigida fluit ad membrum, secũdum gradum suũ impedit actiones eius membri naturales, vel diminuendo, vel auferendo quoad temperaturam, & vt est similare membrũ ipsum. At modò si materia, quæ defluit ad membrũ fuerit calida, tunc non diminuit, nec aufert actiones, sed eas corrumpit: & hoc verum est. sed notate bene

verum esse, si materia, quæ fluit, est calida, vel frigida, eam facere ita, vel ita operari contra actiones membri naturales. sed de qualitatibus passiuis quid dicemus, si materia fluens ad membrũ, sit sicca, vel humida? Gal. quidem de his dicit in virtute: dicimus autem si tantũ sit siccitas in materia fluenti, eam nõ diminuere operationes; sed sola tantùm exiccatur: at si sit sola humiditas, semper lædit operationes, & impedit. si verò siccitas sic adiuncta cũ aliqua actiuarũ, vel cum frigiditate, tunc bene siccitas ipsa impedit actiones; quoniã exiccatur membrum, & nõ potest nutriri: si iuncta sit cum caliditate, tũc actiones corrumpuntur; quia resolutio fit partiũ subtilium, & adurũtur: non enim tunc nutritur membrũ, vt debet. dixi alias omne membrũ secundum suam substantiam, & temperaturam debere nutriri eo modo: sed dum fit siccum, tunc non bene nutritur. vbi ergo est materia sicca cũ caliditate fluxa, tunc nõ naturaliter potest nutriri membrum, sicuti oportet propter adustionem: vnde in his solet fieri tabes. si verò iuncta sit siccitas cum frigiditate, tũc non potest nutriri membrum, quia nõ concoquit: vnde etiã tabes fit in eo. & ideo potest tabes dupliciter contingere, vna à caliditate cum siccitate in membro, alia à sic-

cita

citate simul cum frigiditate. Quæ autem fit cum siccitate,& caliditate dicitur hectica.& fit in iuuenibus: quæ verò à frigiditate,& siccitate dicitur etiam ea hectica,& fit in senibus; & dicitur hectica senectutis.

Vbi autem volumus inuenire aliqua signa, semper debemus recurrere ad illos fontes, ad actiones corporis, & passiones: nullum enim est signum, quod oriatur ab aliis fontibus, nisi ab his duobus: agendo nãque de mala temperatura simplici ostendebamus: quomodo temperatura simplex sine materia sumitur ab actionibus,& passionibus læsis, & vitiatis: ac dicebamus actiones posse tripliciter à suo esse deficere duabus de causis: vel enim poterãt corrumpi, vel diminui, vel auferri. vnde si erãt corruptæ, tunc erat indicium de temperatura calida, in membro sine materia. si autem erant diminutæ,hoc erat ab intemperatura frigida. simili quoque rationis modo, si erant ablatæ, frigida intemperies simplex erat causa læsionis; & sic ostendimus quomodo actiones posint esse corruptæ, aut diminutæ,aut ablatæ;quod idem est dicendum de pasionibus,vt de actionibus;quarum pasionum aliæ sunt in corpore propriæ; aliæ communes, quæ propriæ sunt vniuscuiusque membri, vt cerebri pasiones

nes ſunt ſomnus, & vigilia; cordis verò eſt conſtantia animi, timiditas, ira: ventriculi fames, & ſitis: hepatis voluptas, appetitus: teſticulorum voluptas ad Venerem, vel appetitus; hæ ſunt particulares paſsiones, aut huius, aut illius membri. paſsiones modo communes, & vniuerſales ſunt vt dolor, vel delirium, totius ſolutio continui dolor. dicebamus autem ſuprà quemadmodum actiones læſæ non tantùm lædũtur à temperie calida, vel frigida, ſed etiam à cauſa calida, vel frigida. quare non tantùm actiones diminutæ, vel ablatæ indicant caliditatem; & corruptæ dicunt caliditatem in temperie ſine materia, ſed etiam paſsiones immutantur ab iiſdem cauſis. nam paſsio cerebri, quæ appellatur ſomnus, dicit frigiditatem in membro, in quo eſt, in mala temperatura frigida, ſicut per oppoſitum nimiæ vigilię, quę ſunt paſsio cerebri, quãdo ſunt corruptæ, oriuntur à nimia caliditate. Nam nimiæ vigiliæ dicuntur potius inſomnietates; quoniã vigilia dicitur paſſio naturalis, quę nobis indicat bonam eſſe cerebri temperaturam. ſi autẽ erit nimia, non naturalis; quia eſt ab intemperie, & dicitur inſomnietas, ſicut ſomnum dicimus eſſe ſtuporem, qui fit à frigiditate nimia in temperatura. dico omnia eò, quia debita

frigid

frigiditas, & naturalis facit ſomnum naturalem: humitas verò potius, quàm frigiditas facit ſtuporem. vt ergo caliditas habet parere ſomneitatem ; ſic ſtupor habet fieri à nimia frigiditate. Idémque dicatis eſſe in omnibus aliis membris. Nam frigiditas in ventriculo gignit famem, & expellit ſitim: caliditas verò in eo facit oppoſitum, incitat ſitim, famē verò tollit: caliditas in corde facit audaciam, & animi conſtantiam. ſi verò ſit cor frigidum, facit timiditatem; ſic habetis de paſsionibus propriis, vt de actionibus, quod caliditas habet corrūpere paſſiones proprias naturales; frigiditas eas diminuit. quod autem dictum eſt de propriis paſsionibus, idem dicendū de paſsionibus communibus; vt de ſtupore, de dolore: vbi enim fuerit caliditas in tēperatura nimia, dolo augebitur, & fiet acutiſsimus: ſi intēperies erit valde frigida, tunc obtunditur dolor, & fit ſtupor: & ſic regula erit eadem tam in partibus, quàm in toto. Quare vidiſtis iam quomodo caliditas corrumpit, frigiditas verò diminuit, vel aufert tā ipſas actiones, quàm paſsiones ſiue proprias, ſiue communes: de paſsiuis etiam diximus, quod ſiccitas per ſe non deſtruit actiones, ſed bene humiditas ſola poteſt lædere eas, vt ſi ſiccitas ſit iuncta caliditati, tunc caliditas

ditas redditur acrior se ipsa; quia acuitur ab ipsa siccitate; & tunc corrumpuntur ipsæ actiones: quoniã à passiuis augentur actiuę. vnde tunc fiet maior corruptio, dum est cum caliditate, quàm si qualiditas sola sit, vel iuncta cum humiditate. vnde patet ꝙ humiditas iuncta qualitatibus actiuis, siue caliditati, siue frigiditati habet tunc diminuere actiones. si siccitas caliditati iungatur, augẽtur passiones. Vnde qui sunt multum calidi, & sicci hi patiuntur maiores passiones, quàm faciunt calidi & humidi temperatura. si verò siccitas est iuncta frigiditati, vt dictum est, tunc actiones magis diminuuntur, quam si sola frigiditas esset: quoniam siccitas cum frigiditate iuncta habet maiorem vim, quàm si frigiditas sola esset, & maior quoque est, quàm si esset frigiditas ipsa iuncta humiditati. Dicet quis contrà, imò frigiditas iuncta cum humiditate est maior, quàm cum aliqua altera cõmistione; quoniam aqua est primum frigidorum; quæ tamen aqua est frigida, & humida, non quod aqua per se debeat esse frigidorum prima; sed ratione humiditatis adiunctæ. ergo humiditas iuncta frigiditati videtur magis ipsam frigiditatem acuere, quàm siccitas faciat iuncta frigiditati. Ad hoc dico eos, qui dicunt de mente

Arist. aquam esse primum frigidorum elementorum, decipi, cò quia Arist. non sic dicit, quemadmodum alias demonstraui: sed aqua est primum humidorum, non frigidorum: nam terra est primum frigidorum. Humiditas enim facit aerem conuerti in aquam, dum adiungitur ipsi humiditati, frigiditas autẽ iuncta frigiditati facit terram: & frigiditas iuncta humiditati facit aquam esse aquam ratione humiditatis, humiditas verò iuncta caliditati facit aerem. & patet hoc, quoniam si tollatur humiditas, & adhibeatur loco eius siccitas ipsi caliditati, tunc fit ignis. per frigiditatem ergo adiunctam humiditati aqua est aqua. Aqua ergo primum humidorum. quod autem aqua non sit primum frigidorum, notate: non enim est dubiũ, quod si aqua esset primum frigidorũ, non posset magis infrigidari: tamẽ accidit, vt magis infrigidetur, dum fit glacies, vel nix, quę sunt frigidiora, quàm aqua. Ideo aqua nõ est primũ frigidorum. sicut igni nõ potest addi caliditas aliqua (nã calidiorum ignis est primũ) sic in niue, & glacie est maior frigiditas, quam in aqua. vnde bene dicebat Alexãder, quod glacies est media inter aquam, & terrã: sicut & aqua calefacta est media inter ignem & aquam: non enim potest esse, quod fiat

aqua

aqua ex glacie; quia in aqua est maior frigiditas, quàm in glacie: sicuti ex ipsa glacie potest fieri terra; quoniam aqua fit terrestris per congelationem. & ideo glacies est longè frigidior, quam aqua, & consequenter terra est frigidior & aqua ipsa, & glacie. ac nullus locus est magis infimus, quam locus terræ, qui appellatur centrum; ad centrum tendit terra; sicuti caliditas, quæ est in loco supremo, tendit ad circunferentiam ignis. Dicimus itaque terram esse primum frigidorum, non autem aquam. vnde instantia illorum contra nos nulla erit, quod humiditas iuncta frigiditati sit maior, quã si iuncta sit siccitati. Verùm dicimus oppositum, quod frigiditas iuncta humiditati est maior, & iuncta siccitati est minor. præterea ad passiones, & affectus videtur ratio manifesta pro nobis, quòd humiditas iuncta siccitati est maior. Nam sumatis affectus proprios cerebri, somnum, & vigiliam: diximus supra stuporem causari à frigiditate in cerebro excedẽte; adhibeatis modo ipsi frigiditati in cerebro siccitatem in vno, & in alio consimile adhibeatis humiditati, videbitis quæ sit potentior harum intemperierum in cerebro, & peior in processu breui temporis. Nam qui habent frigiditatem cum siccitate in cerebro, pri-

mo die non fient stupidi, sed tanquam lapides in motu, & sine sensibus: non enim mouentur, & sunt congelati, & κακόχυμοι. At si in cerebro infigatur frigiditas humiditati, tunc non fiunt, vt lapides, sed lethargici; & stupescunt. Nam aliquo modo hi mouentur, & non sunt, vt congelati, quemadmodum fiunt frigidi & sicci in cerebro, quales cacochymi lethargici. ergo sunt minus læsi, & habent actiones animales non sic lęsas, quia fiũt à frigiditate, & humiditate in cerebro. cacochymi verò à frigiditate & siccitate, & sunt magis lęsi. & ideo frigiditas cũ siccitate est maior, & vehemẽs: & ideo siccitas cũ actiuis qualitatib. iuncta semper eas valde acuit. At humiditas iuncta cum actiuis semper eas obtundit, siue sit cum caliditate, siue cum frigiditate iuncta. patet ideo de coniunctione siccitatis ad caliditatem, quod semper tunc acuitur caliditas illa. si modo humiditas iungatur caliditati, eam caliditatẽ obtundit, & comprimit. si humiditas verò iungatur frigiditati, frigiditas fit maior, quàm sola, vt dictum est; & si siccitas sit iuncta cum frigiditate, adhuc fit maior, quàm dicta omnia. Notate Galenum in secundo de temperamentis, vbi dicit eos, qui sunt frigidi & sicci tempesatura, naturaliter esse vegetos,

tos, boni ingenij, benéque operari, licet non fortiter agant, bene ſunt morati, eorum operationes ſunt diminutæ aliquo modo, non tamen bene; ſi ſunt frigidi, & humidi, ſemper torpeſcũt, dum ſunt præternaturales; atque frigidi, & ſicci præternaturam ſunt vt lapides, & veluti aſini, vt & cacochymi. quare in frigidis & ſiccis præter naturam in temperatura deficiunt omnes operationes, & hi ſunt melancholici; ſed frigidi & humidi ſunt, vt fatui, & ſtupidi. Intemperies ergo hæc cognoſcitur, quæ eſt ſine materia, & actionibus, & paſsionibus, quæ intemperatura facit, & cauſat morbum. vbi autem eſt intemperies hæc calida, læditur à calidis; iuuatur autem à frigidis. ſi verò ſit intemperies hæc frigida, læditur à frigidis, ſed iuuatur à calidis, & ſic de aliis dicendum, vt de ſicca, quę iuuatur ab humido, & læditur à ſiccis: & hæc regula, vel lex ſumitur à paſsionib. quæ quidem paſsiones, vt ſupra audiuiſtis, ſunt duplices: alię intrinſecę, alię inxtrinſecę & ſunt ſex tres nõ naturales, vt cibus potus: ſomnus & vigilia, exercitium, & quies. intrinſecæ ſunt, vt dolor vehemẽtiſsimus, vertigo, ſitis in ventriculo, & fames; hæc ſatis de ſignis indicantibus intemperiem abſque materia. Audiatis modo de tem-

peratura cum fluxu materiæ. quibusnam signis cognosci potest ista? Dico ab eisdem fontibus de hac sumi indicia, vt de aliis, ab actionibus & passionibus: si enim talis intemperatura cum materia fuerit in membris, non vt organicis, sed vt similaribus, in his eadem est ratio, quemadmodum dictum fuit de temperatura sine materia frigida. si erit talis intemperies diminuet actiones membri; si calida, corrumpet eas. si autem intẽperies ista est cum affluxu materiæ, & fuerit in membro organico, aliter de ipsa decendum est. itaque notate, quod materia talis, vel temperatura ac cum materia existente in mẽbro organico impedit compositiones; compositio autẽ in quo consistit? Dico si membrum sit talis figuræ, vt oportet, cum tali superficie vel aspera vel læui, cum debitis meatibus, & optimis, vel naturalibus cauitatibus, quæ omnia recte se habere debent: oportet enim quod sint debitæ viæ pro alimento sui membri: & pori non sint obstructi. præterea cauitates oportet esse condecentes, & gibbositates conuenientes in ipso membro. secundum ergo hæc quatuor requisita oportet membrum se habere, si debet esse sanum in corpore secundum figuram, superficiem, meatus, & cauitatem. Quando verò materia fluxerit,

rit, ita vt obstruat, & impediat aliquod horum, tum est impedimentum membri organici: nam erit in eo materia aduentitia, & non requisita, potest etiam magnitudo esse læsa, & mutata; quando sit membrum luxatum, & tunc impeditur, vt sit nimis crassus, hoc est vitium in materia: quoniam adest pars illa, quæ non debet adesse. quando autem fluxerit materia in membro, vt similare est, non vt organicum, tunc impeditur membri substantia tantum; non autem læditur aliqua illarum quatuor partium nec figura, quæ constat in compositione, sed tãtum materia percurrit per musculos: defluit enim vel figitur ibi materia: vnde lædit membri substantiam tantum, non tantum occupat membrum, vt instrumentum est in compositione, sed in temperatura. quare patet quod intemperies potest cũ affluxu materię lędere membrum dupliciter aut similariter, aut organicè; quoniam similariter impeditur à tali intemperie; cum materia tantum læditur membri substantia, vel temperatura, non autem compositio. quando est in membro organico, tunc tantum læditur membri compositio, non autem membrum similare. quænam signa erunt sumenda? Dico idem, quemadmodum dicebam de intem-

perie absque materia: sic enim in tali fluxu cum materia, si intemperies fuerit frigida, siue calida, tunc destruitur actio. & quomodo destruitur? quando actio consistit in cõpositione, quomodo potest lędi? Dico quod etiam si instrumentum agat per partes organicas, tamen operationes suæ fundantur in temperatura, qua intemperie destructa destruuntur etiam suę operationes, licet sua compositio non impediatur. ideo potest saltem lædi in membro sua temperatura absque impedimento compositionis. nam organum, cum sequatur bonam temperaturam, necessariò sequitur etiam bonas actiones. quo modo ergo intemperies est in mẽbro, etiam si nõ noceat organo, impedit tamen ipsum similare. Vnde diminuuntur actiones, vt si sit humor frigidus in mẽbro, qualis est pituita, & si sit in cerebro, tunc lęduntur cerebri actiones: operationes ergo permanente membri compositione ab intemperie frigida aut diminuuntur, aut tolluntur secundum gradum ipsius frigiditatis. si autem sit intemperies calida cum materia in membro, vt est bilis, tunc corrumpuntur ipse actiones: sic etiam si sit sanguinea materia peccans, etiam corrumpentur tũc actiones, & quod dico posse fieri in cerebro, idem dicendũ de aliis mẽbris. semper

itaque

itaque verum erit hoc, quod materia existente frigida, vel intemperie tali secundũ magis, vel minus aut diminuũtur actiones, aut auferuntur. si intemperies est calida, tunc corrumpuntur: & hæc dicta sunt fieri in membro, vt similare est, non vt organicum. cognoscuntur autem hæ dispositiones, vel isti fluxus non tantùm ab actionibus viciatis, & à passionibus læsis, sed etiam ab affluxu materiæ, quæ fluit per membrum. At isti fluxus vnde sunt, quomodo ista sumuntur signa? ad quæ debeat reduci? ad passiones, quartum dicebamus aliquas esse intrinsecas &c. quænam sunt? humores &c. quoniam aut pituita fluit ad aliquem locum. quænam signa præbent? præter hoc quod actio erat mutata, & lęsa ædepol, qualitates mutabuntur omnes. nam si fuerit pituita in membro dominans, semper apparebit in cute color pituitæ, albedo; & frigiditas percipitur, quoad tactum. præterea percipitur pondus in loco, quia materia illa frigida aggrauat, & sentitur dolor aggrauatiuus, & extensiuus. nam cum pituita inducit dolorem, vel extendit, vel aggrauat membrum. & hæc sunt signa pituitæ peccantis in membro, quę sumuntur ab ea. si verò fuerit humor calidus, vt bilis, quæ peccet, tunc quia ex to-

to opponitur pituitæ, apparebunt accidentia ommino opposita; & primo percipitur tactu feruere, & magna caliditas, color in cute erit palidus ὤχρος, vel citrinus qui est inter album, & lutheum medius; maximus dolor, qui est intemperabilis, seu inseparabile signum bilis. prætereà percipitur pondus leue; imò mollis; quia crassa est bilis, facit hoc: deinde quia subtilis, & calida, facit dolorem non aggrauantem, nec extensiuum. vt fit in pituita: sed bene huiusmodi dolor, quod est à bile, est pungens, & acris, & est vt vespa pungens. si verò fuerit sanguis, qui peccet in membro, percipitur quidem tunc caliditas, sed non sic pũgens, nec ita mordicans. deinde apparet rubedo, & cutis extensio, & grauitas: si nõ fuerit sanguis, ibi dolor quidem percipitur acris, sed non adeò, vt esset bilis. prætereà si sanguis fluat ad arterias, tunc percipitur pulsatio magna. si autem humor melancholicus peccauerit in membro, quænam signa ab eo sumentur? apparent talia. primum quoad qualitates tangibiles percipitur frigiditas in loco, dolor etiam loci patientis per affluxum materiæ, non tamen aggrauatiuus, nec extensiuus, vt fit in pituita; sed obtundit. & comprimit iste dolor, ac si esset lapis fixus in cute. Hæc enim signa sumuntur

tur ab humore melancholico peccante in membro: propter enim suam grauitatem non extenditur dolor, qui compressiuus est, etiamsi sit eius pauca copia. præterea color in loco læso est liuidus, si est in superficie, ac si esset locus percussus ab aliquo: hæc sunt signa humoris melancholici defluxi ad aliquem locum. oportet autem attendere ad interrogationes, quas facimus ægro: petere quo genere victus, quibusúe cibis vsus sit, an bonis vel malis: & generantibus talẽ humorem, qui peccat: vtrum sit vsus otio, & de similibus accidẽtibus debet interrogari: & comparabitis hæc tandem. nam otium causat humorem melancholicum: & vinum potens, & carnem bubulam, & omnem carnem antiquam generare dicunt humorem melancholicum, quemadmodum habetis in libro de elementis; & sic de consimilibus. Hæc enim est commemoratio prędictorũ, quæ vobis monstrant, quis humor sit peccans in corpore. præterea temperatura facit hoc: quoniam si temperatura est calida, tantum talis est apta ad generandam bilem? si frigida tantum habet generare pituitam: si calida & humida, generatur ab ea sanguis, sic ex anni tempore, ex constitutione sumuntur signa. nam in æstate generatur bilis, in hieme pi-

tuita plurima, & sic videtis iam signorum loca, & fontes, à quibus possunt hauriri. sed dicat quis, quando sumimus signa ab ipsa temperatura, à constitutione anni, à temporibus anni, ad quos fontes reducuntur, an ad actiones, an ad passiones? Dico non esse dubium, cur signa sumpta de temperatura sumãtur ab actionibus, & passionibus corporis intrinsecis, quæ sunt, vt habitus corporis. De signis autem quoad regiones quoad anni tempora &c. hæc signa reducuntur ad passiones extrinsecas, ad sex res non naturales. & ad accidentia animi, ad cibum & potum &c. Hæc sunt de temperatura cum fluxu materiæ ad membrum similare; quando verò hæc intemperies fluit cum materia in membro organico, & ita profluit in communi, vt obstruat, constipet venas, meatus, cauitates, & ita omnia hæc obstruat, vt alimentum non possit distribui per membrum, nec nutriri membrum, tũc in membro erit morbus compositionis, vt quod manus in motu suo deficiat, & impedita sit; pariter si destruatur magnitudo, & peccatũ sit in ea, vt si fiat magnitudo adeò magna, vt membrum non possit moueri, ille est morbus in compositione, vt de quodam euenit, cuius lingua erat aucta, vt non posset stare intra os: sic idem dici debet de

situ,

situ, vt si quandoque relaxatur aliquis articulus, & superficies fit læsa, quemadmodum de vtero mulieris, qui in superficie debet esse asper, & sic factus est à natura, vt possit continere semen, & concipere, si ea asperitas destruatur, tunc erit morbus in compositione, & erit fluxio in membro organico; quando membrum læditur in parte organica. nam materia deuenit ad hoc membrum organicum, & ipsum offendit organicè. nam in organicis non semper vera est Gal. regula, quod semper adueniente temperie frigida, diminuantur actiones, & auferantur: si verò sit calida, corrumpantur, imò fit oppositum, frigida intemperies corrumpit actiones tunc in membro; & calida destruit, vt si in cerebro sit frigida temperies, & frigidi vapores, qui ascendunt ad cerebrum à ventriculo, vnde fiunt vertigines, & malæ imaginationes, & videntur videre muscas ante oculos. istas muscas videre est actio læsa corrupta, & non diminuta; quoniam corruptè videt, non diminutè. nam videntur videre, quod non vident, & tamen hoc est à materia frigida, nō à materia calida. Ideo in his morbis compositionis frigiditas non semper destruit, & aufert, sed corrumpit quandoque. non est ista actio diminuta, sed corrupta. præter-

eà ista

eà ista appellatur actio corrupta, quando in ventriculo cerebri est materia frigida obstruens, vt quando fit paralysis, epilepsia, tūc est actio cerebri corrupta. sic in spasmo, vt in cerebro est materia obstruens meatus, quando aduenit hæc materia in neruos, tunc membra hæc contrahunt. Vnde fit ille affectus, & est corrupta actio eorum, & sic non est semper vera regula Gale. in morbis de compositione, materiam frigidam diminuere, vel auferre actiones: si calidam, eas corrumpere: nam sæpe fit oppositum; vt dictum est. sed bene in morbis complexionalibus vera est illa regula calida intemperies vel cum materia, vel sine, corrumpit semper actiones. si frigida eodem modo tunc vel diminuit, vel destruit, vt verbi gratia sumatis humorem calidum vt biliosum, bilem vitellinam, quæ est crassa, & si sit crassa est calida per adustionem, quæ bilis obstruat venas mesaraicas, quæ sunt inter hepar, & ventriculum tunc ille humor diminuit suas actiones, & quandoque eas aufert; tamen iste humor est calidus, & non obstruit venas illas; sed obstruit, quia crassus humor est bilis illa vitellina calida. Vnde debetis scire actionem membri, si meatus, & viæ sunt obstructæ, semper impediri per diminutionē in mem

bro

bro organico, licet sit humor calidus, & quandoque corrumpatur, & diminuatur simul ipsa actio. pręterea in tremore fit sic, quando est humor frigidus inuadens musculos, tunc verbi gratia inuadit brachium, & virtus motiua non potest agere cum brachio, quia humor ille frigidus opprimit membrum, & pugnat cum virtute; vnde fit, vt non posit recte moueri brachium: est enim virtus agens & materia valde frigida in membro, quæ duo simul pugnant; sed virtus est debilis: & ob id fit tremor brachii in illa pugna: aggrauatur enim membrum ab illa materia frigida, ab illo latere virtus vult attollere membrum, & sic fit virtutis diminutio: à qua causatur in huiusmodi pugna tremor ille vnde virtus & actio eius membri simul diminuta est, & corrupta, & sic non erit vera regula Gal. in organicis materiam calidam semper corrumpere actiones. quod autem frigida intemperies aut diminuat, aut auferat, patet; quoniam materia lapsa in membris organicis facit alios, & diuersos effectus, quàm faciat in similaribus. Nam à caliditate modo diminuitur actio; modo corrumpitur, modo aufertur: sic fit à frigiditate, quæ quandoque facit vnum effectum, quandoque alium siue in figura, siue in magnitudine, siue in

numero,

numero, siue in situ, vt videbitis. In primis hæc sunt fundamenta, vel rationes, ex quibus per vos ipsos debetis exercere talia in particularibus. Dabo vobis nunc vniuersalia in his, per quę facillimè poteritis deueni re in particularia, & poteritis cognoscere, quando membrum organicum fuerit læsum à materia defluxa cum intẽperie; hæc est prima pars, vel primum membrum huius diuisionis. aggrediar modò in sequentibus tertium librum artis paruæ, vt exerceã vos in medendo. habuistis hucusque, vnde sumantur signa indicantia intemperaturã, vel essentiam morbi, vt quę indicabunt malitiam, vel bonitatem morbi, & quę significant temperaturam morbi, vt alias subdiuisiones audiuistis, quæ morbi indicantia essentiam aut sunt cum affluxu materiæ, aut sine. At quandoque hoc accidit in membris similaribus, quandoque in organicis, de quibus nunc signa tradere debemus: sed quando vultis cognoscere, an sit effectus in compositione, incipiatis inspicere, an vię, & meatus, & pori sint obstructi, an magnitudo eius membri sit pręter naturam, an superficies sit reddita præter naturam, vt si debet esse aspera, sit læuis: vel contrà: aut sit vitiatus, & læsus meatus aliquis semper tum debetis inspicere, & sumere signa ab illis duo

bus, ab actionibus, & passionibus. prout morbus erit varius, pariter & actionum, & passionum læsiones, ac mutationes sunt variæ. nam quemadmodum vario modo instrumenta læduntur, ita impeditur membrum aliter si fuerit laxatū; & aliter si morbus sit in situ, aliter etiam si magnitudo lædatur, & numerus deficiat, vel abundet, & aliter si obstructio fuerit in poris, & viis, vel venis, aut arteriis, & semper hæc erunt vera in his. sic pro varietate intemperaturarum, & fluxionum sequitur varietas actionum, & operationum lęsarum: sed qua via, & ratione poterimus nos deuenire in cognitionem diuersorum morborū? Dico, quod nunquam poteritis has operationes læsas cognoscere, per quas possitis ostendere talem, vel talem morbum occultum, impossibile, inquam est, nisi prius scietis, quæ sit substātia membri, & quæ sit sua actio propria, & communicantia cum altero membro, & quæ sunt viæ, quíve meatus, & ad quid sit genitum membrum. oportet hæc omnia habere in membro, si cognoscere velitis, quæ sint actiones membri læsæ; quæ si ignoretis, non poteritis scire, an membri aliqua læsa sit operatio, vel aliquid aliud. sed non est possibile cognoscere membri substantiam, & suas actiones, nisi prius te-

neatis anatomen,quæ ad hanc partem compositionis cognoscendam spectat. Debetis inquam, animaduertere ad anatomen, si membri substãtiam, vias, operationes eius, & colligantiam cum aliis cognoscere vultis,quibus habitis facilè potestis læsionem membri intimi intueri,siue cognoscere, & statim cum primùm videritis, scietis,quomodo læsum fuerit membrũ in temperatura,vel in compositione. si in compositione, an in figura, an in magnitudine, an in superficie,an in situ,an numero. non enim est necessaria corporum incisio,quo ad essentiam morbi attinet, videlicet quo ad substantiam:sed dum est morbus in compositione,ibi egemus anatome,& quod ego dico de anatomes cognitione & internorum morborum in compositione,idem de solutione continui,quæ etiam in compositione est,qui morbi non possunt alio modo cognosci,nisi eritis certi anatomes:& ita hæc satis dicta sint de illo membro, de signis indicantibus essentiam morbi, quæ aut est in complexione,aut in compositione, aut in solutione continui.

Diuidebamus signa insalubria quæ indicant corporis humani dispositiones insalubres,reliquum erat modo, vt ostenderemus etiam signa insalubria indicantia malam compo

cõpositionẽ; deinde loqui de signis insalubribus ad habendã solutionem cõtinui, sed primum hoc vnũ ponemus, quod frigiditas in corpore adiuncta cum humiditate non est sic vehemens, quàm cum est siccitati vnita. nam aqua, quæ est frigida, & humida habet remissiorem frigiditatem, quàm terra, quæ est frigida, & sicca. Nam frigiditas in terra est summa respectu frigiditatis aquæ. item quantum caliditas aeris diminuta est à caliditate ignis, sic frigiditas aquæ tantum est diminuta à frigiditate terræ, vt sicut verum est in exterioribus, sic idẽ est in corporibus, videlicet frigiditas iuncta cum humiditate in corpore est minor, & remissior, quàm frigiditas iuncta siccitati in corpore. iste fuit discursus nostri sermonis; & quia dicebam quod frigiditas, & humiditas minus impedit ingenium, ac discursum, quã frigiditas & siccitas. Nam frigidi & humidi sunt segniores, & magis pigri in operationibus, quàm sint frigidi & sicci. frigidi & sicci quidem sunt, qui habẽt bonum ingenium, & sunt satis prompti ad actiones. sed hic est vnum dubium, quia ex mẽte Gal. dicebamus, quod frigiditas propriè habet obtũdere actiones; caliditas corrũpere: ergo sequeretur si quis habeat operationes valde diminutas, erit magis frigi-

dus: si sic, ergo frigidum & siccũ habet magis obtundere actiones, quàm frigiditas & humiditas: & sic frigidi & sicci sunt minoris ingenii, quàm frigidi & humidi, quod ex diametro est cõtra suam positionẽ: quia si est frigiditas cum humiditate minus obtundit actiones, quàm si sit frigiditas & siccitas vnita. Ad hoc respondebo, quia scio multos ingeniosos ex vobis adesse, & velle saluare hoc, quod humiditas & frigiditas magis lædant actiones, quàm frigiditas & siccitas. Notetis modo, quando videbitis aliquod corpus humanum frigidum, & humidum habere actiones obtusas, tunc distinguendum est, quoniam tunc illud animal tantum habebit obtusionem in animalibus operationibus, vt in memoria, & discursu: aliæ verò operationes, vt vitales, & naturales sunt vegetæ; & isti homines frigidi, & humidi in cæteris actionibus sunt satis prompti, præterquã in animalibus operationibus, quæ tamen non obtunduntur à frigiditate, sed ab humiditate, quæ propriè habet facere animales actiones obtusas; quemadmodum dixi ex Gale. in libro illo, an animi mores tẽperaturam corporis sequantur, vbi citans Democritum dicit, vbi fuerit siccitas in cerebro, ea est anima prudentisſima. vnde præceptor meus Petrus

Pomponatius dicebat eos, qui essent humidi cerebri, & qui carerent ingenio habere caput plenum butyro; & sic irridebat tales: quibus verbis ostendebat illos habere multam humiditatem cerebri: quoniam humiditas valde obtundit actiones animales, nō alias, & inducit torporem. siccitas verò in cerebro reddit ingeniosum hominem, & vegetum, & frigiditas est, quæ facit bonum ingenium, & stabilitatem, non autem caliditas: quia caliditas reddit cerebrum valde mobile, & instabile; vbi eadem est frigiditas cum siccitate, illa quidem facit bonum ingenium, & satis promptum; quia caret humiditate. qui verò frigidi, & humidi sunt torpent in animalibus actionibus ratione humiditatis, sed in aliis actionibus, vt naturalibus frigidi & humidi modo sani sunt, & melius se habent; quoniam si consideretis actiones naturales, in his melius se habent, quia hi bene concoquunt, & melius, quàm frigidi & sicci, illi ferè incalescunt, & diutius retinent, & sunt satis carnosi, & pingues. at frigidi & sicci sunt veluti tabidi, & non diu retinent. quare sic distinguendo dicatis frigiditatem & siccitatē tantum facere operationes animales vegetas, non alias. At frigidi, & humidi melius se habēt in aliis. sed frigidi & sicci tantum hoc ha-

bent,qui cum ſint ingenioſiſsimi, tamen timidi ſunt,& non audent, vt eſt Fellicianus ille Venetus,qui quidem eſt ingenioſiſſimus,& doctiſsimus,ſed non habet ſcientiam,niſi pro ſe:ſapit enim tãtum ſibi,cum ſit maximè humidus.præterea morbi frigidi & ſicci ſunt atroces valde, vt in cerebro fit de catarrho.ſunt autem tantum duo morbi in cerebro,qui habent exceſſum frigiditatis,& humiditatis, vt ſunt lethargici, qui ſemper dormiunt:ſed iſti non tantùm patiuntur,quàm habentes aliquem morbũ frigidum & ſiccum;hi habent operationes magis diminutas,& ii morbi dicuntur cathopi cum ſint cum actionibus magis diminutis,& ablatis,quàm qui humidi & frigidi morbi:licet humidi & frigidi ſint magis diſpoſiti ad catarrhum, & tales morbi frigidi & ſicci reddunt ita homines inſenſatos.nam excitetis illos, quantum vultis, hæc tabula potius mouebitur ad ſenſum aliquem,quàm ipſi,qui ſemper manent congelati,& veluti mortui.quare dicatis morbum frigidum,& ſiccum eſſe peſsimũ aliorum omnium,& ſummopere habere operationes diminutas.ſed accedamus ad rem veſtram propoſitam,qui agimus in præſentia de ſignis inſalubribus indicantibus ſecundum genus in eſſentia morbi,ſeu ma
lam

lam compositionem. Pro quo debetis annotare ab iisdem fontibus duobus semper sumi signa ab actione,& passione, ab iis enim duobus locis habetis omnia signa mala,& præternaturalis compositionis. At sicuti in superioribus diximus,morbi essentia potest etiam cognosci absque vlla intemperie,siue sit calida, vel sine materia, vel cum materia:sed in compositione cognoscuntur,sæpe etiam in solutione continui.vnde si omnes morbi essent in temperatura tantum,possemus exercere,& discere hanc artem absque anatome.maior autem pars morborum reperitur in membris organicis interius,qui non possunt cognosci absque recta incisione,& anatome,& sic nec morbus in solutione continui:nunquã enim poteritis cognoscere affectum aliquẽ in compositione,aut in solutione continui, qui offendat membrum organicum , nisi prius substantiam,operationes situm,& numerum partis cognoscatis:quoniam cognitio signorum habet ortũ ab actione, & passiõe læsis:& passio,& actio læsa multiplex est,prout membrorũ differentiæ sunt multæ:non enim est eadem læsio in omnibus membris,cum læditur membrum, vt verbi gratia morbus,in formatione,quæ constat supra signa,cauitates,& meatus mem-

bri,ita vt impediatur tale instrumentum:& ita potest esse læsio in magnitudine, potest sic esse numero,& in situ videlicet quod situs membri aliter se habeat, quàm par,& conueniens sit,& sic in formatione potest esse in superficie,quia superficies est de essentia compositionis,& formationis, vt alicuius membra non se habeant, vt decet:sic de figura. vitium enim ponitur in aliquo membro, vt quandoque impediantur suæ actiones, vt manus bene,aut secus posita sit. At si in parte exteriori manus redundantia carnis,tunc ideò non læditur eius actio, si in parte intima, vt in vola manus,tũc quidem læditur,sic de magnitudine dicendũ, de situ, de numero. cum ergo tot modis possit lædi operatio membri,nõ erit semper eadem læsio in vnoquoque mẽbro tantum,non magis impedietur membrum in complexiõe,dum cõplexio læditur, quàm in superficie.sed quia sunt modo membra, vt matrix,& ventriculus,quæ membra debent habere superficiẽ asperam,qua ablata tunc læduntur. Ventriculus enim debet habere suos cotilidones, vt retineat cibum, quantũ oportet, si inuertatur, apparet eius asperitas,qua ablata tunc læduntur suæ operationes,nec poterit chylum facere concoquendo;efficitur enim vt ventriculus non

possit

posſit amplius retinere,ſed tunc fiet lyente ria. ſi matricis aſperitas remouebitur, tunc infœcũda fiet,vt ſuprà. ſic habetis, quomodo poſſunt fieri aliqui effectus in vno mẽbro,non in alio,& hoc eſt ſecũdum variam membrorum naturam, quum vario modo lædantur eorum actiones,vt venæ meſeraicæ,ſi obſtructæ fuerint,tunc non poterunt attrahere chylum à ventriculo. Nam tunc venæ læduntur, vt dimittant ad hepar ad concoquendum,illud quidem erit maximum vitium. Ideo ſi in vno tolletur aſperitas,in eo fiet læſio; in alio ſi fiet obſtructio,eius operatio lædetur,& ſecũdum magis,vel minus in alio lædetur magnitudo, vt ſi lingua augeatur,tunc eius magnitudo tolletur,& deficiet loquella. At de pene fiet oppoſitum ſi augebitur eius magnitudo,potius ea deſideratur, quàm offendat. ſi ergo hæc ita ſe habent,vt ſic varientur eius operationes in læſione ſecundum variam naturam membri,& vos volueritis cognoſcere morbum exiſtentem in membro,qui cognoſcetur ab operationibus,opus erit operationes læſas prius cognoſcere,quas ſi volueritis cognoſcere,oportet prius noſſe naturam membri,& ſuam compoſitionẽ per anatomen;quonam modo cognoſcere poteritis,an membrum organicum ſit læſum

interius? hoc nõ poteſt haberi, niſi per anatomen, vt eius operationes, & vſus non poſſum ſcribere tantas reuolutiones. quantum enim ad malam temperaturam eius membri cognoſcendam, non egemus anatome, vt in febre eiicienda. ſed dum eſt vitium in compoſitione interius, vt in pulmone, in corde, diaphragmate, non poterit vnquam cognoſci hoc ſine anatomes cognitione: & ſic ſemper fiet error in morborum notione. Itaque videtis quàm neceſſaria ſit ipſa anatome non ſolùm in morbis à temperatura, ſed in compoſitione & ſolutione continui ſummè neceſſaria. his ſuppoſitis ex anatome deuenimus in cognitionem morbi in membris organicis exiſtentis ibi: vnde videbitis in ventriculo plethoram eſſe, vt in his, quæ exeũt ab ore, vt cibus, qui ſumptus fuit, tunc indicabitis ventriculi ſuperficiem eſſe læuiorem redditam, non amplius aſperam. ſic de vtero matricis dicendum, vt cum recipit ſemen, facta ſit læuis, ſtatim extra emittat ipſum. ergo præternaturalis eius ſuperficies, cũ aſpera debeat eſſe intus. Quod dictum eſt de ſuperficie, idẽ de ſubſtantia, figura, ſitu horum membrorum organicorum, & hæc ſatis dicta ſunt quo ad vniuerſalem cognitionẽ horum: exercebimus modo vos in particulari, dabimus exem

exempla,& tabulas particulares ſignorum inſalubriũ de corde,& de pulmone,vt ſciatis applicare vniuerſale particularibus:neque verò Gal.diſcurrit per omnia afferendo exempla.nam tãtummodo affert duo, vel tria exempla, vt per ea poſsit habere etiam reliqua,& hæc ſatis de ſecunda parte diuiſionis de morbis in compoſitione, vel in membris organicis, & inſtrumentariis. erat deinde tertium de ſolutione continui, niſi prius agatur de cognitione loci affecti, alioquin,vt dixi,nũquam habere notitiam de ſolutione poſſetis. igitur neceſſe prius habere locum ipſum affectum ; & licet eſſentialis cognitio vlterius diſtinguatur à loco affecto, tamen vlcus ſtat, & eſt in ipſo loco læſo. Ideo de ambabus cognitionibus & de ſolutione, & de loco affecto pariter cognitio habenda eſt, diuidendo omnia ſicuti condecens eſt;& ſic iam ſatiſfactum eſt primo membro. nam dicebamus in noſtra diuiſione ſignorum inſalubrium alia indicare morbũ ipſum, alia locum affectũ. quæ autem morbum, aliqua eſſentia morbi,aliqua de malitia eius, vel benignitate ; aliqua temperaturam morbi demonſtrant.Iam ſatiſfactũ eſt ſignis indicantibus eſſentiã morbi:reſtat modo loqui de malitia, & bonitate morbi : deinde de

tem

temporibus morbi : hæc enim omnia sunt optimè necessaria. nam non tantùm volumus morbum cognoscere, quis sit, sed eius malitiam, vt vitium propter prognosticationem, & propter intentionem. Inuentis enim extremis morbi malitia, & benignitate eius, tūc per ipsa extrema etiam remedia dabūtur. primum ergo de morbi malitia dicemus. Quomodo autem cognoscitur morbi malitia? hoc modo cognoscitur. nam vt actiones læsæ indicāt de morbi essentia, pari modo actiones læsæ, dum sunt vitiatæ, indicant summā malitiam morbi: vt verbi gratia vētriculus cerebri potest sic obstrui, ne transire possit materia; imò impediatur, & obstruat. cū enim vapores non possunt ascendere, tūc illæ actiones cerebri sunt læsæ ab obstructione, & oportet, vt ille vir parum dormiat: hęc lęsio potest appellari morbi benignitas, si quis morbus potest dici benignus. Vbi autem vlterius hæc materia obstruēs adaugeatur, quę obstruat ventriculos, iam non tantùm fiet obliuiosus, sed omnia ipsi videntur inuerti, & cadere, & subitò cadit, atq; etiam subito surgit. non enim impeditur, seu perditur omnino motus; & iste est secundus gradus factus ad materiam magis obstruentem ventriculos cerebri: iste quidem morbus est

quoque

quoque modo benignus. At si adhuc maior fiat cerebri obstructio ab hac materia, tunc impeditur transitus materiæ, & cessat motus, & sensus: quia sunt oppressi à tali obstructione, & partes omnes tunc laborãt in extremis, & cerebrum ipsum cõtrahitur in se, vt excernat, & expellat à se huiusmodi materiam, vel tale nocumẽtum; & quoniam cerebrum contrahitur ad se, vt remoueat hanc malitiam magnam, & hanc contractionem, & musculi contrahuntur, & omnes partes illæ faciunt contractionem, prout ipsum cerebrum contrahitur, & iste morbus tũc dicitur epilepsia; & est quidem morbus pessimus, non tamen omnium. at vbi fuerit omnino, & perfecta facta fuerit obstructio ventriculi cerebri ab hac materia, tũc hęc obstructio magna omnino deperdit motum, & sensus omnes; & nõ tantùm motum, & sensus, sed etiã cadit, & cessat illa contractio membrorum, & cerebri. Vnde corpus omnino redditur imbecille immobile, appellatúrque tunc apoplexia, ad cuius maiorem malitiam non est vlterius progrediendum, cum sit tunc malitia cerebri in summo. Ideo benignitas, vel malitia morbi à sic cognoscetur maiori, vel minori actionum læsione ipsius membri, in quo est morbus. & sicut diximus de operationib.

rationibus animalibus læsis, sic dicendum de vitalibus affectis, propterea quod habeant manifestam morbi malitiam, vel benignitatem, vt in corde. Dum enim cor incipit palpitare palpitatione mitiori, tunc est primus gradus læsionis cordis. si autem fiat tremor, dicitur gradus secundus huius malitiæ, tamen adhuc vincit; quando modo excedere incipit ista lęsio, vt sic tremat, nec posit agere, nec sedere, nec ire, nec quid exercere, tunc hæc est peior. quando autem ita augetur hæc malitia in corde, vt in eo fiat syncope, ex qua etiam fit amissio motus, & sensus cordis, quemadmodum dicit Galenus in sexto de locis affectis, quod etiam contingit in affectibus matricis: sed ibi fit per accidens, non autem per se; quoniam spiritus non tendunt ad sua debita loca, eò quia impediuntur; fit ideo syncope in corde. quandóque est ratione multorum vaporum ascendentium ad cor: vnde tunc spiritus vitales non possunt spirare, nec ipsum cor dilatare, nec constringere; quoniam est redditum frigidum, & sic patet, quomodo in corde existente defectu posit eius malitia esse maior, vel minor secundum maiorem, vel minorem quantitatem vaporum ascendentium ad ipsum cor: qui sic faciunt morbum magnum, vel

paruum

paruum indiciosum, vel mitem. pari rationis modo idem dicendũ de naturalibus actionibus, vt puta de actione ventriculi. At quia actiones naturales nõ patent ex se, quia sunt occultæ; sed manifestãtur per sua opera, per excrementa, ob id ad habendam cognitionem naturalium, an lęsæ sint nécne, oportet attendere sua excrementa: quoniam per ea cognoscitur actio naturalis, an talis, vel talis sit, & quomodo se habeat. nã si videbitis excrementa ventriculi lucidiora esse, & in maiori quantitate, quã par sit; & excreta non suo tempore debito, tunc actio ventriculi cõcoctiua est læsa; sed parum, & erit primus gradus læsionis in ventriculo. At si maior horum excremẽtorum fiat mutatio & id in peius, tũc fiet secundus gradus malitiæ in ventriculo. Quando verò omnino corrumpuntur excrementa excreta per ventriculum, maximè fœtent, & sic tota materia illa turgens facta, tunc illud est pessimũ ventriculi signum; & sic dicitur, si cibus qualis assumptus fuit, excernatur. Quare huiusmodi gradibus potest facillimè, vt dixi, à principio haberi malitia, vel benignitas morbi in vno quoque membro, dum actiones sunt læsæ secundum magis, & minus. ex quo sequitur ars prognosticandi. nam quantò actio erit magis

gis læſa, tantò minus erit de virtute. Videamus modo de tempore morbi, quantum ad tempus morbi, ſi verũ eſt, quod dicit Hippocrates in primo aphoriſmorum; quantũ ad tempus morbi ſi quid mouendum, mouet ex temperatura morbi; quæ diſtinguitur penes concoctionem, & cruditatem: nihil enim eſt, quod magis hoc indicet tempus, quàm concoctio ipſa, vt in excrementis, in vrinis, in ſputis. nam ſi morbus fuerit in declinatione, tunc ſputũ erit album, læue, coctum, & facilè excernit, ſi modo non facilè ſputet, vel erit ſputum craſſum, viride, tunc morbus erit in principio: quia materia non eſt concocta, ſed cruda: dum materia incipit concoqui, tunc incipit aliud morbi tempus, augmentum. ſi penitus con coctio materiæ facta fuerit, tunc apparebit non amplius augmentũ, ſed ſtatus: & quod dico de ſputo, quod indicat affectum pulmonis, & pectoris, idem dicatis de affectu in ventriculo, & in aliis inteſtinis, pariter etiam de aliis excrementis indicãtibus ſuper totum corpus, vt de febre. nam tũc videatis vrinã, ſi cruda ſit nec ne? Dicit enim Galen. ſi in pleuritide vrina erit cruda, illa eſt peſsima in pleuritide, quoniam non ſignificat malitiam in partibus, ſed etiã ſuper totum. & inquit vrinam, quæ eſt natu-

ralis

ralis & bona, nihil facere, videlicet nec bene, nec malè indicare; quoniam pleuriticus etiamſi ſit ſanus in toto, tamen poteſt mori: quia erit ęger in aliqua parte. & ideo vrina bona morbis particularibus parum, aut nihil facit: ſed vrina apparente bona in aliquo morbo vniuerſali indicat ſanitatem fore, quia tunc eſt bonum indicium, quod boni adſint humores in venis. Quare ſi vultis cognoſcere tempora morbi, ac ea diſtinguere, recurratis ad actiones naturales, quomodo vel bonæ, vel malæ? quæ cognoſcuntur per ſuos effectus per excrementa: quoniam tempora morborum diſtinguuntur per ſuos effectus penes cruditatē, & concoctionem. ſi cruda excrementa, principiū erit morbi, ſi aliquantulum concocta, erit augmentū: ſi omnino cocta, erit tunc morbi ſtatus. ſi membra erunt ſpiritualia, attēdatis ad ſpiritus. ſi materialia, vt ventriculus, attendatis ad feces. ſi totum ad vrinam, ſudores: an boni ſint, an præternaturales. Debetis ergo videre ſemper excrementa, quæ ſunt particularia, aut vniuerſalia: vniuerſalia ſunt ſudores, vrinæ: particularia ſunt feces particularium membrorum, vt mucus in naribus. & ſic ſemper diuidatis morbi tempora per cōcoctionem, & inconcoctionem materiæ, vel excrementorum,

& hæc sunt summè necessaria, ac perutilia, vt posſitis posteà exercere vos in particularibus: si enim non habeantur prius vniuersalia, nec particularia poterunt acquiri, cum innata sit nobis via ab vniuersalibus ad particularia, vt habetur ab Aristo. primo physicorum. Debetis igitur primum scire vniuersalia, deinde particularia attendere: hoc enim modo ex his potest constitui ars à particularibus ad vniuersalia componendo, & contrà ad particularia ab vniuersalibus diuidendo. & Gale. vult tantùm probare, quantum attinet ad vniuersalia. hæc satis sint dicta ad inuenienda particularia. ex his iam patet totum primũ membrum signorum insalubrium, quorum alia indicant morbos, alia locũ affectum. contra verò morbum &c. cum ita dictum sit de omnibus, videlicet quæ dicebant tempora morbi, quomodo diuidantur, superest modò vt de signis dicamus indicantibus locum affectum, qui locus est in duplici differentia: aut enim est patens, & extrinsecus, aut est internus & occultus. Quod autem ad manifestũ locum attinet, nulla ex hoc fit ars: nã loco extrinsecus existente læso, hoc facilè patet: & quilibet videt apertè tale signum: nullus enim est, qui nõ videat morbum in manu, & qui dicat esse alibi:

quoniam patet ſenſui. omnes ergo facilè cognoſcũt, dum locus extrinſecus eſt, affectus. vnde Galen. in libro de locis affectis, non agit de hac parte; ſed tantummodo de locis affec. intimis. Ideo à multis ille liber dicitur de interioribus; & Gal. ibi affert ſolummodo ſigna locorum læſorum interiorum. Nam ibi loca intus affecta declarantur per ſigna poſita. vbi oportet nos dicere de ſignis indicantibus locum affectum inferius? quo modo habentur iſta loca interius læſa, vel cognoſcuntur? dico per ſigna, quæ ſumuntur à duobus fontibus tantùm, vt ſuprà. & abſque hoc Gale. ibi affert nobis, quomodo talia ſigna oriuntur, & dat methodum ſuam, ſed non perfectè; quia oportet tradere methodum reſoluendo ipſam rem in ſuas cauſas, & vſq; ad elementa prima: ob eam rem oportet, reſoluamus rem iſtam vſq; ad immediatas cauſas. Gal. dat ſuam methodũ in duob. primis libris; in aliis verò quatuor exercet hanc ſuã methodum, ſicuti facit in libris de ſimplicib. dum vult agere de ſimplicibus, in primis quinq; libris affert methodum ad cognoſcendam naturam vniuſcuiuſq; ſimplicis, in reliquis verò libris exercet particulariter methodũ ſuam de ſimplicib. ſic ergo in duobus primis de locis affect. dat metho-

dum signorum de locis interius affectis, methodus autem, quam dat in duobus illis libris primis de locis talis est, quod nihil aliud facit, nisi quod ponit sex loca, vel quinque, à quibus sumuntur cognitiones locorum læsorum: non tamen Gale. dedit intelligere, cur fecerit ita: quod quidem facere debebat. Vt autem cognoscamus loca affecta, dicit Gale. primo procedendum ab actionibus læsis; deinde ab excremētis. Diuidit enim; & separat excremēta ab actionibus læsis. Deinde ponit tertium fontem signorum, qui est sumptus ab accidentibus propriis: quartus fons est à mala dispositione membrorū, quintus & vltimus à dolore sumitur: hos enim fontes, & loca posuit Gale. qui sunt quinq;. vnde locorum læsorum intus habent sumi signa indicātia illos affectus: primū enim est actio læsa, oportet modo videre, quænam ab actione læsa sumantur indicia, quæ est præcipuus fons signorū: sit verbi gratia aliquis, qui patiatur anhelitus difficultatē: hæc est actio læsa; si vos modo non cognoscatis anhelitū fieri à pulmone, & esse actionem thoracis, (nam per musculos thoracis dilatatur & cōstringitur ipsum pectus) non sciretis etiā cognoscere ipsum locum affectum, quod vocatur à vulgaribus pulmonaria, qui nesciūt diuidere

dere actiones facientes vnicuiq; membro. Vbi igitur anhelitus fuerit valde læsus, ibi erit morbus in pulmone. sed quoniam ibi sunt multæ partes inseruientes huic inspirationi, vt musculi, membranæ, cartilagines, quarum partium vnaquęque per se lædi potest, & vasa etiã, quæ sunt in pulmone vitiari possunt. Vnde etiam tunc læditur anhelitus. musculi enim thoracis, qui faciunt ad hoc, possunt impediri, & mẽbranę membranáq; læsa inducit dolorẽ, vel aliqua obstructio habet impedire anhelitũ, propter quã obstructionẽ tunc non potest attrahi aer. sed quę verè efficiũt ipsum thoracem, sunt musculi secundũ medicos, qui thorax habet multas partes. In qua autem parte fuerit læsio, cognoscetis tũc, quando exercebitis in particularibus: & ego dabo exemplum, & tabulam de pulmone. Nam ab actionibus lęsis cognoscetis affectus. secundus fons erat ab excremẽtis, quæ facilè cognoscuntur, qualia fuerint, & stando in mẽbris spiritualibus, in quorum aliquo si fuerit vitiũ, vt si sit anhelitus affectus, hoc etiam patet ab excremẽtis per suas qualitates, vt si pituita expuatur, tunc illud sputum erit pituitosum, insipidum, & parum, & tunc ex indicatione hac patet, quod erit vitium in substantia pulmonis. Nam non

poteſt tunc dilatari, quoniam repletur pituita multa. at ſi ſpuatur ſanguis, cum anhelitus difficultate, tunc indicatio oritur, quod aliquod vas ſit ruptum, & ſciſſum, & non tantùm pulmo habeat de materia, & tunc valde vitiatus eſt, & non poteſt dilatari. ſi verò aliqua pars ſubſtantiæ pulmonis ſit excreta, & ſpuatur, tunc pulmonis ſubſtantia læditur. pariter etiam ſi excreabitur aliqua pars trachææ arteriæ, tunc ſignũ eſt, læſa erit trachęa arteria. & ſic per hęc ſigna manifeſtari poteſt, quis fuerit locus læſus. ſic dicendũ de ſanguine per ſeceſſum: tunc enim indicium erit de læſione inteſtinorum, & ſic facilè excrementa indicabunt, quis fuerit locus interius læſus. tertius fons, & locus ſumitur ab accidentibus. ſunt autem aliqua accidẽtia ita propria vni membro, vt alteri non communicentur, atque his viſis ſtatim cognoſcatur morbus ille, vti in peripneumonia quis turberculis decipitur, vbi enim peripneumonia, ibi ſtatim tuber. vbi eſt tabes, ibi ſtatim apparet vnguium curuatio: ſunt enim hæc ſigna, & ſimilia ita propria, vt per ea deueniamus in cognitionẽ morbi particularis. ſunt etiam alia, quibus cognoſcũtur morbi in toto, vt iam dicta, & vt pulſus ſerrinus indicat morbum eſſe in membro neruoſo: ſic vbi

appar

apparebit rigor cum febre, ibi illud erit signum febris putridæ. Debetis ergo ad huiusmodi accidentia attẽdere: primum quoniam per ea facilè habebitis locum affectũ proprium. quartus locus signorum secundum Gal. est mala complexio, vt si quis habeat inflammationẽ hepatis ex mala complexione, tunc sentitur tumor in parte hepatis: sic si in liene erit inflammatio percipietur tumor in aliqua parte. si fuerit læsa vertebra aliqua in dorso, tunc appparebit tumor in gibbo: & sic dicendum de aliis locis, quod variè apparebunt læsiones. cõplexio igitur exterius apparens mala indicabit locum affectũ. quintus locus est dolor: vbi enim erit dolor, ibi est etiam ægritudo: dolor percipietur in hypochõdrio dextro, erit morbus in eo, & non alibi. Videtis, & discurrere per vosmetipsos potestis in his quinque locis ad inueniendum locum affectum: quorum primum est ab actionibus, vbi actiones sunt læsæ: secundum ab excrementis; tertium est ab accidentibus propriis, quando vnum proprium membrum patitur, vt contractio musculorum est ægritudo in corde, quartum à mala cõplexione, quintum à dolore, & sic qui bene calluerit hanc artem, quæ est præstantissima, ei optimè omnia succedent. Iam habe-

tis omnia necessaria, & patet discursus datus ad habēdam methodum signorum, quibus loca affecta cognoscātur morborum latentium, & hæc de signis insalubribus in vniuersali. Visum est in tabula vniuersali de signis quædam esse salubria, quædam insalubria, quædam neutra; & singulorum quędam indicare præsentem dispositionem, & hæc à Gal. appellari διαγνώστικα; quædam præteritam, & ab eodem ἀναμνήστικα dici, quædam futurā & vocari προγνώστικα. postcà proposita tabula vniuersali incepimus agere de salubribus, ac primo de his, quæ præsentem indicant salubritatē: vbi vt audiuistis, conati fuimus singula quæque ostēdere, à quibus fontibus haurirentur, ac non tantum eorum fontium veram methodum fuimus perscrutati, sed tabulas quoque descripsimus, vt omnia oculis subiicerentur, ac perpetuæ memoriæ mandarentur; reliquum modò est, vt agamus de salubribus signis indicantibus præteritam, vel futuram sanitatem: & ambo hæc conueniunt in omnibus, quod vtraq; sunt in corpore salubri, vel neutro. Indicant enim salubritatem, nō quæ adest, sed quæ adfuit, vel aderit. conueniūt prętereà sicut reliqua omnia salubria, & neutra, & semper oriuntur ab eisdē fontibus, actionibus inquam, & passionibus in humano

humano corpore aliquo pacto existẽtibus. Incipiamus itaque primũ à signis indicantibus præteritam sanitatem; & supponatur nobis aliquod corpus insalubre, vel neutrum. Quod autem ad hoc spectat nihil refert, cuius corporis præterita sit salubritas huius, an illius; si illam noscamus; nec superuacua erit hæc nostra perscrutatio. nisi enim in corpore nobis proposito salubri, vel neutro præteritæ sanitatis gradum dimetiamur, non cognoscemus qualitatem lapsus, & morbi, vel neutrius dispositionis magnitudinem, nec consequenter naturam in prognostico: sicque in curatione aberrabimus nescientes, & quantum à sanitate recesserit, & ad quem terminum mutationis æger sit deducendus. ergo corpore insalubri, vel neutro nobis proposito præteritam sanitatem metiri qualis, quantáue fuerit, in hoc plerunque aberrant medici tum in indiciis, tum in collegiis non separãtes signa, quæ indicant lapsum ab his, quæ indicant præteritam sanitatem, dum esset integra: quod tamen maximè erat obseruandum. Attendendum igitur primum, vbi tale corpus nacti fuerimus, vtrum hæc insalubris, vel neutra dispositio sit in toto corpore, vel in parte, & si in toto fuerit, totius actiones sunt perquirendę, quales nunc sint, qua-

lesque anteà fuerint, & similiter quomodò nunc se habeant ad passiones,& quomodo se habuerit, si fuerit in parte tantum illius partis,& actiones,& passiones sunt considerandæ:tum præteritæ,tum præsentes: & ita eliciemus præteritam sanitatem, quæ qualisúe fuit, & præsens lapsus quantus etiam sit. igitur exempli gratia actio ventriculi læsa ita diminutè concoquet, redundabit plurima pituita, non bene continebit cibos ingestos; sed grauitatem, & rugitus assumpto cibo percipiet, si præteritam sanitatem ipsius ventriculi vos noscere velitis, vt præsentis affectionis quantitas dignoscatur, qua arte erit procedendum ? primò actiones naturales generatiuæ, & opera earum actionum erunt à nobis consideranda. didicistis enim quemadmodum actiones naturales omnes hoc habent proprium, vt nõ cognoscantur, nisi per sua opera, & non per operationes, opera autem actionum naturalium generatiuarum sunt, quæ à principio generationis in productione fœtus traxerunt originem. Vbi igitur à principio generationis fuit idonea caliditas, vt sufficiens, aptaque materia, membra semper generãtur in debita quantitate, figura, forma, & situ: vbi verò fuerint opposita, etiam producuntur opposita. quibus ita se habentibus,

bus,vbi apparebit in hoc præſenti corpore nobis propoſito ventriculi quantitas forma, ac ſitus conueniens, & amplitudo ſui continentis cum bono habitu adiacentium muſculorum,cum mollitie ad tactum, albedine,pilorum mediocritate dant apta, & idonea ſigna, quæ indicant præteritam ſanitatem huius ventriculi fuiſſe laudabilem in temperatura, compoſitione,temperaturam etiam fuiſſe calidam,& humidam, vt habere poteſtis ab ipſo Gal. de ſignis ſalubribus ventriculi. vbi ergo oſtẽditis vel vobis ipſis, vel aliis,cum quibus colloquium habetis ſanitatem præteritam huius propoſiti ventriculi talem fuiſſe,cum exceſſu caliditatis, & humiditatis: quod apparuit ab operationibus dictæ actionis naturalis generatiuæ, tunc ab actionibus vitiatis eiuſdem ventriculi oſtenditis præſentem lapſum. actio autem vitiata in hoc propoſito ventriculo fuit concoctio,&retentio:concoctio quidem fuit diminuta, quoniam generat multam pituitam loco chyli:diminuta autem actio fit à frigiditate. Vitium autem retentionis eſt grauitas illa percepta,ac rugitus: quod enim non bene retinetur, graue fit.vnde etiam bene Ouid. leue fit, quod bene fertur onus. Rugitus autem percipitur, quoniam dum non continetur cibus,

quantum, & quomodo oportet, non bene concoquitur. retentio enim est ordinata ad concoctionem: sed cibi diminutè concocti fluctuãtur. meritò igitur rugitus percipitur. sed virtus contentiua corroboratur à sicco, diminuitur ab humido; hic est diminuta retentio; ergo excessus humiditatis. & cum probatum sit diminutã coniectionem prędictam esse per excessum frigiditatis, & nunc ostendat diminutam retẽtionem esse per excessum humiditatis, signũ est in hoc vẽtriculo nobis proposito esse lapsum per frigidum & humidum: & ægritudo est intemperies frigida & humida, à qua illæ actiones vitiantur. cũ igitur naturalis dispositio huius ventriculi propositi fuerit calida, & humida, & nunc sit ægritudo in eodẽ per excessum frigidi, & humidi, apparet quantitas lapsus à naturali dispositione: in actiuis enim multum recesit à caliditate ad frigiditatem, in pasiuis nõ ita multum; cum ab humiditate remisiori ad humiditatem intensiorem. ecce igitur quomodo præterita sanitas nos metiri præsentem lapsum, & cur sit vtilis huiusmodi rememoratio, & recognitio, ac cur in collegiis receptũ fuerit, vt illam consideremus. Apparet etiã quomodo frequentisimi fiũt errores, dum pasim videtis, & auditis medicos confundere

dere hæc, non distinguere signa præsentium affectionum membrorum, à signis salubribus præteritæ sanitatis; & hæc satis vt sciatis, qua arte signa præteritæ sanitatis sint inquirenda. Nunc modo ad futuræ salubritatis signa accedamus. signa porrò indicantia futuram salubritatem ab iisdem fontibus oriuntur ab actionibus inquam, & passionibus; & hoc manifestè apparebit, si vos in singulis actionum principiis exercueritis, verbi gratia: si quis cerebri, vel agnatorum suorum affectu aliquo laborauerit, futura salubritas prænoscetur, vbi quantum ad actiones attinet, imaginetur, memoretur iuxta illud Hippo. corroborari meritò, & bene se habere ad oblationes, bonũ: contrarium verò, malum. si sensus etiam exteriores, qui prius fuerint vitiati melius se habere incipiant: ac de virtute etiam motiua, vbi validius æger moueatur. Quod attinet ad eiusdem cerebri passiones, si melius dormierit, hæc omnia futuræ sanitatis cerebri indicia sunt; contraria verò, periculum, aut mortem minantur pro gradu detrimenti illius: omnino enim cõtrariorum eadem est disciplina, eadẽ ratio erit in reliquis actionum generibus. nam si quantum ad vitales attinet operationes, constantioris animi reddatur æger, melius speret, non ita tristatur:

plus

plus prætereà ad actiones naturales vergat; hæc omnia proculdubio futuræ salubritatis indicia sunt: & hæc quoque sperat melior spiratio, ac contraria etiam metuêrem intelligito dispositionē cōtrariam, periculum, vel mortem portendere. sufficere ista. sed vt etiam exactius dignoscatis, idē quoque in naturalibus actionibus perspicere vos oportet. actiones naturales omnes ab operationibus tātum cognosci. cum itaque videtis excrementa vel per tussim reddita, vel per vomitum, vel secessum, vel vrinā, vel sudorem, vel per nares, aut oculos, aut aures concoctiones præferre in colore, liquore, substantia, odore, & quantitate; nemini dubium est futuræ salutis hæc esse indicia. quantū ad passiones in iisdem actionibus naturalibus attinet, vbi fames nascatur, incipiunt apparere, vbi extinguitur sitis, vbi ad voluptates aliquas naturales excitetur æger, hæc omnia à passionibus naturalibus sumpta indicia salutis sunt: & contraria eodem modo, vt suprà diximus, contrarios indicabunt affectus. Quod si contingat, vt hæc omnia enarrata indicia actionum, & passionum in vnum conspirant, siue bonum, siue malum fuerit, certissima efficiuntur præsagia sine aliquo errore salutis, vel mortis. quod si dissidium inter illa

deprehenderitis, vt actiones quidem vitales meliores reddantur, naturales verò deteriores, aduertatis, quæ sint in hac ægritudine actiones principaliter læsæ; & vtrum in hoc mēbro naturali, vel animali sit ægritudo: in eam enim partem decumbit indicium, in qua cognoueris esse morbum, tum pariter perpetuò obseruandum, ac prænoscendum vitales actiones dominium inter omnes obtinere; nec enim vnquā bene speramus, vbi vitales actiones in deterius labi cognouerimus: sicut nunquam desperandū, vbi illæ constant, ac perficere videantur. Nam obseruare & noscere deberis, quæ signa, quánam potissimum die apparuerint, vel confirmentur: vt exempli causa quarta, vel septima, decima, vndecima aut huiusmodi: tunc verissimum erit indicium signorum. pro his omnibus perlegendi sunt à vobis libri Gal. prognosticorum propitiorum, tres alii de crisibus, cum totidē de criticis diebus: ex his enim principiis, quæ hic breuissimè colligimus ex crisi, si ad hos libros tanquam incitati accederetis, non deerit huius totius negotii cognitio exactissima: & hæc satis de signis indicantibus præsentem, præteritam, & futuram salubritatem, quod erat à nobis propositum. De indicantibus verò neutram dispositionē, quæ sunt

consideratione digna, erunt neutra tantum primi modi: aliqua enim methodū admittunt, tanquam manifesta, vt consideranti patet. ac rursus istorum neutrorum primi modi ea tantum perspicere oportet, quę pręsentem indicāt dispositionem. nam venari velle, quæ præteritam, vel futuram indicāt neutralitatem primi modi, facillimum cognoscere ab his, qui ea quæ hactenus dicta sunt, rectè fuerint assecuti. Vbi enim ab iisdem actionibus, & passionibus quis fuerit exorsus, quoties videbit illas ad eum gradum peruenisse, vt neque planè inter sanas, neque inter ægras sint animaduertendo, sed in medio exquisitè ambigant, tunc illa erit neutra dispositio primi modi. his igitur pręmissis superest nunc pars potissima de insalubribus. quod est membrum distinctum contra salubre; ac primò de indicantibus insalubribus præsentem, postea de reliquis, & quoniā ista pars multiplex est, ac multi negotii, ob id facilioris doctrinæ gratia ad certam, breuissimámque methodum redigemus. supponendo igitur primum, quod iam hactenus est ostensum ab illis iisdem omnino fontibus signa sumi insalubritatis, à quibus & reliqua videlicet ab actiuis, & passiuis. Dicimus signorum indicātium insalubritatem quædam indicare affectionem,

nem: quædam locum affectum. Indicantium affectum quædam indicant essentiã, aut substãtiam; quædam qualitatem, quædam quantitatem, quædam tempus. indicantia locum affectum quædam intrinsecum indicant, quædam extrinsecum. Indicantium ergo essentiam, vel substantiam affectionis quædam indicãt intemperiem, quædam malam complexionem, quædam solutionem continui. Indicantium intemperiem, quædam indicant illam sine materia existentem, quædam eam, quæ per affluxum materiæ fit. Appello intemperiem sine materia, quę ita est in aliquo membro, vel in toto corpore, vt faciat excessum alicuius, vel aliquarum qualitatum primarũ absque eo, quod materia adueniens aliquid operetur; vt verbi gratia si corpus, vel pars corporis calefiat, vel frigescat præter naturam, vt tale frigus sit propter aliquam malam qualitatem impressam, & non propter materiam calefacientem, vel refrigerantem: & ista intemperies potest esse duplex, vel cum est imperfecta adhuc, & inquinans, vel alterans; & quæ nondum accessit ad vltimum alterationis terminum, & dicitur iste morbus à Galen. & à reliquis medicis morbus qui fit, seu fiens, & non factus: vt quando febris putrida est in corde, & in to-

to corpore, calefit quidem, ſed non calefecit. quando hectica febris eſt, tunc qualitas iſta ad vltimum terminum peruenit, & eſt æqualis per totum, & nõ amplius fit; ſed eſt morbus factus. Quædam itaque intemperies ſine materia adhuc fit, & non eſt facta: quædam verò iam facta eſt, vt in exemplis præteritis; & vtraque iſtarum qualitatum differt. nã altera morbus fiens, altera morbus factus. Intemperies autem, quæ eſt per materiæ defluxum, dicitur quoties membrum, vel corpus elixatur ad exceſſum alicuius qualitatis propter adiunctum alicuius materiæ aduenientis, quæ immutat, & alterat membrum, in quo figitur, ad proprias qualitates: vt quando pituita in ventriculo, vel inteſtinis fixa inducit intemperiem frigidam, vel bilis intemperiem calidam. ſigna ergo indicantia intemperiem ſine materia ſumenda ſunt ab actionibus: actio diminuta, vel ablata indicat frigiditatem membri, in quo eſt; vt ſiue ventriculus diminutè, vel nihil concoquit, hoc eſt perpetuum ſignum frigiditatis. ſi enim diminutè concoquat ſine materia intemperiem indicabit, quæ quidem adhuc alterat, & immutat, nondum tamen alterauit, & immutauit: quæ paulò ſupra dicta eſt à nobis; morbus fiens. ſi verò idem ventriculus

non

non diminutè tantum, imò nihil concoquat, erit hic intemperies frigida sine materia, non fiens, sed facta: & erit morbus, quem supra diximus morbum factum. deuenit enim illa frigiditas ad vltimum gradum alterationis. itaque non solùm nō diminutè, sed ne aliquid quidem concoquit iste ventriculus. si verò actio neque diminuta, neque ablata fuerit, sed corrupta, hoc est perpetuum signum caliditatis: intemperies enim calida corrumpit actiones. si ergo cibi in ventriculo congesti semicorrupti educētur superius, vel inferius, signum erit ventriculum habere intemperatam caliditatem sine materia, quæ tamen adhuc fit, & dicitur morbus fiens. sed vbi iidē cibi prorsus corrupti reddentur sine aliquo conatu materiæ intemperies illa calida indicabitur intus facta; vt cum ad vltimam alterationem peruenit, & dicitur morbus factus. Hoc igitur erit vobis perpetuò obseruandum, vt aliquid obiter de signis prognosticis discatis: licet ex materia proprium locum, vtiliter tamen, & opportunè; vt quoties occurrit vobis morbus fiens cum signis prædictis, speretis curationem facilem, atque ægroto salutem polliceanimi, si modo nihil deliquerit. sed vbi iam morbus factus est, & apparent signa prædicta morbi

facta, tunc nihil certi promittatis infirmo, cura enim erit longa, vel difficilis, vel frequentissimè impossibilis. non est igitur facilè promittendum, quod vel difficillimè, vel nunquam præstari potest, nõ enim causa morbo, sed vobis, & arte vitio dabitur infœlix successus. à passionibus etiam vnicuique membro propriis sumuntur signa intemperaturarum: sed hic non est perpetua regula, vt in actionibus diximus, seruãda. nam diximus actiones diminutas, vel ablatas, frigiditatem indicare: in passionibus autem licet plerunque id quoque verum sit, quandoque tamen fallit, vt verbi gratia in passionibus ventriculi fames multa indicat frigiditatem ventriculi; pauca, vel nulla caliditatem. in siti verò secus se habet: nam diminutio, vel ablatio sitis frigiditatem ventriculi ostendit: multitudo sitis caliditatem. In reliquis autem membris passiones ferè eadem regula indicantur, sicut actiones. nam somnus, & vigilia, quæ sunt passiones cerebri; somnus quidem augetur & multiplicatur per frigiditatem: vigiliæ contrà minuuntur, vel auferuntur à frigiditate: augentur à caliditate. constantia enim animi, & pusillanimitas, quæ sunt passiones cordis, constantia augetur à caliditate; minuitur, vel aufertur à frigiditate.

cõtra pusillanimitas augetur à frigido, minuitur à caliditate. Verum sæpissime videbitis ægros, qui cum tẽpore sanitatis essent admodum timidi, & pusillanimes suborta ægritudine, & inuadente feruore cordis efficiuntur audaces, temerarii, impudentes, & frequenter etiam furiosi: eadem prorsus regula est etiam de passionibus, quæ attinent ad membra naturalia. Appetitus enim ad venerem augetur à caliditate, minuitur & aufertur à frigiditate. Hæc igitur obseruantes circa actiones, & passiones corporis, vel membrorum aliquo modo affectorum ex hac intemperie sine materia nunquam errabitis, statim scietis quænam sit illius corporis, vel membri intemperatura. & hæc signa cum sumantur à propriis actionibus, & passionibus nunquam fallunt, & dicuntur verè παθογνωμόνικα: sed alia quæque signa, quæ sumuntur ab actionibus, & passionibus cõmunibus, licet necessariò non concludant, sicut hæc, quæ prædiximus, magnã tamen vobis lucem afferent, & coniecturas non contemnendas. verbi gratia si in dignoscenda intemperatura prædicta ventriculi, vbi sumpseritis signa à propriis suis actionibus, & passionibus, quemadmodum docuimus ad communia quoque accedetis, & denudabitis ventriculum patientis; &

primo considerabitis colorem: color enim albus,& lucidus frigiditatem significat: lutheus verò, vel rubeus caliditatē; si sit mollities, vel læuitas humiditatem; durities & asperitas siccitatem; pilorum multitudo caliditatem; scabritas frigiditatem: æqualitas & macies siccitatē semper, sed cum lutheo colore; pilorum multitudo caliditatem: adiuncta verò cum colore lucido albo, & glabricie frigiditatē: & hoc modo vos exercebitis, vt per singulas qualitates in singulis membris, artem medendi vera ratione assequamini.

ARTIS PARVAE TERTIA PARS,

ET CAP. LXXXIII.



GALENVS diuinus, vt tandem aliquādo mentibus studiosorum imprimat habitus rectos, & nequaquam deprauatos, eósque in re medica in conseruandis corporibus salubribus secundum suam debitam symmetriā summè necessarios, postquàm in sua priore methodo posuit magis propria dicta signa salubrium, insalubrium, neutrorum, cerebri

bri ſicci, frigidi, ægritudinum; nunc quaſi quodam diuino inſtinctu, vt ferè manu ducat adhuc inermes in re medica tam ſancta, & neceſſaria confirmãdo humano generi, incipit in hoc tertio ordine, quemadmodum à principio artis huius erat pollicitus, cõſtituere cauſas, & genera ſex noſtra corpora ſalubria cõſeruantia (nam hic erit de corpore ſalubri peropportunus ſermo) alterantia, & docet primum vos adhuc rudes, alias eſſe cauſas alterantes neceſſariò, alias autem non neceſſariò. cõſtituit autem alterantes neceſſario eas, ſine quibus omnino vita humana conſiſtere non poteſt, & quæ euitari nõ poſſunt, & illæ ſunt cauſæ alterantes, & cauſæ non neceſſariò. quanquam & in eis neceſſariis ſecundum plus, & minus dabitur gradus, & de his quemadmodum Galen. ſtatim faciet mentionem, clare meminit in libr. 1. quem inſcribit de ſanitate tuenda, ſunt enim ſex: ibi enim diſtinguit mala, quæ ſolent hominibus in tota ferè vita euenire: alia eſſe nobis connata, & quæ nullo pacto poſſumus euitare. actionem fieri in humidũ declarat: & quanto magis ſiccum præualet, tãto magis ægrè valere homines, talémque affectum in nobis ſenectutem appellari, in arboribus ſuo modo ipſum dici, alterum perpetuum ferè

fluorem substantiæ sic appellauit, hoc est, transmutationem continuã vnius substantiæ in aliam; vt vini, aut cibi in nostrum alimentum, versionem in sanguinẽ; vnde excrementa vtilia, vt est sperma, & inutilia vt sunt secessus, & vrinæ. is autem fluor perpetuus attinebit ad præsentem rationem dicendi. nam sine cibo, & potu fieri nõ potest, sine exinanitione, & repletione fieri nõ potest durare corpus salubre. quæ sunt ex sex causis duæ necessariò cõseruantes, & necessariò alterantes, effectricésque in hoc nostro salubri corpore. Erunt igitur sex genera causarum alterantium corpus nostrum, quas semper memorabis coniugatas: necessario enim vim illarũ semper inest. & ideo quasi semper pro eadem causa numerantur: prima est aer, secũda est motus & quies, tertia somnus & vigilia, quarta cibus & potus, quinta inanitio & repletio; Galenus dicit ex his, quæ excernuntur & retinentur; sexta sunt omnes affectiones animi necessariò etiam hominibus contingentes, & vt res iunioribus clarior sit, notat Galenus causas necessario alterantes sex: quis enim sine aere potest viuere? & hic vt bene rem aduertatis, inter causas necessarias enumeratas est aer necessarius summè, & magis aliis causis; quia sine cibo & potu quamuis ho-

mo

mo non posſit diu viuere, quamuis omnes ægrè famem patiantur,&maximè ii,qui anguſtas habent venas. Galenus enim libro ſecundo de temperamentis affirmat idem dicens; qui anguſtas habent venas,exigui ſunt ſanguinis,nec longam inediam ferũt: quibus latæ,iis copia ſanguinis eſt, & citra noxam cibo abſtinent.attamen diu viuere ſine cibo & potu nemo poteſt.quis viuet ſine ſomno?quis ſine vigilia?ſi enim ſemper vigilat,decedet virtus digeſtiua, non bene operabitur:ſomnus enim eſt naturæ veluti coquus,quis ſine inanitione & repletione? quis ſine gaudio,ſpe,timore,fiducia?eſſet is lapis potius,quàm homo;imò ſæpe, vt Gale.facit de hoc librum vnum,an animi mores corporis temperaturam ſequantur? quis ſine motu,quis ſine quiete?hæc enim vtraque ad conſeruãdam ſalubrem vitam ſunt neceſſaria.fecit Galenus de paruæ pilæ exercitio libellum,vbi laudat illum motum: eſt enim non tantùm vnius membri,vt qui arcu ludit,tantum exercet brachia, omnibus æquè conuenit tam diuitibus, quàm egenis.non enim canibus, auibus,aut retibus eget,vt aucupationes,& venationes ferarum;ſed tantum exercitatione. quis ſine inanitione & repletione?vt puta excrementis tam vtilibus,quàm inutilibus?& notent

bene iuniores cibum & potum non esse idem cum inanitiõe & repletione. nam repletio etiam attinet ad ea, quæ sunt sperma tis, ad excrementa vtilia, & inutilia, vt sunt vrina, & secessus. cibus autem & potus sunt causæ repletionis, quam postea sequitur inanitio opportuna. sunt igitur sex genera causarum alterantium, necessaria corpori nostro. aer tamen obtinebit principatum in numero causarum necessariarum, nam vt dictum est, sine cibo, potu, somno, vigilia &c. nemo potest diu viuere, minus autem, & sine aere poterit; si occludantur meatus: hoc sentimus nos semper: habétque quandam vim immutandi nostra corpora, si corrumpatur aer siue secũdum substantiam, siue qualitatem propriam, vt in cauernis Neapolitanis, vbi statim animantia moriuntur, vt fit in peste: tum enim & vt in illa cauerna dicta, aer non est tantum secundum qualitatem corruptus, sed secundum substantiam, quod scorpio occidat; agítque in nostra corpora sensibilibus viis. Erunt aliæ causæ alterantes nostrum corpus non necessariò, vt ensis, venæ sectio transiens, pharmacorum susceptio, potionum, & id genus alia: de quibus nunc non dicimus, sed aliás; possunt tamen esse vtræque causæ & illæ sex necessariò alte-

rantes, & hæ non necessariò, causæ salubres, & insalubres corporis nostri, prout eorum vsus erit opportunus, vel importunus. si opportunus, salubris causa: sin importunus, insalubris. opportunitas verò consistit in debita dosi, & qualitate, hoc est, in quali, & quanto: in iis enim versatur tota res medica.

CAPVT LXXXV.

SECVNDVM QVOT IGITVR ALTERATVR MODOS, TOT AVXILIORVM, HOC EST, CAVSARVM CONSERVATRICVM GENERA HABEBIT &c. Gale. texta oratio. Quoniam medicus, vt ad immortalitatem perducat corpus, & incorrupionem, nullus vnquam potuit efficere: neque enim ars est in idipsum, sed hoc quantum maximè potest conatur, vt hoc ipsum corpus humanum, ad quàm summam & extremã potest, conetur senectutem adducere. ea ratione modo enumeratis causis sex alterantibus nostrum corpus, vt puta aerem, motũ & quietem, somnum & vigiliam, cibũ & potum, inanitionem & repletionem, atque perturbationes animi: quia ipse modo hoc maximè conatur, vt corpus salubre simpliciter id est, habens debitam symmetriam, tempera

peraturam, quàm diutius poterit conseruet. ostensis causis alterantibus, & monstrato, etiam circa hoc salubre corpus alias esse causas conseruatrices sanitatis, alias esse effectrices, vt si quando salubre corpus debitam symmetriam perdiderit, obseruatis iis, quæ ad ordinẽ obseruandi pertinebant, enumeratis causis alterantibus enumerat remedia, & causas; quæ quia sunt duplices: aliæ nẽpe, quæ conseruant corpus in mensura debita, aliæ quę lapsum releuant: quæ conseruãt in fœlici statu, & tempore, & dignitate illis, quæ reparant sunt digniores. ab illis ipsis sibi incipiendum esse iure elegit: quoniam & tempore insalubri corpore medicina conseruans prior est, & dignitate, quia conseruans dignius est reparante. iam statim addit docẽs nos, quotquot erunt causæ alterantes salubre corpus, tot etiam esse auxilia, vt illud salubre corpus ad debitam symmetriã reducatur, erúntque nõ tantùm sex auxilia, sicut erãt causæ sex alterantes, sed etiã illæ ipsæ causæ, quæ erant alterantes, erunt etiam conseruantes illud corpus; tamen non sub eadem ratione; sed altera: aer enim alterans sic consideratus est causa alterationis in corpore salubri; vt puta in deterius: aer consideratus, vt reparans, conseruans, efficiens sanitatem, & restitu

ſtituens erit auxilium. ſic aer idem ſecundum ſubſtantiam fuit cauſa, & materia: idem etiam ſecundum ſubſtantiam conſeruans idem corpus ſecundum quale erit auxilium, & ita idem reſpectu diuerſorum erit cauſa materialis & efficiens, ſic nõ confundemus philoſophiæ matris noſtræ medicinæ prima principia. res autem, quia eſt medulla artis, exemplo eſt præponenda, vt intelligas quomodo eędẽ cauſæ, quæ erant alterantes, erunt conſeruantes. ſit hoc Galeni; eſt corpus hoc ſimpliciter ſanum, ſalubre, optimè ſanũ, reperitur in aere temperato, ſine moleſtia obit ſuas functiones in aere temperato, non abſolutè temperato, quia eſt ſiccus in ſe, vt euitemus vanas ſophiſtarum anguſtias inutiles: ſed per relationẽ ad corpus ſalubre, quia in eo aerę, quem reſpectu ſui dico temperatum, corpus hoc non ſudat in eo, nõ alget, ſatis temperatè degit, viuit deinde vt oportet: ſic enim temperati optimè reſiſtunt cauſis, & qualitatibus alterantibus. Tale corpus appetet, quantum oportet: ſumptum retinet fideliter, retentum cõcoquit ſuo calore naturali: expellit expellenda, ſegregat debito modo excremẽta, ab inutilibus vtilia; ſperma fœcundũ generat, appetit motum, coitum ſuo tempore, quietem quantum oportet,

ret, optimis est moribus animi. nam & hæc erat sexta causa necessariò alterans ipsum corpus, quàm diu durat. sicq; in illa diuina, & optima temperie non egebit in sui prouidentiam aliquo præside. erit enim, ac si vnum esset, nõ dolebit. supponendo igitur tale corpus salubre, nam de tali nobis erit hic quotidianus sermo, medicus sumpta á corpore indicatione, nihil aliud imaginabitur, nisi tale corpus, quantum potuerit in summa temperie conseruare. ponamus modo, quod tale corpus inueniatur in aere frigido, vt pori constipentur, meatus extrinsecus occludantur, corpus algeat, vbi prius nõ algebat, vel si est in aere calidiori, quam postulabat tẽperatura. sudat, vbi prius non sudabat. habet iam eam impressionem, vt nisi causis alterantibus occurratur, corpus certe ægrotabit. inquirit causas, videt hunc secundum morem moueri, & quiescere, secundum morem dormire, & vigilare, comedere, & bibere eadem, quæ prius; quęrit causam alterationis inter sex. videt aerem alterantem hoc corpus ob frigiditatem, quia videt algere, non digerere, videt meatus occlusos cutis: vnde est ferè, & nascitur insensibiliũ, quasi euẽtationum fluxus. & ratione aeris frigidi iam est prohibitio, quia interclusio, ob quam retine-
bun

buntur euentationes solitæ, ob quas retentas sequetur putrefactio humorum in hoc corpore. prudens medicus adhibet causam statim extrinsecus alterantem, efficientem, quæ restauret, reducat ad illam symmetriã priorem corpus, adhibet aerem calidũ, qui tollat algorem aut per balnea, aut per fricationes leues ad ignẽ. alterabit igitur aerẽ eundem secundum substantiam, & qui ante fuit causa, & materia alterans salubre corpus, nunc est causa efficiens conseruans ipsam sanitatem illius corporis, quæ fuit causa insalubris, nũc est salubris. & hoc est quale quid conseruans, quia calidum inductum loco alteratione frigidi, quod impediebat ipsam temperaturã istius corporis.

Posteà quàm Galen. noster docuit medicos non errare in quali, hoc est, vt frigiditatem caliditate expellant, & vincant debita: contraria enim curãtur contrariis, modo accedit ad quãtum. diximus enim iam in iis duobus versari totam rem medicam, accedit ad doctrinam graduum, vt puta alteratus est is à temperie in frigidum nocens, necesse est, vt sicut in qualitate stetit opportunitas, ita etiam stet in ipsa quantitate dosis. debeo calefacere, quantum debeo calefacere? vt puto in balneo isti volo restituere sanitatem, aut per fricationes le-

ues:

ues: si in balneo, quantum debet esse calidum, quanto tempore is debet durare in balneo, vt tantùm inducat calidi, quantum ipsa tẽperies passa est à frigido. ipsa enim quantitas remedij sumitur à quantitate alterationis à calido: quantum etenim operandi sic distinguitur. hic oporteret adiicere gradus, quot gradibus æger decidit à tẽperamẽto? à calido debito in frigidum indebitum, tot caliditatis gradus, & non plures ad temperiem contemperandam inducere. quis autem hoc efficiet? neque Gale. neque vnquam aliquis medicus hoc potuit efficere, nec effecit: possumus coniecturari, tantùm secundum indicationes sumptas à reformato corpore: nullus tamen potuit determinatè hoc dicere à tertio, in tertium gradum hunc reduci. ista enim soli Deo nota sunt, & naturæ, quæ est tanquam suprema Dei secretaria. Galenus etiam in primo ad Glauconem, & in primo methodi dicit, si scirem ad istos gradus pertingere, crederem me esse Aesculapium, & Apollinem. nesciebat autem Galen. non propriè incertitudinem scientiæ, neque artis, quæ certa sunt: est enim scientia verorum possessio, & eorum, quæ certa sunt imposibiliter aliter se habere; sed propter incertitudinem subiecti: non enim nos discernimus

gradus qualitatis discretos, vt partes corigiæ sutor ad sensum. ideo non turbent vos graduum partes: sunt ne alia? quia hic sunt tantùm duo, quę Galenus ad vertenda medico apud ægrum significat, quale & quantum. notetis, sæpe aliàs à Galeno pleraque dicta sunt in aliis locis, quæ hic quoque de causis tantùm alterantibus locutus est, & iis maximè necessariis, quæ euitari nequaquam possunt. sed Aristo. 1. & 2. ethicorum dicit, quod in omni recta actione, oportet aduertere quid, quale, quantum, quomodo, quando, vbi, & his tempus, quæ circunstantia temporis, quantum valeat in primo ad Glauconem declarauit Galenus, & primo aphorismorum Hippo. vt eam præferre omnibus aliis non dubitaret. Tempus igitur est occasio maximè notanda, & quomodo, & vbi. De modi circumstantia vos debetis corpus hoc salubre conseruare in sua temperiæ cum exercitio, quomodo est operandum, vt exerceatur corpus hoc vtiliter? si erit exercitium validum, & robustũ, vt puta currere cum graui põdere, vel proiicere graue pondus; alterum, vt leuiter deambulare: exercitium leue hoc moderatè calefacit, multum resoluit. illud graue genus exercitij multũ calefacit propter motum violentum: non tamen resoluit, quia

non longum. quomodo ergo debeo hoc ſalubre corpus vtiliter exercere? quantum, quomodo? hoc fieri rectè non poterit, niſi naturam rei prorſus conſideretis, & huius corporis temperiem. quædã enim corpora facillimè, alia verò difficillimè calefiunt, & aliter operabimini in vno, quàm in alio corpore. ſed quoniam Galen. hoc loco non curat corpus malè affectũ, ſed tantummodo ſalubre cõſeruat, & illud, quod eſt optimè conſtitutũ; hic ideo hoc omittat. Vbi autem & quando? Tempus maximum eſt circumſtantiarum, & maximè in morbis acutis. nã ſi non concoctũ educere quis audeat, actũ eſt de patiente. ſi quis iam concoctum dimittat non euacuatum, quid aliud generabit, niſi morbos? dimittit ergo hic Galenus alias circumſtantias, niſi de quali, & quanto; quanquam etiam in quali tempus adhibetur. oportet enim aliquo tempore conſiderare iſtum decidiſſe à temperie, & in frigidum non neceſſarium, à quo ad hanc temperiem reductũ, quando etiam conſiderat quale, id eſt, mutatas qualitates, quæ neceſſariò ſunt immiſtę fluxui perpetuò ſubſtãtiæ: quemadmodum in libris de tuenda ſanitate abundè, maximè libro primo ſcriptum eſt. hoc autẽ, id eſt, perpetuò fluere, & tranſmutari, ſine tempore fieri non

non potuit, in tempore enim acta sunt. igitur concludamus Galenum hic considerasse tria, quale, quantum, & tempus; cras erit lectio venereorum an sit venus necessaria, & si sit, quando, & quibus.

CAPVT LXXXVI.

VENEREORVM AVTEM &c. Dixit iam Gal. abundè de sex causis alterantibus nostrum corpus optimè constitutum, & quomodo quandóque alterantur corpora, per easdem causas fit auxilium, numerauítque ipse sex conuenientes scilicet aerem, cibum & potũ, quietem & motum, inanitionem & repletionem, &c. diximus nos etiam ea, quæ cadũt sub inanitionem & repletioné non eadé esse cum illis, quæ cadunt sub cibo & potu. repletio enim & inanitio plus in se habent, quàm cibus & potus. est enim repletio etiam arteriarum, venarum, concauitatum, mẽbrorum, ventriculi in sua illa naturali pituita, quæ defendit ab ipsa acrimonia humorum acutorum, ab ipsa cholera, est igitur plus, quàm cibus & potus. vtrũ autem sub inanitione & repletione ponatur venus? videtur enim esse sub repletione. quòd autem repletio & inanitio vna est causa necessaria, quàm eui-

tare non possumus patet: est enim ex perpetuò fluxu substantiæ. videtur Gal. non ponere eam sub causis necessariis simpliciter, vt sunt istæ sex: sed post eas repetit Epicureorum sententiam,& Galen. expresse non videtur eam ponere sub inanitione & repletione. & innuit dubium an sit venus de necessariis? dicit enim secũdum Epicurum semper nocere, nunquam prodest, satis est, quod non noceat. viderat etiam Democritum præceptorẽ Hippocratis sensisse Venerem nihil ferè aliud esse, nisi morbum quẽdam leuem, comitialem. hic an Venus sit vtilis & necessaria simpliciter an non; pulchra nata est quæstio: quę secundũ morem & antiquorum, & iuniorum, & ferè omnium vel autoritatibus, & cognitione & natura rei cognoscenda est quantũ ad auctoritates attinet, Gale. hic expresse innuit Venerem prodesse: in quinto de locis affectis ca. vltimo dicit procedere ex cõtinentia veneris multa incommoda, & refert exempla multorum, quod lapsi erant in morbos propter continentiam Veneris,& vsu restauratos. refert Diogenis exemplũ leuitate corruptum esse, dum muliere citò non potuisset vti: nempe philosophus cognouisset naturam infectam reddi abstinentia. Vult igitur Galenus, quod quandoque

doque

dóque iuuet, ſed non ſemper, & quandóque noceat. in ſecundo de tuenda ſanitate cap. primo dicit eſſe quinque valde vtilia ad ſalubritatem, exercitium, cibū, potum, ſomnum, venerémque. & innuit 4. prima eſſe communia, & omnibus neceſſaria cuiuſcunque temperaturæ. diu enim vita ſine iis conſiſtere non poteſt. venus non eſt neceſſaria omnibus, ſed quibuſdam florentibus ætate, & in vigore conſtitutis, adoleſcentibus intempeſtior. ideo Ariſto. 28. annum determinat connubij, ſenibus intempeſta. ideo Thales philoſophus interrogatus de vxore cum adoleſcens eſſet, an eam traduceret? Dixit non adhuc tempus eſſe media autem ætate? prorſus obliti coniugij eius iam ferè deſcendente ætate, ab eo rogant, an iam vellet? reſpondit iam intempeſtiuam eſſe. Gale. etiā in 6. de tuenda ſanitate determinat iis, qui ſunt calidi & humidi, qui abundant multo ſemine, quibus partes teſticulorum craſſam & calidā habēt materiam, ſalubré eſſe venerem: aliquibus ſemina indurari, aut corrūpi, hinc effici tanquam venenum, & gigni multas ægritudines. Rufus antiquiſsimus medicus, à quo Gal. multa accepit, & maximè in hac materia de venere, diſtinctiſsimè de hac re loquitur, & diſtinguit, quibus venus ſit maxi-

me necessaria, ponit in sexto aggregationum circa finem in Oribasio ex sex rebus, tanquam circunstantiis constare, quibus venus sit necessaria, & quando est vtilis, & quomodo? fuit enim doctißimus vir vterque & Oribasius, & Rufus.

1	ex	ætate,
2		temperatura,
3		materia seminis,
4		tempore,
5		hora,
6		viribus, & vicibus.

AETATE, nempe florentibus ætate, in quibus etiam si natura sicci sint, & calidi, tamen in illa ætate florentibus minus nocet; sic non prodest senibus, & adolescentulis, alteris non est in tempore, alteris est intēpestiua, vt Thales dixerat: sunt enim senes natura sicci, vt docet Gal. in primo de tuenda sanitate, & in perpetuo fluxu substantiæ, & defectu sicci ob actiuitatē ipsius calidi aduenit nobis affectus, quem senectutem appellamus. & hæc duo mala sunt, queādmodum ibi docet Galenus, nobis cognata, & quę nullo pacto euitare nos possumus, senectus, & fluor perpetuus substantiæ. Aetate igitur florescente: quæ est autem hæc flore-

ſcens ætas? Galen. libro ſecundo de temperamentis ſic à principio non longe exprimit; floreſcens verò ætas omnium animalium maxime in medio extremorũ eſt, neque ſicut ſenium ad ſummam perducta ſiccitatem, neque veluti infantium ætas in humore & multo humido merſa: hinc florens ætas à floribus ſumpta ſimilitudine, qui nõ ſtatim cum planta naſcuntur, non vſque in autumno, ſed in quodam quaſi ſui tẽporis etiam medio: ſic arbores etiam nõ vſque in ſua ſenectute. eſt enim vt Gal. in primo de ſanitate tuenda ſcribit, quoddam in ſtirpibus etiam ſenium, ſiccitatis exceſſu prouenìens, calidos autem & ſiccos non adeo iuuat; minus enim habent excremẽti optimi, & vltimi alimenti. & ideo multum appetunt, parum poſſunt: & ſi conẽtur vltra poſſe, ſæpe ſanguinem eiiciunt. MATERIA SEMINIS agnoſcitur tum eſſe opus veneris, cùm quis ea vtitur compellente tantum corpore, non autem praua mentis aſſuetudine; ſed cum venas tua libido inflauerit. TEMPVS. eſt inter omnia conuenientius veris. ideo & natura modo hoc demonſtrat etiam in ipſis brutis aſinis: aliqui tamen dixerunt hiemem, ſed ſemper poſt ver: aliqui æſtatem: aliqui autumnum, ſed hoc eſt ſecundũ complexiones determinan

non

dum, calidis & siccis potius hyeme, quã æsta te; frigidis & siccis senibus & melancholicis in autumno vtendum venere &c. HORA. Etiam Oribasius docet, non ieiuni, quia fatigantur, nisi mulier, non statim repleti, quia difficulter eiiciunt. sunt enim repleti humoribus crudis, ieiuni citius eiiciunt, sed redduntur imbecilliores. erit igitur medio modo se habentium, vt nec ieiuni sint, neque crudis humoribus statim repleti, tribus ferè horis à mensa, tamen optima est cum cubitum eunt, nam statim corpus refocillatur quiete: mulier suscepto semine quiescit, concipit facilius. VICES. Montanus appellauit actum vnum: non enim affligit corpus, nec perturbat animum, & ille specialiter actus, qui est instinctu corporis, & necessitate. MODVS autem cognoscendi, & indicium, si fuit motus à debito & optimè vltimo vtili excremento, an à praua mentis assuetudine erit hoc? post coitũ statim, si propter prauam coeundi assuetudinem, pœnitebit, sequetur statim quædam pœnitudo, lassitudo, mœror quidã animi: si à debito modo corporis, non pœnitebit, non laborat, non tristatur, sed gaudet, corpus seipso factum est leuius. verùm sunt aduertendæ istæ circunstantiæ: nam si pluribus etiam vicibus vti voluerit quis, quàm

non possit etiam ex nimio cordis tremore, & pulsu, qui fit ob rem, quę etiã sic infertur exinaniuntur spiritus, intempestiua morte moriuntur, incidunt in comitiales morbos, quemadmodum ego Veliæ audiui, & est certum, anno domini 1546. vnum intempestiuè mortuū fuisse in ipso actu venereo. Hęc sunt, quæ sunt adducta pro auctoritate de venere. ex natura verò rei an sit necessaria quibusdam &c. Considerabis primo, & videbis, quæ sit illa materia, quæ per coitum eiicitur, & est semen. quid est semen? Arist. de generatione animalium, & Galenus de semine dicunt, esse excrementum optimi vltimi alimenti, quod est sanguis factus, proximè concoctus, vt iam transeat in alimentum. Hoc supponendo aliud est notãdum, quod calidum & humidum sunt instrumenta, & fundamenta optimæ concoctionis & digestionis. Et ideo alimentum tantò fit copiosius, quantò calidum & humidum est magis prædominans: quia quantò magis est de calido, & humido non ad pondus, sed ad iustitiam, id est, temperaturam iustam huius corporis, tanto melius concoquet, tantò plus etiam tum dabit de optimo alimento, tantò de excremẽto vtili, vt puta sanguinis proximi conuertibilis in naturam, & substantiam nostram. si re-

dundat vltra id, quod ad sui tum opportunam reparationem necesse est, natura iam seclusit, separauit, segregauit: oportet eiici. si verò non eiicietur, corrumpitur; si sic, generat ægritudinem, apostemata, inflationẽ testiculorum, & hoc modo dicimus generare venenum. Vides igitur quomodo ex natura rei agnoscis venenum esse. sed medio se habens modo venus inter causas necessarias, ac necessariò alterantes, & non; & quibus sit necessaria; secundum quid enim est necessaria, id est aliquibus, non tamen omnibus: quia frigidis & humidis: calidis & siccis non item: vix enim tantum alimenti cōcoquunt, vt nutriant substantiam, & non tantum vt quid supersit excrementi vltimi, optimi alimenti, excernāt per coitū.

HORVN AVTEM SINGVLORVM QVAE DICTA &c. Hactenus Galenus constituit sex causas alterantes necessariò corpus nostrum salubre, & in optimo statu constitutum, aerem, motū & quietem, somnum & vigiliam, inanitionem & repletionem, & affectiones animi: ac docuit etiam venerem, quæ sub inanitione & repletione locum obtinet, esse salubrẽ secūdum quid; quia non omnibus, sed quibusdam tantum. simpliciter autem nascituris tantum etiam docuit non tātum sex esse causas, sed etiam

auxi

auxilia cōtra iſtas cauſas,& eaſdem; ſed ſub alia ratione conſideratas:aer enim hic corruptus,aut ſecundum ſubſtantiam,vt peſtilentialis, aut ſecūdum qualitatem:quia abduxit corpus in diſtemperantiam,& debita fuit cauſa, & materia alterans hoc corpus. nam aer ſecundum ſubſtantiam, & eſſentiam,ſed tamen iam non corruptus, & mutatus ſecundum qualitatem, vt puta quod algere faciebat,calefacit tantum, quantum opus eſt, & iam factus aer auxilium ſanitatis,& reducens in temperaturam debitam. quòd autem hic conſtituit artem conſeruatiuam,tanquam digniorem, & priorem altera, præſupponit hoc fieri debere in ſalubri corpore optimè conſtituto, in optimo ſtatu, quod nullo egeat præſide, quid autē nec dum etiā iuniores intelligunt, hoc quidem exemplo clariori ſæpe etiam indicādum eſt, ne progrediamur ab ignotis ad ignotiora,ſalubre corpus erit, quod nō exceſsit mediocritatis terminos. Termini autem iſti ſunt in aere quidem ambiente, vt neque horreat corpus propter frigus, neque ſudet propter æſtum. In motu, ſuo tēpore appetit motum,ſuo tempore quietem,cum primum laſſari cæperit corpus confeſtim quieſcit. In cibis & potu, concoctionis perfectio, & excrementorum modus, appetitus

petitus quodammodo ęqualis concoctioni. optima si quidem natura, quātum appetit, tantum concoquit. sic & somno modum ipsa natura præfinit in iis; tunc enim à somno excitantur, cum corpus ampliori quete non eget, & vt semel dicam, omnes tum naturales, tum animales virtutes inculpatas habēt, cum & sensuū facultatibus, & membrorum motibus optimis homo sit præditus, tum viuido colore semper sit, melius inter somnolentum, & peruigilem, inter glabrum, & hirtum; inter nigrum colorem, & album. Animales: animo semper melius omnino est, medius audacię, & timoris; cunctationis & præcipitationis, misericosdiæ & inuidiæ, alacer, amicorum amans, humanus, & prudens. hoc vocamus corpus salubre, quod est valde rarum: semper enim ferè sunt declinantia in quali, & quanto. Quo modo autem eædem erunt 6. causæ necessariò alterantes? quia sine illis nullo modo humanum corpus potest consistere diu; nō enim respirare, vesci, bibere, dormire, vigilare, excreare, excrementa eiicere à quoquam vnquam discimus, sed statim à principio facultates in nobis habemus, quæ hęc omnia citra docentem perficiant. cibo igitur quicquid siccioris substantiæ effluxit, restituimus, potione, quicquid humidio-

ris;ita verò aereæ, igneæque substantiæ modum respiratu,ex iis necesse est cōtrahi excrementorum prouentum: ita erunt necessariæ causæ conseruantes, & alterantes corpus nostrū in debita symmetria. modo Gale. in eo textu docet,quomodo sola qualitas istas sex causas faciat esse remedia, & dat exemplum de motu & quiete.i.de exercitio,ita enim debent explicari:quæ æqualiter mouent, & calefaciunt tam vnam partem,quàm aliam,& hoc æqualitate iustitię secundum temperaturas partium integralium, non in vniuersali,sed vt vnaquæque pars habeat tantum motus,quantum indiget: plus enim in pedibus, quàm in thorace.terminus ipsius motus æqualis anhelitus maior seipso: iam enim cor seipso incaluit plus æquo, tunc desinet statim.adducit etiā exemplum de cibis: debet enim esse cibus temperatus temperatura iustitiæ, id est per relationem ad corpus,vt puta est corpus calidum,& humidum in primo, vel in secundo gradu, debemus cibare illud talibus cibis. cōseruamus enim cum similibus; curamus cū contrariis. sic erit eadē ratio de aliis residuis quinque semper talis hominis,vide qualitatem semper, vt non nimis humectet, vigilia vt non nimis exiccet, vt corpus non exiccetur; venerem adhibeto, vt

non

non frangat, sed alleuiet. AT SI QVID AB OPTIMA CONSTITVTIONI DEFECERIT CORPVS &c. In hoc capite tractabit de corporibus, quæ recesserunt ab ipso statu salubri, & dicit quadantenus recesserunt, i. secundum aliquam partẽ declinauerunt, ea adhuc possunt cõseruari: si enim multum in aliquo gradu, iam egerent alterantibus, & curantibus. ideo dicit, quod etiã conseruamus corpora, quæ quodam modo recesserunt ab ipso cõtinuo statu; vt si venustas deficit iam corpus declinauit secundum aliquã partem, non tamen est in tota adhuc complexione alteratum. & dat modũ conseruãdi talia corpora, quæ quadantenus declinauerunt secundũ qualitatem, vt si declinauit à calido & sicco, per calidum & siccum conseruamus in suo gradu. SED QVVM MVLTA &c.

Vult modo distinguere singula genera recessus à salubritate, non gradus: quia sunt infiniti particulares in isto corpore.

SED GENERA. duo inquit erunt genera recessus, vt cognoscas reducere hoc corpus secundum lapsus, vel secundum primam temperaturam, id est complexionem, vel secundum secundam compositionem, id est, partes integrales, vt debita quantitas membrorum, debita conca-

uitas,

uitas, ſitus, numerus, forma, quæ ſunt in prima plaſmatione: & primum loquemur de receſſu primi modi ſecũdum temperaturam. Receſsit hoc corpus à tem-ratura calidi & ſicci per vnum gradũ: plus eſt enim per gradum vnum magis calidum & ſiccum, quã debet eſſe. hic quærẽda eſt ſalubris cauſa, quæ poteſt eſſe duplex; cauſæ alterãtes poſſunt applicari duobus modis. poteſt enim medicus conſeruare velle in illo ſtatu inæqualitatis, quo repertũ eſt corpus, & non remouere illum gradum calididitatis & ſiccitatis; qui facit inæqualitatem, aut vt remoueatur, & reducatur ad debitam ſymmetriã, erit etiã cauſa ſalubris. de vtroque à nobis loquendum eſt, ſed primùm de primo in ſtatu inæqualitatis, vt. ſ. conſeruetur corpus in illo ſtatu inæqualitatis, in quo repertum eſt. propterea quòd conſeruantes cauſæ, dixit iam Galenus in principio, ſunt dignitate & tempore digniores alterantibus, & adfert proprium modum ſecundum gradus, vt ſi eſt corpus factum inæquale à tempore per vnum gradum ſeipſo calidius, applicandæ etiam corpori alterantes ſecundum æqualem quidem. RECTE SIQVIDEM &c. Affert Galenus vnam conditionem, quomodo poſsitis applicare ſimilia ſimilibus, & contraria contrariis.

remo

remouere: ſine qua nunquam poteritis eſſe boni boni iudices corporum, & eſt cõditio triplicata. primò cauſas alterãtes, vt cognoſcatis, an ab aere, an à motu, an à cibo, an ab inanitione, an à morbis animi hoc corpus ſit infirmatum: deinde diſpoſitionem corporum, ſtatum, cognitionem diſpoſitionis, quantum ægrotus receſſerit à ſua debita tẽperie, & hoc fit in illis facilius, quos ante nouiſtis. tertiò virtutes applicandorũ: nam hoc eſt etiam motiuũ, vt ſciatis virtutem aeris, ſi enim cognoſcetis quod vigilia, quod motus, quod inanitio deſiccat corpus, quod triſtitia, timor, ſpes, gaudium, vos ſtatim ſcietis, quando remouere motũ, inanitionem, triſtitiam, ſpem, timorem, gaudiũ, & in quo gradu &c. Circa hoc notabile, omnes dicimus, quod motus, vigilia, defectus alimenti, triſtitia, & animi paſsiones exiccant; verũ eſt, ſed ſcire debetis, quomodo exiccant; aliter enim & aliter omnia deſiccant. motio autem primo humectat: videmus enim primo ſudari, ſed quando excedit, deſiccat, & arefaciendo, & ſudores excernendo, & per caliditatem exiccantẽ abſumit humiditates, quæ difflantur per inſenſibiles flatus, & ſudoris profluuia ob poros apertos &c. Cibi detractio deſiccat aliter, quia ex defectu alimenti humidi alimentalis

talis detrahitur ex humido radicali substantifico, & sic fit resiccatio. Excretiones superfluæ alio modo: quia cum plus excernitur, quàm assumitur, desiccatio fit, vt fit in laborantibus dysenteria, quia cōtinuum fluxum patiuntur, & plus excernitur in eis, quàm assumant. desiccantur, vt fit in profluuio menstruorum. Animi etiam motus, vt gaudium, spes exiccant, metus & tristitia exiccant, alio tamen, & alio modo: gaudiū, & spes vno modo secundum tamen minus, & magis: amor & tristitia alio modo secundum etiam magis, & minus. gaudiū enim & spes totum humidum viuificans trahunt ab intimis ad circunferentiam exteriorem, artus relinquunt, exinanitū sic corpus exiccant, quia partes interiores tunc minus fouentur, ab humido radicali, sic exicātur. humidum enim debet se resoluere ad omnes partes, sicut in arboribus ad ramos, ad palmites, qui cùm non accipiant suam partem humidi, exiccātur. minus etiam spes, quàm gaudium: quia spes via est ad gaudium. timor & tristitia opposito modo, intro tantum mittendo totum humidum alimētale, radicale & membra externa eo inania reddunt, quia sanguis redit ad cor in nimio timore, & tristitia tanquam ad castra. & ideò fit desiccatio ab istis alio modo.

Nata est ardua quæstio ex verbis ipsius Galeni, vtrum similia similibus conseruentur, & contraria curentur contrariis? maximè tamen circa primam partem quæsiti; vtrum similia conseruentur similibus? an aliquando contrariis? pro eo, quod dicitur à Galeno calida calidis conseruari, frigida frigidis, & perpetuò similia similibus conseruari, contrariis alterari, & remoueri, nata est magna quæstio, an sit vna propositio, & præcipuè de prima parte dubitatur, an similia similibus conseruentur? nam & autoritates, & rationes videntur repugnare; & primo autoritas Galeni in principio huius tract. de causis conseruantibus, sunt inquit de genere effectiuarum, & paulatim faciũt, quod alterantes faciunt confestim; si alterant, hoc nõ fit à simili. quare necessarium erit conseruationem fieri à contrario. est alia autoritas Galeni de alimen. cap. 1. si seruare corpora velis, cum cibariis oppositis, hoc facere oportet, quia cum similibus augetur dispositio. item secundo artis paruæ de oculis intemperatis dicit perpetuò verum esse simile lædi à simili, iuuari à contrario. item sexto de tuenda sanitate, secundo, & tertio aphorismorum 3. corpora frigida, & humida deterius habere hyeme, quàm in æstate. & hoc comprobant multa

signa:

ſigna:nam multi hyeme peſsimè agunt, nunquam ſunt ſani, quia eorum tempera-tura ſimilis eſt temperaturæ aeris:bene degunt æſtate,quæ eſt temperatura cõtraria. ergo ſimilia non conſeruantur ſimilibus. In oppoſitum,quod ſimile à ſimili conſeruatur,autoritas Galeni eſt hoc loco, & expreſsius 6.de tuenda ſanitate cap.3.vbi expreſſe hoc tractat.item 8. Therapeutices cap.vltimo proponit duos iuuenes pituitoſum æſtate ægrotum,& bilioſum in hyeme,vtrunque febricitantem:& docet quomodo vterque curandus eſt; eſt & opinio Auicennæ prima tertii cap. 1. quomodo complexiones calidæ conſeruentur. item quarta primi.& Auerroes, & omnes Græci, & Arabes in hoc conueniunt; & ratio hoc dictat,quia nullum alteratiuum poteſt conſeruare,quia ſi alterat,immutat. ſi igitur omnis cauſa eſt alteratiua,immutat;vel in melius ſalubres dicuntur,vel deterius,& ſunt inſalubres: ſimile verò nihil mutat, ſed conſeruat. eſt & aliud ſignum: herbæ frigidæ in locis frigidis naſcuntur:nymphæa,lentes paluſtres,& alia frigida, & humida in aquis naſcuntur.animalia calida; leones,tigres in locis calidis.nos circa hanc difficultatem ea vtemur breuitate,qua poterimus.difficultas in paucis conſiſtit, qui-

bus remotis auctoritates non sunt opposi-tæ; neque rationes quicquam valent: vix attingunt probabilitatem. cum considerare propositionem hanc similia similibus conseruari, debemus seruare ordinem, quem docet Galenus in quæstione, an ars tuendæ sanitatis ad medicum pertineat; ad Thrasibulum, vbi iubet considerare, an sit aliqua æquiuocatio ex parte subiecti, vel prædicati, & distinguere, vt tollantur omnes ambiguitates. hæc regula generalis est obseruanda in qualibet quæstione. id igitur primò videndum est, quid intelligamus per simile. similitudo dicitur in quali, & quanto: in quanto tamen propriè est æqualitas, nō similitudo: nam similitudo de qualitate propriè dicitur, vt accipiatur peluis aquæ calidæ pondere lib. 2. quæ habeat vnū gradum caliditatis, vel duo; alia peluis æqualis habeat eundem gradum caliditatis, & tantundem aquæ capiat: hæc similia sunt in quanto, & quali. in hac quæstione etiam quæritur, an simile à simili conseruetur, intelligendo similitudinem quanti, dico non conseruari, sed augeri proportionem: si addes quantitatem vnius peluis ad quantitatem alterius in eodem gradu caliditatis, augebis molem, & quātitatem, ac in duplo erit caliditas, duplóque maior quoad molē

exten

extensiuè, non quoad intensionem; quia idẽ erit gradus caliditatis. hæc distinctio ponitur à Gale. in primo, vel in secundo de temperamentis in quæstione, an calor pueri sit similis calori adolescentis? cum ergo quæritur de hac quæstione, distinguendum est, an similitudo in quanto intelligatur, & sic non conseruatur; quia augetur & fortificatur in duplo. in qualitate verò nunquam augebitur simile à simili; sed cõseruabitur: si duo gradus caliditatis addas ad duos gradus; quia illi gradus sunt in corpore non separati, non augebitur gradus caliditatis quo ad æqualitatem. intensio enim gradus non augetur à mole, erit semper idem gradus, quia remissum non augetur à remisso, sed ab aliquo intensiore: propterea quod eius motus est à contrario in contrarium, ideò aliquid, quod est calidum, debet vlterius calefieri; non fit autem hoc ab eodem gradu, sed ab intenso magis, qui se habet tanquam contrarium respectu remissioris, quia intermedia contraria sunt respectu extremorum. vbi ergo simile in gradu applicatur simili in gradu, non facit alterationem, sed idipsum conseruat in eodem statu, quòd tantum augetur moles. bene verum est, quò moles magis augetur, eo contrariis magis resistit. ideo Arist. quarto me-

teoron multam aquam difficilius putrescere asserit, quia quod multum est, non tam facilè patitur ab extrinsecus occurrentibus, sed magis resistit causis alterantibus, in quanto igitur augetur: in quali verò neque augetur, neque minuitur. hoc est prima distinctio fundata in vera philosophia naturali Aristo. & peripateticorum. secunda, quæ apud medicos dicitur, similia similibus conseruari, intelligimus, an causæ alterantes applicatæ humano corpori conseruent per similitudinem, an per contrarietatem? Hinc aliæ oriuntur distinctiones à natura causarum alterantium: aliæ aliter alterant. itaque non est modus vnus respondendi, nisi prius singula quoque distinxerimus, cibus & potus tãquam cibus & potus, & non sub ratione alicuius qualitatis consideratus nihil agit, nisi quod vel auget, vel minuit, vel conseruat substãtiam corporis: quę perpetuò fluit: ad restaurationem enim corporis inuentus est. si de hoc quæras, est similitudo in quanto? igitur ille cibus, qui assumptus est, tantum affert corpori, quantum absumitur, ille conseruat, & dicitur similis corpori, qui conseruat præsentem formam corporum, vt neque pinguiorem reddat, neque aridiorem, qui tantum restaurat, quantum deperditum est. & sic verè dicitur

à simili simile conseruari. si intelligas similitudinem, quæ nihil mutat, quia si deperdit, vel auget, iam mutat aliquid, exercitium relatum ad humanum corpus calefacit illud non formaliter, quia ipsum sit calidum, sicut aqua calida calefacit ob approximationem, sed effectiuè propter motũ, qui calefacit, & propter hoc colliquat materias superfluas, attenuat, & excernit per difflationem insensibilem, vt corpus sit minus excrementitium. erit igitur temperatum, seu æquale, quod in eodem gradu caliditatis retineat, calefaciat eũ hominem, quantum requirit eius temperatura, nõ colliquefaciat, neque exhalare faciat, nisi quantum oportet exhalari, & colliquari, ne nimis incalescat propter retentionem excrementorum somnus retinet euacuationem, confortat cõcoctionem, humectat corpus, quia resolutionem prohibet, is similis dicitur, si seruabit corpus in eo statu, in quo est, quia superfluus infrigidat, & humectat. Vigiliæ exiccant, & calefaciunt: dicuntur similes, si non alteretur ab illis corpus, quæ non faciũt plus æquo exhalare, de aliis eodem modo discurrendum. & hoc modo facilè videbimus, quomodo dicantur similes, aut dissimiles si naturam ipsarum causarum exactè nouerimus similes, quæ non

alterant. contrariæ verò quæ aliquo modo alterant. aer, in eo videtur quædam qualitas actiua, quia aer calidus occurrens corpori excalefacit actu immediatè sine interuentu alterius, quia actualiter talis est hic similis in gradu, vt calidior aer respectu humani corporis, quod debet alterari, calidior in primo gradu, quàm esse debeat respectu corporis temperati, calefaciet humorem cholericum in gradu, & conseruabit illum: quia ab æquali in gradu nõ peruenit actio. caliditas vtriusque in primo gradu augetur quidem in quanto, sed non in quali, nisi per gradum vlterioris gradus. hic igitur conseruabit: quia actu tale tantũ dat, quantum habet. sunt modo medicinæ, & cibi, qui dicuntur calidi, frigidi, humidi, sicci respectu humani corporis, quatenus consideramus non vt cibum, sed quatenus habent talem gradum, seu talem qualitatẽ, à qua denominantur non in actu, sed tales in potentia, quæ caliditas, frigiditas &c. non est, vt caliditas aeris, quæ est actu talis, sed est in potentia, tertio de temperaturis, vt refertur ad calorem humanum existẽtem actu, qui cum actuat medicinam, facit, vt calefiat ab eo, vel frigefiat in tali gradu, & sic fiunt actus inæquales secundum gradus agentium, & secundum gradus passi.

De cor

De corporibus elementorum, & qualitatibus rerum cognoscendis dicamus: sine enim hac re nihil fit in ipsa medicina, cum enim perpetuò disputemus de calido, humido, frigido, sicco, cum sint primæ qualitates primorum corporum, necesse est medicum scire de iis distinctè loqui, alioqui nullus est medicus. primum est pro conclusione tenendum vera & indubitata, quodlibet elemẽtum habere vnam qualitatem, in qua tenet principatum, & non patitur illud elementum sociari in illo principatu: secundum verò notandum quodlibet superius elementum conuenire cum vicino sibi inferiore, & communicare semper in vna qualitate, sed non illa, in qua illud solum tenet principatum. iam enim dictũ est hoc non pati ordinem vniuersi. Tertium notandum est, quod vti subtilioribus corporibus debebantur nobiliores qualitates: sic à materia distributum est, vt quod iustum erat factum, est sicut dicetur statim inferius. Quartum, nullum elementum vincit alterum qualitate, tantum enim habet calidi ignis, quantum frigidi terra, aliter destrueretur machina mundi. His dictis sciẽdum, quòd ignis tanquam corpus nobilius sortitus est qualitatem caliditatis, & etiam quia ignis est cœlo magis proximus, habet à

motu eius caliditatem, & ab eius lumine claritatem, & in hac prædominatur; est enim primum calidissimorũ ignis: propter quẽ omnia fiunt per se calida, quia tamen oportebat, quod ignis haberet aliam qualitatẽ, per quam esset sibi perpetuum consortium cum vicino elemento aere, & quæ qualitas esset ambobus & aeri, & igni communis quidem, sed in alio per prædominium, in alio remissiuè: quia vnum elementum locat aliud qualitate illa altera communi illis ambobus. quæ erit igitur? ignis est calidus, & siccus, & motu cœli prædominatur in calido, & dicitur primum calidissimorum. conueniet ergo cum aere ignis in calido remisso, quia aer humidus & calidus: sequitur aqua frigida, & humida, terra frigida & sicca per prædominium: ita vt hic cõformiter vides ipsum dicere iuxta suam positionem, ponere in qualitatibus prædominium. Andreas verò appellatus ad primam suam conclusionem, dixit dari prædominia in omnibus quatuor corporibus, sed bene ignis est calidissimus, terra est frigidissima, aer & aqua sunt participantia frigidum humidum; calidum ab vtroque, & in his non dari prædominium ad secũdum conueniunt. ad tertium non est ratione nobilioris, vel ignobilioris corporis, sed quia

ignis dum esset in potentia, erat magis aptus natus educi ad actum prius aliis corporibus. habet autem ignis caliditatem summam à cœlo, nõ formaliter, quia tale cœlũ sit, sed effectiuè id est, à motu, qui causat calorem. Ad quartum dicit appellatus, respondeat: nam si non datur prædominum in singulis corporibus simplicibus, sed tantum in tribus, quomodo tertium corrumpatur, & destruatur? quia habet contraria vincentia. A natura rei autem Andreas appellatus deducit ista methodo, sicut id, quod est, propinquius ipsi agenti participat magis de virtute eius. sic illud quod est remotius minus; sed elementa omnia habẽt calorem ab ipso motu cœli effectiuè, ergo quæ sunt propinquiora participant plus; quæ remotiora minus. & quantò illa remotiora, minus sapiunt naturam illius agentis, tantò magis accedunt ad suum oppositum. igitur terra est primum frigidissimorum: quia est à cœli motu remotior, à quo alia habent caliditatẽ, vt ignis, & aer. cõtra te est, tamen cõcedis aerẽ esse magis humidum, quàm aquam; sicut & Abracius dicit, concedo aerẽ, esse magis dispositũ, esse magis humidũ, quàm aquam. aer calidus remissè, humidus plus ratione dicta, aqua frigida plus, humida minus, tamen aquæ re-

missa

missa frigiditas ob elongationem à motu cœli, nõ potuit humidum suum exprimere. Terra frigidissima; sicca, propter id, quod reprimit humiditatem; est enim intensum propter maximam à motu cœli distantiam. fit contra amborum positionem argumentum. ponitis aerem esse magis humidum, quàm aquam: cõtrà in calefactione aquæ frigiditas expellitur; humiditas remanet; ergo &c. Respondeo esse per accidens, non per se: quia tunc humiditas est in materia viscosa magis, quã sit aer: quod autem verum sit hoc, aerem esse magis humidum, quàm aquam, patet. quid est humidum? secundum & Arist. & Galenum, est quod malè continetur termino proprio, & bene alieno. ergo illud quod peius continetur termino proprio est magis humidũ. fac incidere duas venas cephalicam, & communem, in quarum vna finge esse spiritus naturales, vel quoscunque vitales, vtri eorum citius euanescunt simul vtraque vena insecta? aer ergo est magis humidus. probo ex definitione ipsius humidi.

QVOD SI PERMVTARE, ATQVE AD MELIVS TRADVCERE STATVERIT &c. Duobus inquam modis causæ sex alterantes necessariò possunt applicari corporibus humanis; vno modo, vt

conseruent;alio modo,vt alterent,& reducant;& vtrumque istorum attinet ad salubria. Iam verò satis declaratum est,quomodo similia similibus conseruentur,& quod verum est hoc perpetuò sancitum esse. nũc iam reduci quomodo debeat corpus,docet, nempe semper per sua contraria in gradibus oppositis, vt si excessus est in corpore à calido per vnum gradum, oportet per frigidum aliquod in vno gradu reducere,siue per ea, quæ habent actualem frigiditatem, vt aer, & aqua frigida;siue ea, quæ infrigidant mediatè,vel calefaciunt mediatè,scilicet mediante calore naturali, & applicare ea in primo gradu, & non in altero secundum iudiciũ. Hic quęritur,an ab æquali in gradu proueniat actio? Galene tu dicis,quod oportet applicare æqualia in gradu opposito, propositio famosa est, ab æquali in gradu non prouenit actio; sed necesse est, vt sit proportio inæqualitatis, vbi agens, & patiens sunt opposita in gradu æquali, non prouenit actio: quia tantùm vnus gradus calefaciet, quantum vnus infrigidabit. Respondeo esse hic æquiuocationem in voce hac, actio; actio enim dupliciter, vno modo pro victoria agentis in passum, vt vincat hęc actio, non est medicatalis actio, necessariò præsupponit gradus

inæqua-

inæquales, inæqualitatémque in gradibus, quia alias non poteſt eſſe victoria. Alio modo actio non pro victoria, ſed actione, & reactione, quodam reſultante tertio, vt puta temperatura debita, quam quęrimus: & talis actio non tantùm, non requirit inæqualitatem in gradibus, ſed etiam neceſſariò requirit æqualitatem. nã ſi aquam feruentem, vt 4. & frigidam, vt 4. miſcuero, reſultabit tertium, quod eſt miſtum, vt puta tepidum. & ſi ſit inæqualitas, vt puta 3. gradus calidi, frigidi 4. non erit miſtum temperatum; erit enim miſtum tendens ad caliditatem vno gradu; & ſic quando dicitur, ab æquali in gradu nõ prouenit actio, verum eſt, actio victoriæ; non autem ea, ex qua reſultat tertium quoddã, vt puta temperatura. videtur autem, quod vtraq; actio præſupponat victoriam: nam ſi ex æqualibus in gradu quæro temperaturam, ſi temperatura debet reduci deperdita, neceſſariò & per omnes vires, intellectus aliter non poteſt fieri, niſi prius ponatur victoria: niſi enim calidum vincat frigidum in corpore, quod exceſſit à frigido per vnum, nunquam temperatura reducetur ad priorem ſtatũ agat, reagat, fiat actio, reactio, neceſſe eſt fieri incoctam prius, deinde temperaturam. nam ſine victoria fruſtrà quæris tem-

peraturam. hoc vnum est contra limitationem ipsorum. Dicendum est ergo, quod actio potest fieri & ab æquali in gradu, & ab inæquali in gradu: vbi enim est contrarietas, ibi potest esse actio. agunt enim 2. gradus caliditatis in 4. licet non vincant, sed ad habendam victoriam bene presupponitur inæqualitas graduum, vt dictum est. ad autoritatem Auerrois 4. phys. 71. dicitur quod ibi loquitur de motu locali, & non loquitur de motu alterationis qualitatum; bene vox est de motu locali hoc. nam si aliquis motor debet mouere aliquod mobile motu locali, ibi actio. i. motus localis si debet fieri, necessarium est, vt virtus sit in mouente maior respectu illius, quod debet moueri. Nam si æqualitas erit hic in virtute resistentis, nunquam sequetur actio. & si verum est, & est germana interpretatio, & limitatio propositionis Auerrois quarto phys. 71. vide si vis, sed verum est, & hic est soluta quæstio. In illa quæstione iam facta an similia similibus conseruentur, adduxeramus quædam signa in oppositum; quod similia non conseruentur similibus: inter alia hoc, quod senes cum sint frigidi, & sicci per se, & per accidens humidi. i. ratione excremētorum, quia malè digerunt, & humiditates in eis generantur multæ.

senes

senes igitur frigidi & sicci in hyeme, quę est frigida, & humida, peius habent; & in ęstate melius, cum sit calida & sicca. Iuuenes verò cum sint calidi & humidi, in hyeme melius habent frigida & humida, & in æstate calida & sicca peius: ergo similia non conseruantur similibus. non erit igitur perpetuò verum, quod iam cõcluseramus similia similibus conseruari, & curari contraria contrariis. Respondetur perpetuò verum esse, similia similibus conseruari; & ad obiecta sic dicitur: si hyems esset sic, & in eo gradu frigida, & sicca, sicut sunt senes; proculdubiò bene haberent; conseruarentur enim tanquam simili. ibi autẽ non est similitudo æqualis: nam excedit frigiditas hyemis frigiditatem senum, quæ senum frigiditas ab illa hyemis superata, facit eos malè concoquere, omnia membra infrigidat: & ob id peius habent. Summatim itaque sic responsum est per tria: primò est peccatũ per excessum qualitatum temporũ, vt puta hyemis, & æstatis; à temperaturis ætatum hominum. deinde per cõsequens, per improportionem ab eorum temperaturis ob excessum: & ideo dixi per consequens; tertiò ob digestiones malas, quæ fiunt à qualitatibus impedientibus eorum temperaturas extrinsecas. Declarãtur hęc: primum hye-

mis frigiditas excedit frigiditatem ſenis: æſtatis caliditas excedit caliditatem iuuenis,& eorum temperaturas. ſecundum, quia ex eo fit improportio graduū, qualitatum in vtroque: tertium ſenes impediti nimio frigore minus digerunt. calidum enim eſt mater digeſtionis; hinc generantur humiditates in corpore, phlegmata, melancholiæ, & aliquando etiā vermes: quia illi humores putreſiunt. quod ſi ſenex eſſet frigidus tēperatè, ſine aliquo exceſſu; ſic hyēs temperata, ſenex vtique melius haberet in hyeme, quàm in æſtate. Aeſtas verò licet non ſit ſimilis temperaturæ ſenum, tamen illis eſt amica magis, quia cùm ſit æſtas calida, & ſicca, illi ſunt frigidi & ſicci, caliditate æſtatis corroborantur eorum ventriculi, non ſic citò ſoluuntur; eorum corpora, nec laxantur; ſiccitas ſenū adiuta ab extrinſeca ſiccitate æſtatis deſiccat humores prauos, cōgregatos in hyeme, quos ob hyemis frigiditatem concoquere non poterant: & ſic non eſt, quod ſimile non conſeruetur à ſimili, quòd ſenes hyeme peius habeāt: ſed ratione exceſſus, & aliarum cauſarum iam dictarum. Iuuenes contrà calidi & ſicci reſpectu puerorum: quia reſpectu ſenū ſunt calidi & humidi. ad hoc probè intelligendum lege librum Gal. ſtatim in principio,

primo de sanitate tuenda. quis sit affectus ipsum senium, & quomodo in omnibus necessariò aduenit, etiam arboribus suo modo. sunt ergo calidi & sicci iuuenes. sunt similes ergo æstati in tẽperatura, hyeme habent melius. Dicitur quòd in æstate fit excessus in calido temporis, ob quem excessum improportio, ob quã corpora eorum laxantur, calor ille temperaturæ laxatur, & propter poros apertos etiam, quasi insensibiliter exhalatur per flatus pororum; hinc digestio impeditur. siccum etiam naturale cum temporis sicco exiccat humidum, & alimentale, & substantificum, naturale, radicale, in quo est vita, & ideo peius habent. hyemis verò tempore calor concentratur, sic melius digerunt. siccum naturale exiccat humiditates nociuas æstatis, & humores peccantes, & sic fit eorum fœlicior vita. patet ergo veritas dicti perpetua, quod simile à simili conseruatur. sed oportet semper quærere, & scrutari, quod penetratio fiat vsque ad interiora.

EST AVTEM VTRIVSQVE VICISSIM APVD MEDICOS VSVS NECESSARIVS &c. Infert ipse id, quod illi à quopiam obiici potuit, vt puta: Galene doces causas salubres posse applicari dupliciter, vno modo vt conseruent: alio

alio modo vt reducant, si iam corpus fuerit transmutatum, vt quod excesserit, posse aut cõseruari in illo statu inæqualitatis, in quo est, aut prorsus reduci. si potes reducere ad optimum statum, quare conseruamus in intemperie, quæ non est bona? Respondet Galenus, quod vtriusque modi vsus est medico necessarius: bene melius est reducere, quando potest reduci. indiget enim hæc res otio, vt sit liber ab animi affectibus. indiget longo tempore, rectóque vsu. illi autem, qui sunt, aut causis ciuilibus, aut etiam forensibus occupati, hoc facere ægrè possunt, & sic frustrà reducere tentaremus, imò magis, si volumus alterare, & reducere complexionem, conturbamus. ideo in occupatis non debemus tentare reductionem, sed in illis, qui minus sunt occupati. difficillimè enim essentialis aliqua intemperies reducitur. idem Galenus in sexto de tuenda sanitate. An autem possit reduci ab vna temperie ad aliam hic angustantur multi recentiores medici. Galenus enim sentit, & est dogma eius, quod cõplexio humana sit forma substantialis eius, per quam homo est illud, quod est: idem etiam dicit, quod Arist. quia dicis animam esse actum corporis organi cõpositi. nam cõplexio est vltimus actus. i. quę actuat, cõ

seruat salubritatem, & vitam in actu & illud est anima. si ergo complexio sit forma substantialis, quę est temperatura; si mutaretur talis complexio, quæ est forma principium indiuiduationis, mutata forma desinit esse illud, quod est, sed erit vnum aliud indiuiduum. quod tamen fieri non potest, vt vnus homo posit esse duo. ex alia parte tamen Galenus docet, & hic, & in Therapeutica, quod temperatura naturalis potest immutari ad optimum statum? Respondeo, quando dicimus, vtrum temperatura posit immutari? hæc propositio ex parte subiecti, temperatura, potest intelligi dupliciter; vno modo temperatura propriè pro ipsa forma substantiali actu secundo resultāte ex ipsa mistione primarum qualitatum; & ideo dicitur actus secūdus, quia præsupponit mistionem qualitatū primarū, pro illo essentiali indiuiduationis principio: sic nullo modo potest enunciari, nisi immutetur indiuiduum; alio modo non propriè, non actu secūdo, vt dictum est, sed pro mutatione qualitatum ipsius temperaturæ, vt excedētes in aliquo gradu, & temperantia reprimantur ab illa sua acrimonia: si per calidū excesserint, vt restinguantur, refrangantur occultentur, & ad debitam temperaturam reducantur per extinguen

guentia acumen ipsarum qualitatum contrariarum. hoc modo temperatura potest immutari, & reduci in melius. Tamen etiã dupliciter temperatura isto modo secundo accepta potest immutari, vno modo vt si recesserit à temperato ad sanitatẽ, per contrarias qualitates reducendo: alio modo, vt quis innatam temperiem qualitatum immutare voluerit, & qualitatum effectus, vt puta sit aliquis calidus & siccus gracilis est, volo ipsum carnosum efficere, volo humectare, vt vtatur somno nimio, vtatur humectantibus, modico exercitio, contrariis refregerantibus. nos non remouemus essentialem temperaturã, sed retundimus acrimoniam; acquiritur rarò vtique longo victu, tali quasi rarò temperaturæ calidæ & humidæ. si quis tamen hoc intermiserit, vel per paruum spatium, statim natura redibit ad pristinum statum: quia naturæ impetus est fortis. hoc innuit Gal. cum dicit ad meliorem habitum reducimus, non dicit temperaturam, dum infringuntur vires contrariarum qualitatum: tamen id natura semper ægrè fert; bene inclinari potest per pauca spatia, vt cum frigida damus. Respondes dari melancholicis electuaria pro gaudio, pro alacritate: calidis & humidis, quibus venus est obediens res castitatis, &

huiuſmodi. natura fert per tempora exigua hanc, ſicut ſcriptũ eſt, Naturam expellere furcam, tamen ipſa redibit. impetus enim naturæ fortis eſt. & ſicut aquis infecundis vel ventis aduerſantibus nauigares, parum ſi ceſſes remigare, ſtatim vides, quo impetu ſtatim contrariis vẽtis ab aquę impetu feratur nauis: hoc per experientiam videmus quotidie. hic etiam agricolæ quędam ſemina, radiceſque euellunt, & herbas; quia tamen natura in illo loco fert potius, quàm in alio, pręualet naturæ impetus; renaſcitur cicuta in frigidis, & humidis locis: conſeruatur enim à ſimili, & tranſportata in montuoſis ſiccis, & calidis aut exiccatur, aut multum recedit ab illa ſua vi lætali frigida. & ideo dicit Galenus, quod reducere naturam ad ſuum ſtatum debitum eſt difficile, cum ſic ſcripſerit, & violentare perpetuò effectus qualitatum primarum in corpore eſt durum ob vires naturarum, & impetus. diu enim oportet laborare in reducendo. ratio eſt.

NEQVE ENIM NATVRA PATITVR EAS, QVAE SVBITO FIVNT ALTERATIONES. Natura enim non patitur repentinas mutationes, natura non facit ſaltus, ſed procedit ordinatè. motus naturæ eſt in tempore, non autem

inſtanti.

instanti. Plato introducit in tertio de Rep. quendam infirmum pauperem, cui cum medicus præscriberet reductionem ad pristinam temperiem, diætis, cura, pharmacisque & hanc rem indigere tempore; respondet pauper sibi non esse par ob inopiam, suscepit & sanus factus est. sic sępe accidit in ægritudinibus longis, vt si volunt pati tẽpus, diminuitur. natura enim repentinas mutationes non patitur. Dubium contra Galenum. Dicis quod natura non patitur repentinas mutationes? cõtrà, crises sunt mutationes, & fiunt repentinæ; quia repentinus motus naturæ, & quasi instauratus ab infirmitate ad sanitatem. crises autẽ in morbis sunt quædam prognostica iudicia medicorum de quibusdam infirmitatibus; quod si tali die materia seipsam non iuuerit, tali die actum est de eo, qui morbo detentus est, vt Rasis libro quinto aphorismorum de verbis Hippocratis facit crises tales, iudicia, & adducit Hippocratem. Inquit, dicit Rasis, Hippocrates, cum in die sexta acutæ ægritudinis apostema magnum, vel liuidum post aurem, in decimoseptimo patiens morietur. item corporis dolor, & cordis tremor, cum quis à somno surgit repletionem humorum in corpore signat, & post signum prognosticum mortis su-

bitaneæ:ſi in febribus adurẽtibus quis ſitim nõ patiatur, & pedes eius frigidi extiterint, & oris habuerit amaritudinẽ intra dies 20. morietur. hæ ſunt criſes, & exempla Raſis loco iam dicto. ſi autem fuerit exemplum domeſticum, vt fit in locis, vbi caremus medicinis, pharmacis, damus repleto & maximè conſtipato læuiter lænientia, mouẽtia, ſoluentia, quemadmodum accidit tempore meo cuidã abbati ſiue abbatiſſæ, cui pruna recentibus tantum Damaſcenis medicus ob carentiam aliarum medicinarum fecit iudicium ſi hæc illi non proderint, non morietur vſque ad cras. nam prunis ſi operabuntur hodie, & nocte operabuntur, mane in eiulatu aſtantium, dum credebatur mori ſanata eſt, ſoluta nempe ſtatim. ergo &c. reſpondetur, quod criſes.i. illarum mutationum iudicia ſic in melius mutata, non ſunt repentinæ naturæ mutationes, expulſio eſt inſtantanea, & repentina; ſed ſolutio cum motu: paulatim.n. prima ſoluebant, & in tempore ſoluta ſtatim expellebat natura. hic etiam in purgationibus natura planè operatur paulatim; dum autẽ natura adiuta vi pharmacorum concoxit, & deiecit prauos in ſeceſſum, bonos in vſum tunc expulit &c. Quo pacto igitur & hoc ipſum primum cauſarum genus conſeruatiuum appel

appellamus? propediē ego certè cum multis hanc eandem habebam in animo dubitationem, quam nunc soluit: & est hæc? is liber est de medicinali arte conseruatiua, de causis sex conseruantibus corpus, & iam docuit quomodo? & nunc iam docet de alterativis; vt puta secūdum excessus graduum applicari gradus alios contrarios; & de reductione in priorē statum: videretur quod iam hæc est ars curatiua, quia per alterationem fiet, & conseruatio fit ex simili; & contraria non sunt similia. Respondeo, quod intentio nostra in istis omnibus alterationibus est conseruare sanitatem in genere, in vniuersali, in communi, in se, vt non est distincta contra aliquas ægritudines: nō enim hic loquimur de sanitate, quæ reducit hominem à febre ad non febrem, à caduco ad non caducum, à spasmo ad non spasmum, ab elephantia ad non elephantiam: sed de ea loquimur simpliciter velle reducere ad optimum statum. ideo dicitur conseruatiuum: licet bene sit per istas alterationes. curatiuum enim est in aliquo certo, & determinato gradu ægritudinis, vt dictum est, & non simpliciter ad debitam temperiem. sic iam omnia sunt clara.

QVECVNQVE IGITVR SIMILEM HABENT IN OMNIBVS CORPO-

RIS PARTIBVS INTEMPERIEM, EADEM EGENT PROCVRATIONE &c. Tertia capitis est ista, in qua nunc postquam docuit quomodo corpus aliquod ad optimum statum reduci debeat, docet, si vnum corpus & idem habeat affectus in diuersis membris diuersos, quod eget tale corpus dissimilibus remediis. posuit enim quendam ægrum in exemplum sic affectum. & est propriè exemplum ægritudinis reuerendi Francisci amicissimi mei, cuius ego cum excellentissimo Appellato curam egi, & scripsi in curam suam peculiarem libellum, suæ tantum ægritudinis curationum, quem habes alibi, status ægri est. hic dicit Galenus, habeat caput calidum, vel quod proximius habeat hepar calidum, vel siccum per excessum à temperatura, & ventriculum frigidum. hic duo sunt contrarii affectus, & erit cura difficilis. nam si volueris ventriculum calefacere, addes hepati calidum; si hepar infrigidare, addes ventriculo frigidum. hic aduertendum est summè, ne sit error: non semper nauigabitis secundis ventis: accident enim vobis etiam ægritudines magnæ, & difficiles. ideo bene est notandum, videbitis, quod ventriculus non retinet, & ea, quæ retinet ob sui frigiditatem non coquit, non digerit, non distribuit;

ſtribuit; augentur ideo humores groſsi; crebri vomitus, frequens nauſea ob illam multam pituitam ſuperabundantem. hepar nimis per receſſum calidum hic cura debet eſſe à contrariis: contraria enim curantur contrariis. Quidam dixerunt ex iunioribus medicis, in talibus caſibus vtendū eſſe medicinis temperatis; nempe adhibendum temperata, in quibus neque eſt aperta caliditas, neque eſt aperta frigiditas, quæ non perducat ad maiorem exceſſum ventriculum, & hepar in iam affectis qualitatibus. ſed ſtat primum, in quo gradu eſt exceſſus à temperatura debita. ſitné duobus? frigidus ventriculus, & hepar calidum in duobus; altero quando loquimur hic ſæpe de corpore temperato, tale corpus non datur; ſed nos ſtatuimus in arte tale corpus, vt in ſui proportione doceamus, & diſcamus ipſi cognoſcere lapſus graduum à debita temperie. & ſicut non damus corpus temperatum; ſic neque cibus dabitur temperatus, aut aliqua medicina temperata, quæ non excedat in aliqua qualitate ſuperante: ſed dicant ſuo modo, volunt iſti corpori lapſo ſic ſuccurrere, vt detur medicina temperata, & detur corpus temperatum. ego ab eis peto, illa medicina temperata reſpectu cuius corporis erit temperata? an re-

ſpectu corporis temperati in ſe, an reſpectu iſtius ægri, cuius corpus exceſsit in duobus tam calidi, quàm frigidi? ſi dicet reſpectu temperati, illud corpus conſeruabitur; quia temperatum reſpectu temperati, & ſimile conſeruatur à ſimili. nihil eſt auxiliatus ægro corpori per talem medicinam temperatam reſpectu corporis temperati, ſi dixiſti eſſe medicinam temperatam reſpectu corporis ægri, quid faciet in illo corpore? nihil prorſus efficiet. ratio ſtatim in promptu eſt; quia temperata, & nõ excedat gradu nec frigidi, nec calidi, quo pacto vis mederi illis? & ſi accipis, quia poſſet dici, accipiam ergo medicinam calidam in ſecundo gradu, & tunc calefaciam ventriculum, qui exceſsit in duobus; ſed hepar plus incalefacies, quia potes ægrum ducere ad mortem, quia cum iam peccet in duobus gradibus calidi, & tu duos addes; erunt quatuor calidi, hic iam eſt mors. nam eſt ægritudo furens, inſaniens, feruens, ſi accipies medicinam frigidam vt duo, vt refrigeres hepar, quod duobus gradibus viritur, tum addes duobus gradibus frigidi alios duos frigidi, qui ſimul ex mala affectione iam acquiſita in ventriculo ipſo: ſic iam eſt mors. Non damus vlteriores ipſi vitæ, & ſic ſunt vtrinque anguſtiæ ſi dicatur dabo frigidam medici-
nam

nam in vno gradu:addes malum ventriculo,& hepati nihil proderit quia ab inęquali in gradu fit bene actio,sed non fit illa actio victoriæ, sed ea, ex qua resultat tertium, quod est debita temperatura. & sic semper oportet aduertere, quia tales affectus sæpe accidunt, & maximè in calidis & humidis, quando recedunt qualitates à sua debita temperie. Nam natura ventriculi frigida est, & sic facile est stomachum ipsum inficere ad frigidum excessum, nisi bona sit conseruatio. Resolutio:semper est aduertēdum inter tales casus, quod est inter duo mala talia perniciosius, & quo durante augentur in corpore affectus periculosiores. Et videte ex frigiditate ventriculi, quod prouenit? pessima digestio,pessima concoctio,non retentio vomitus, humores putrescentes, qui postea corrumpunt sanguinem bonum,causant multa vicinioribus mēbris incommoda,multam pituitam, materiam biliosam, crebros vomitus,quandoque varios ex pituita biliosa,nimia,colica,& quid non? super autem omnia cibum non appetit,malè degerit, non concoquit, corpus minus nutritur, deficiente humido alimen tali natura vtitur humido substantifico, in quo est vita,quo deficiente vita deficiet; hac deficiente sequitur malus quidam effectus,
quem

quem nos mortem appellamus. Hæc sunt mala, quæ proueniebãt ab ipso frigido ventriculo. Vide autẽ modo mala, quæ proueniũt ab hepate calido in duob. per excessũ ab ipsa debita temperantia; quoniam isti affectus in talibus membris sumuntur ab indicatione corporis per operationes læsas; quantum scilicet ab illa sua continua, & assueta debita operatione discesserit. hepatis autem sicut vniuscuiusque alterius mẽbri læsionem, tribus maximè cognoscimus: primò ab actione vel corrupta, vel diminuta, vel ablata; secundò à qualitate mutata; tertiò ab exeunte mutato. Galenus in lib. de symptomatũ causis, & de differentiis morborũ; & actione: propria enim actio ipsius hepatis est generare sanguinem. Hæc actio læditur aut corruptionis ratione, & fit à calido cum materia, & calido sine materia; calido cum materia, si flaua bilis, vel sanguis currat ad hepar. ratione cuius fit inflãmatio, tunc hepar facit, id quod non debet facere, id est generabit vel bilem flauam, vel nigram: sine materia, vt nimium velox exercitium, vt motus inflammat hepar, & loco sanguinis, quod est suum officium, vt generet, generabit choleram: propterea quod recessit per siccũ ipsum hepar, quod est calidum & humidum, & generare debet

sanguinem, qui calidus est,& humidus generat choleram calidã & siccam. aut fit læsio operationum ex actione corrupta à frigido cum materia, vt per casum in ventriculo, qui est ex se frigidus: si sit nimia pituitosa materia, causat fumos, humores ascendentes versus caput, vt facit videre nauseas, cum non sint. est actio potentiæ visiuę læsa à corrupto frigido cum materia cruda in ventriculo, Secundò actio operationũ læditur ob virtutem diminutam, & fit à frigido cum materia, & sine materia remisso, & intenso, vt à frigido cum materia, vt si ob aliquem cibum frigidum diminuitur actio ventriculi, & læsio operationis, vt puta digestionis, ab actione diminuta per frigidum cum materia, si intensum, intensè; si remissum remissè. Actio læsa diminutè sine materia, vt si quis in loco nimium frigido multum, & diu deãbulauerit, erit actio læsa diminutè sine materia intensè, si verò non diu, remissè. Tertiò actio læditur ablatè, id est, per ablationem virtutis digestiuæ, & fit à frigidio sine materia, & cum materia intensè, eo modo sicut diminutè; sed si non addantur remedia, aufertur prorsus virtus, & concidit, & vincitur natura à frigido, & nihil prorsus concoquit, cum sit ablata virtus. Nam iam actione diminu-

ta, tametsi esset actio per diminutionem læsa, tamen vtique operabatur diminutè; quia diminuta illa actio erat ab illa priore illæsa in virtute operandi, concoquendi, &c. sic etiam hepar, si fuerit læsum per aliquam actionem istarum, aut corruptiuam, aut diminutiuã, aut ablatiuam, signa erunt iam scripta: si per ablatiuam prorsus non sanguificat. i. nihil sanguinis efficiet. Quomodo autem cognoscam hepar esse lęsum aliquo istorum modorũ, vel potius actiones hepatis esse læsas aliquo istorum, & quo singillatim? repete suprascripta, & scies. actio igitur membrorum læsorum sic cognoscitur quoad læsa, aut corrupta, aut diminuta, aut prorsus ablata est. Secundum principale, quo membra læduntur, & læsa cognoscuntur, & ex qualitate mutata ex primis qualitatibus, aut secundis: primis si hepar est læsum, statim ex qualitate digno scitur ea, quæ cadit sub sensum. quod attinet ad primas qualitates, vt puta hepar est calidum, & humidum in sua natura. reddit igitur corpus calidũ & humidũ temperatum, si nimiũ est calidum effectũ hepar per excessum, corpus nimiũ calefacit, quia corpus à sanguine calefit, qui ab hepate, quasi radice trahit originem. quãdo igitur videbitis corpus calidum plus solito, siccũ plus

solito,

ſolito,accipis indicationem à qualitate mutata in corpore,vt puta caliditate,& ſiccitate.ſic in vrinis quando excedit vrina in caliditate,colore quaſi aureo,plus ſolito,cognoſcis ex qualitate mutata læſam eſſe actionẽ hepatis:ſi alba,aquea ex frigiditate: ſic de ventriculi actione per qualitatẽ mutata.ſi verò velis ſumere à ſecundis qualitatibus cognitionem, indicationem, an ſint læſæ actiones hepatis? ſecundæ qualitates ſunt,quæ cadunt ſub quinq; ſenſibus,vt ſub viſu,auditu,guſtu,odoratu,tactu.colorem, vides hunc mutatum eſſe in colore, rubedinem amittere in facie,quæ erat immiſta albedini,cum rubedo ſit à ſanguine, ſanguis ab hepate.læſa eſt igitur actio hepatis:& per qualitates ſecundas cognoſcis hoc per tactum,ſi plus nimio calidum:per ſaporem,vt ſi in ventriculo fiat mala affectio,& euomitio fiat, quaſi acida, eſt ſignũ læſum eſſe ventriculum in actione per corruptionem, aut diminutionem &c.& hoc cognoſces per ſecundas qualitates:ſic ſapore.habet enim ſaporem ſubacidum, qui fit à frigiditate ventriculi.& ideo docuit Galenus in libris methodi, quando potiſſima ſigna ſunt operationum læſarum, color, & calor;tum etiã ſapor;quia omnes iſtæ circunſtantiæ tres, per quas cognoſcimus, di-

cuntur operationes secundarum qualitatũ. Tertiũ principale, per quod cognoscimus operationes læsas membrorum, sumitur ab exeunte mutato, vt excrementis mutatis, quæ sunt magis nigra solito. dices hepar esse plus æquo & solito calidũ si vrina magis aurea, sic sudores fœtentes à calore; mucores à naribus, & à palato sputa: ab oculis, lippitudines; ab auribus sordities. sic sicut, dictum est de vrinis, vrinæ fœtentes; & excrementa à calido, non fœtentes à frigido; aquæ, id est, vrinæ coloratæ à calido, nõ coloratæ à frigido: ad propositum redeundo, vidistis affectum operationum ipsius ventriculi frigidi. vidistis hepatis excedentis per calorem; quia ille vomit, non retinet: non retinet is, qui ex hepate tabuerat, generat choleram, attam bilem loco sanguinis. vides signa ab actione corrupta, diminuta, ablata. videtis ex qualitate mutata, atque etiam ab exeunte mutato, quod est periculosius; ventriculus frigidus est periculosior, ratio, quia nisi appetat, concoquat, digerat, vnde hepar generabit sanguinem? vnde erit optimum alimentum? prius igitur reparabis vẽtriculum frigidum. quo? talibus, quæ non transeant vsque ad regionem hepatis; quæ? nisi fuisset Galenus neq; hoc vnquam sciuissemus, sic sumus rudes nos; est diatriõ
peper

pepereon, quod ventriculum tantum calfacit, & non tranſit ad hepar. ratio eſt duplex; prima, quia in partes minutiſsimas (id eſt, propter eius tenuem, ſubtilémque materiæ ſubſtantiam) ſubſtantiæ contuſum, in cuius minimis partibus minimè reſtant piperis vires, & ſic citò exhalantur; ſecunda, quia cum ſunt in vẽtriculo, in quo neceſſe eſt eſſe pituitam, extinguitur facillimè illa vis eius in illis minimis partibus ſecluſa: & ſic non penetrat vſque ad regionem hepatis, quemadmodum penetrat zinziber: quia non ſic citò fit exhalatio ex eo propter maiorem partium inter ſe tenacitatem; & combinationem penetrat etiam vſque hepar, & ſic calefacit totum corpus. curato igitur & calefacto ventriculo per diatrion pipereon, quando videris operationes ventriculi eſſe iam reparatas ex debitis effectibus, refrigerabis hepar; & ſic reduces corpus ad debitam temperiem hoc modo. bene nota eas doctrinas; quia ſine eis difficile eſt rectam medendi rationem inuenire; alioqui erunt medici habentes vmbras artis, nunquam veram artem, vt autem iſtam diuiſionem facilius, & melius inuenias intellectam, ecce eam tibi ſtatim oculis diſtinctam ſubiicio.

Membra læsa cognoscuntur tripliciter

- ab actione læsa, quæ læditur tripliciter,
  - corruptè dupliciter
    - à calido cum materia, & sine materia.
    - à frigido cum materia.
  - Diminutè à frigido cũ materia, & sine materia remisso, & intenso.
  - Ablatè à frigido cum materia, & sine materia intenso.
- à qualitate mutata; quæ cognoscitur per primas, & secundas qualitates, quę cadunt sub sensum.
- Ab excunte mutato; vtputa omnis generis excrementis.

Nota

Nota etiam in hac diuisione vti iis voci bus aduerbialibus, quia sic ferè omnes vtun tur: & est ad memoriam multum commodum.

CAP. LXXXVII.

INSTRVMENTARIARVM AVTEM PARTIVM &c. Nota hoc, quod sequitur tantum ad sui intellectionem hac re egere, vt intelligas oleum quidem rosatum semper à sua forma, quantum durat forma sua, infrigidare secundum gradus determinatos formæ suæ. si verò applicatũ calido corpori, fueríntque plures gradus calidi, quàm frigidi in oleo, destruitur forma olei rosati. & introducitur tãtus color, quantus in illam materiam potuit introduci. item Gale. in secundo de simpli. medicamentis secundum Arabes dicit, oleum rosatum corpori calidiori applicatum magis refrigerare: & aliæ in hunc modum autoritates. pro vero intellectu huius nota certum esse, quod agens & passum sunt contraria. oportet ergo, vt sit actio, & reactio; quia sunt apta pati, & agere inuicem. quãdo ergo applicamus oleum rosatum corpori calidiori, habet maiorem cõtrarietatẽ, quàm cum esset applicatum corpori temperatè

calido,& cum apponitur oleum rosatum corpori calidiori feruenti,febricitanti,tunc quidem refrigerat illud breuissimo tempore;quia calor ille feruens ignifacit oleũ rosatum,& increscit ille calor;& fiunt deteriora nouissima prioribus.Hinc est,quod si quis sitiens sumpserit aquam frigidã parua quantitate, videatur quidem parum in principio refrigeratus,& nõ sitiet tantum, tamen statim inflammatur sitis,nisi in excessũ bibat;quod sit sic non solùm omnes practici recentes;sed etiam Gal.iubet oleũ rosatum applicatum corporibus sic incalefactis frequenter mutari,& semperuiuum, aut maius,aut minus super apostemate calido,vt sit semper,quod pugnet; alioqui calesit magis,& conuertitur in ignẽ ferè.nam ob maiorem contrarietatem calidi in corpore,quàm sit frigidum in rosis, victũ incalescit plus.verum est igitur oleum rosatum refrigerare corpora calefacta;sed iteratum. Gale.in tertio Methodi,vbi docet vulnera capitis,præcipit iterationem olei rosati, vt quasi caput immergatur.& in 7.Methodi, vbi curat febrem ardentem feruentem illam rabiosam,quando non potest præ siti quiescere,se per terram proiicit febricitãs; curare illum per aquam frigidissimam,sed dare illi tantam aquam bibendam vsque-

quo

quo vrit, vt non tantùm intumescat, sed vt cutis ferè appareat viridis ob multitudinẽ illius aquæ. idẽ Gal. in 3. de ratione victus in febribus acutis, cauendum est à paucitate aquæ frigidæ; quoniam bilescit in ventriculo, & vertitur in bilem; & ita frigidum respectu corporis temperati applicatum corpori calidiori magis inflammat, incendit. INSTRVMENTARIARVM AVTEM PARTIVM &c. in hoc toto tertio libro prius Galeni erat docere causas omnes alterãtes corpus nostrum, salubres, insalubres, & neutras: prius de salubribus, se locuturum proposuerat, eo quod & tempore, & natura, & dignitate causæ salubres insalubribus priores sint. Ideo iam docet causas salubres conseruantes corpus. sanitas autem tripliciter est, secundum tẽperaturam, compositionem, & continuitatem partium id est, non solutionem continui. egit hucusque de causis in genere. 6. id est, secundum temperaturam, modo aget prout sunt in ipsa compositione, quæ efficit partes instrumentales, vt in manu suarũ partium. si essent digiti sex, aut quatuor tantum, nõ esset bona compositio; si quod debet esse conuexum, concauum sit; vel contra. iam nõ est hic sanitas secundum compositionem in membris organicis. & in hoc capite seruat

hunc modum docendi, primo proponit, in quibus fit bona compositio. Bona compositio habet quatuor species: (nam complexio, compositio, & continui non solutio sunt quædam genera) prima est in plasmate debita formatio, secunda debita quantitas partium, tertia debitus numerus, quarta debitus situs partium, idem docet in fine primi de differẽtiis morborum ex professo, licet etiam sæpe alias. prima autem species, quæ est debita formatio, consistit in rectitudine, si non debita in vitio: tunc enim est vitium, si membrum, quod debebat esse rectum, fit indirectum, vt gibbositas. si ventriculus, qui debet esse cauus, non sit multum cauus, & quàm oporteat minus. hinc est, quod qui habent ventriculum minus cauum, fiunt stricti pectoris, aut renes cauitatum minores, aut si quis habeat cauitatem nimis aut angustam, aut largam. secunda, quando peccat corpus in quantitate membrorum Galen. dicit de Licomacho, de eius lingua, quæ crescebat in tantam quantitatem, vt semper teneret illam exesam. peccat in paruitate, vt non posit aliquis exercere munus, ob enim alicuius membri paruitaté, vt accidit in pede quandoque paruo vno, altero iusto, sícque oporteat vti ascitio, vt visi sunt. Tertia species in nu

in numero ſuarum partium, vt ſi digiti ſex; vel 7. vel 3. vel 4. hoc eſt vitium in numero. Quarta in ſitu, vt ſi iuncturæ nimis laxæ, vel ſtrictæ, vt impediatur motus: quod enim optimum eſt in iis mediocre eſt. demum dubium explicat: poſsit enim dici: Nonne Galene propoſuiſti de cauſis conſeruantibus hic agere? quare nunc agis de erroribus caſtigandis, qui fiunt in ipſa compoſitione? reſpondet ſe nō diſcedere à cauſis conſeruantibus, ſed quatuor ſunt conſideranda in latitudine ſanitatis ſecundum compoſitionem: primum quod conſideramus, eſt optima formatio, figura vt omnia ſint debitè proportionata, ita vt nō poſsint eſſe magis concinnæ partes: ſecundū quando ſanitas ſecundum compoſitionem declinat, ſed non adhuc multum: & dicitur ſalubritas vt nunc. Tertium quando ipſa ſanitas ſecundum compoſitionem multū iam receſsit, non ita tamen multū, vt membrum afficiatur, & ægrotet ſimpliciter, nec actu ægrotat. quartum quando compoſitio, formatio ipſa debita tantum declinauit ab optimo ſtatu, vt iam membra ægrotent, & non poſsint amplius exercere operationes ſuas. dicit igitur quando corpus diſceſsit primum. ſecundum, tertium, adhuc conſeruo; quando autem in quarto applicamus

hoc nomen curationis? Dubium, dicit Galenus quod ſunt quatuor gradus, vel ſicut diximus ſpecies in ipſa ſanitate ſecundum compoſitionē formatio in plaſmate, quantitate debita, ſitu debito, numeróque. hic poſtponit in latitudine ſanitatis quatuor conſideranda. primum optima figura, ſecundum, quando eſt ſalubritas vt nunc, declinat ſanitas ſecundum compoſitionem, ſed non adhuc multum; tertium quando iam membrũ receſsit, ſed non adhuc ægrotat, neque afficitur, quartum quando afficitur, vbi eſt neutrum, corpus neutro modo ſe habens. quia dixiſti in primo huius medicinam eſſe ſcientiam ſalubrium, inſalubrium & neutrorum, & ſic per omnem ferè curſum huius libri de corporibus in libro primo ſalubribus, inſalubribus, & neutris: in ſecundo de ſignis corporum ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum; nunc in tertio de cauſis conſeruantibus, & alterantibus corpora noſtra ſalubria, inſalubria, & neutra, nunc loqueris de ſanitate ſecundum compoſitionē? vbi eſt neutralitas? hoc corpus neutrum eſt mera chimæra, meræ nugæ: nũquam enim videbitis talia corpora; quia vbi eſt, quod nõ declinet aut ad hanc, aut ad illam partem, aut ſalubre, aut inſalubre: quemadmodum ego per gradus

pro

probabam non dari corpus neutrum similitudine sumpta à coloribus extremis albo, nigro, omnibus mediis reliquis: sit ruber medius, non dabitur color neuter, quia in quocunque gradu sit aut remoto, aut propinquo, aut erit albus, aut niger, magis & minus non variant speciem &c. habes alibi hoc scriptum, omnes alii non sunt locuti de isto corpore ferè præter Aerophilum, qui primum de tali corpore locutus est, deinde Galenus cum eo: Auicenna semper perplexè, forsitan est, forsitan non est, certum est esse merum inuentum, vtrunque sit, detur, aut non: soluetis vt cum Galenus egit de externis, dictum est de neutro.

QVAECVNQVE IGITVR PARTES IN FIGVRA DELINQVANT &c. Enumeratis his omnibus generibus speciebus, partibus, gradibus, nũc exequitur, quod erat pollicitus de figura, de formatione in plasmate. quę cunq; figura deliquerit, vitiata est in plasmate, in formatione: in tenello corpore corrigi potest, nõ autem cum ex infantia excesserit, vt in adulto. & nota dicit de his, quæ sunt citra insalubritatẽ ægritudinum, & contingunt à plasmate, & naturali errore. Quare dicis hoc? quia multæ figuræ corrumpuntur in quacunque ætate, & tamen

men corriguntur, vt spasmus torquens os, nasum, tamen ista in quacunque ætate corriguntur: ratio istius propositionis ex natura rei; quare figura dextra nata ex naturali errore potest reformari, & ad meliorē habitum traduci in puero, in adulto non itē? est quia vnaquæque mala figura, siue sit os tortum ex errore naturali, siue sit crus obliquum, caput acutum, vel citra debitam formam consueti capitis: est ob os, facies liberalis, honesta, deformis etiam ob os ex osse malè fabricato; crura torta, quia ossa ita se habent: non quod dicit Gale. ideo credo, & assentio; sed quia ratio sic se habet, & sic est ex natura rei. quare est? in 2. de tēperamentis 2. dicit, ꝙ sicut caseus coagulatus potest facilè reduci ad quamcunq; formam, quia leuis est cuicunque formæ cedens; sic est de esse pueri, qui adhuc tenellus est. sic quādo sunt crura torta vel intus, vel extrà facillimè sicut caseus, possunt in hanc, vel illam partē flecti nutricis diligentia aliter si excesserit ex tenero, frustrà quærimus correctionem. Nota etiam vim vocabulorum, hic blæsus dicitur non tantúm in lingua, sed etiam quocunq; membro, & cuiuscunque membri actiones sunt diminutæ, blęsum est. lingua si impedita, blæsa: propter illam enim tortuositatem citò, & facilè ingredi

gredi non poteſt, expeditus non eſt pes blę-
ſus, crura torta exterius, crura torta interius
vara, caliditatem hæc illa frigiditatem ſi-
gnificant. ideo hi vari fortes, illi imbecil-
les. obliqua autem ambo crura, quia non
recta ſunt. dicet modo quo artificio in te-
nellis pueris corrigitur figura errorum ex
plaſmatione; & docet in mollibus fieri poſ
ſe: ligantur enim, & paulatim contorquen-
tur ad ſuam debitam formam, vt crus, &
interponuntur quædam mollia, bombax,
lana mollis; paulatim obligantur ſicut etiã
in læſionibus faciunt chirurgi, qui manua-
riam artem exercent, trahendo ad partem
oppoſitam, dando aliam formam. tranſit
ad ſecundum vitium in cauitatibus præter
naturam matricis, vẽtriculi, inteſtinorum,
renum: dum augetur homo toto augmen-
to cauitates poſſunt augeri, vel minui. &
quia ab ipſo plaſmate in ſemine viri, &
mulieris ſecundum mentem Galeni dere-
linquuntur ſtatim quatuor illæ virtutes, al-
teratiua ſanguinis menſtrui in tanto, quan-
tum ad membrorum cõpoſitionem in tan-
tilla quantitate formatorũ augmento ſuf-
ficit, retentiua ſpiritus vitalis à prima illa
intelligentia, & natura viri particulari de-
relicta in ſemine, & materia ſeminis, & ſan-
guinis alterati; concoctiua menſtruorum:

ſe

ſegregat enim in illo ſanguine peius, & melius: expulſiua peioris humoris. tres tamen ſunt virtutes principales, quæ ſunt ibi neceſſariæ magis generatiua, remanet tantùm in vtero, augmentatiua remanet tantùm ad certum debitum determinatũ tempus. nunc præfigamus quaſi 28. annos nutritiua tantũ reſtat in hoc toto naturæ noſtræ vitæ tẽpore. hæc augmentatiua quandiu reſtat, poſſumus ſperare correctionem, aliter fruſtra ſperamus: quia deſinit virtus augmentatiua, reſtant bene eius duo inſtrumenta, calor primò innatus tanquam efficiens, ſecundo materia. i. ipſum alimẽtum, tanquam materia: ſed neque calor iam, neque materia aliquid efficient: quia virtus augmentatiua iam deſiit, & illa inſtrumenta ſine ea nihil poſſunt. omnis enim virtus otioſa eſt ſine propria materia, ſed calor ille, & alimentum ſi ſunt nutritur, quandiu anima, & ſpiritus ille (dicit Galenus alibi, ſi modo aliquis ſpiritus eſt) curat iſtã ſuam domum. i. corpus. iam habes, in quibus vitia poſſunt corrigi ea, quæ ſunt in cauitatibus: quia tantùm in his, qui ſunt adhuc habentes virtutem augmentatiuam, ſi inſtrumenta, calor, & alimenta vel augeãtur, vel detrahuntur cauitates ſi exiſtunt, augeãtur ſi paruæ ſunt, ſi magnæ, requirunt diminu-

tionem in calore, & diuertentia alimenti, mamillæ in puellis ſæpe augentur, & hæ augentur, ſi calor loci augetur. exercitio, motu, linimentis balneorũ calidorum, frictionibus, materia alimenti ad membrum attracta, & quando rebellis eſt materia, adhibet picem, & ex gummis calidioribus, vt ſunt ſpicæ aromaticæ, euphorbium, quæ facerent veſicas. ſed cum primum rubent, adimunt, fit attractio ſic ad locum alimenti ſi vis membrum diminuere, vt mamillas, teſtes viri, qui quandóq; exiſtunt ad nimiam quãtitatem, ſicut vidi in monte, verda, fratrem vnum per contraria omnia diminuere. augetur nimis, abſtrahimus cum rebus frigidis, ponimus exiccãtia, farinam lentium, hordeaceam, ne augeantur: ſic in teſtibus, & manibus, quæ augentur nimis, conſtrictiuis ad venas, defenſoriis ſuper membrum ligando ſtrictè. fit etiam precipuè in thorace ſtricto, vt retineatur ſpiritus, dilatat enim ſpiritus thoracem, aperit venas. ſed vbi deficit numerus in partibus, ſi orte ſunt ex ſemine, vel nunquam, vel vix reſtaurantur. ſi non ex ſemine, facilè reſtauratur deperditum. ex ſemine nunquam, vel rarò, ſed bene poſſunt regenerari, quæ ſupplent, vt pars oſsis deeſt, generatur callus quidam duriſsimus, oris both vocant Ara-

bes,

bes, qui supplet vicem ossis, sed non idem substantia. Noteris modo, Galenus supponit quædam esse membra spermatica, vt sunt membra solida, quia sunt virtutes in illis, vt sunt ossa, nerui, cartilagines, arterię, venæ. ibi enim sunt partes animales generatæ ex semine viri, & mulieris derelicto secundum Galenum, secundum Arist. sunt ex sanguine generatę: dissentiũt enim Galenus & Aristo. Aristoteles autem totum ferè oppositum, quia dicit, quod homo est animal per carnem, quod caro sit substantia hominis non ossa; ossa esse propter carnem, neruos etiam; & quod ista sunt vera hominis substantia. & addit, quod videmus multa animalia habere tantũ carnem, neque tamen ossa: animalia tamen sunt cochleæ, limaces. Arist. hæc in secũdo de partibus animalium cap. 8. quòd dicit, caro sola est ipsum animal: ratio, quia sensus est in carne. & ideo voluit molles carne aptos ad scientias, & ingeniosos dici, quasi etiam spiritus ille quadam temperie acquiescat ipsi corpori. caro igitur est animal, alia omnia vt ossa, nerui, arteriæ, cartilagines, venæ sunt propter carnem. Galenus contra; dicit quod non, sed os est factum ob sustentationem carnis est enim hæc massa in quamcunque partem diuertens sine osse,

nullam

nullam haberet formæ ſuæ rationem certam, nerui ad robur, ligamenta, vt caro ſit magis parata ad omnia. in hoc igitur eſt eorum differentia, quòd membra ſpermatica, apud Galenum generantur ex ſemine tantùm, habent initium ex eo tantùm: hoc modo. quando ſemen iniectum eſt ab ipſo viro in matricem mulieris, ibi ex ſemine viri, & ſemine mulieris fit vnum, ſtatim ex illo ſemine iam vno, quia vnito, generantur tria quædam, & apparent quædam tres minimæ particulæ, & non ex menſtruo, ſed ſemine, ſcilicet partes minimæ, membrorum hominis principalium cerebri, cordis, hepatis: & quia erat neceſſe, vt ſit quædam materia viſcoſa ad ea quaſi primum ſic leniter delinienda, & figuranda, ſemẽ ipſum virtus illa iam in eo exiſtens augmentatiua facit quædam filamenta, quod eſt futurum os. congelatur etiam tantùm à ſemine, & ex ſemine, & à caliditate eius in vtero, qui conſeruat, eſtque confuſa quædam maſſa animalis totum hoc ex ſemine. ibi eſt virtus generatiua, quia generauit omnia lineamenta membrorum ſpermaticorum, id eſt, omnium in corpore ſolidorum præter carnem, & adipem. eſt etiam, vt dictum eſt, attractiua, quia attrahit ſanguinẽ mulieris per orificia venarum, quæ termi-

nantur in matricem, & etiam eo augetur: hæc eſt mens Galeni, vt ſit fœtus quidam confuſus, animal quoddam confuſum in vtero mulieris generatum ex ſemine viri, & mulieris, lineamenta habens, prius tantùm ex ſemine omnia tam mẽbrorũ ſpermaticorum, quàm non ſpermaticorum, & quod poſtea virtute augmentatiua, & alteratiua augeatur ex menſtruo animal ad quandam debitam menſuram, & quantitatem. Ariſto. autem totum dicit oppoſitum ſicut audiuiſtis, imò docet, ſicut coagulum in lacte nihil eſt lactis, ſed tantùm coagulat, & facit concreſcere: ſic ſemen viri: quia negat ſemen mulieris, & tantùm ſicut coagulum membrorũ, habet virtutem attractiuam ſanguinis ad ſe menſtrui, tantũ vir informat, dat calorem tantùm, & virtutem formatiuam: augetur autem & prius generatur animal ex menſtruo.

Docebatur quomodo aliqua pars eſſet reparanda, ſi deficiat ſecundum modum, & ſtatũ ſanitatis in cõpoſitione: & dicit Gal. quaſdã partes corporis errore materiæ deprauatas facilè curari poſſe, ſi hæc curatio à iuuenili ipſa ætate, & admodũ tenera adhibeatur, ſi modo in excreſcẽte. nã dictum eſt, quod illa membra, quæ ſunt ex ſemine ſeminaria ſpermatica, aut nũquam, aut vix

poſſunt

poſſunt recuperari in firma ætate.quia etiã difficile,quia cũ cura,aut non:quia in ætate iam excreſcente id fieret. Naſcetur primũ dubiũ, an ſint mẽbra ſpermatica? quia eſt inter eos lis, Ariſt. inquã & Gal.clariſsima ſentẽtia eſt Ariſt.1.de generatione animalium 20. mulierẽ non emittere ſemen vllum.imò,dicit, fallũtur, qui credunt ſemen eſſe,quod album eſt,quod exit ex muliere.eſt enim purũ excremẽtum matricis, quod ob voluptatẽ in contractatione mutua expulſum eſt,& id cõfirmãs dicit,quia frigidæ,& albæ mulieres magis ex hac humiditate alba reiiciunt, quia earum excrementoſus eſt vterus. viragines verò fuſcæ, quæ latas habent venas,aut parũ,aut nihil: ſi ſemen eiiceretur magis ab his, quã aliis, eſſe dicit, vis videre illud , quod reiiciunt mulieres iſtæ ſemen ? Ariſt.lib.de generatione animaliũ, & quod ex illa humiditate nihil generatur, vide ſic. multæ mulieres concipiũt ſine emiſsione alicuius humiditatis,ſine voluptate,multæ etiam cũ multa emiſsione, & voluptate non concipiunt. quãdo eſt lis inter iſtos duos viros,maximè difficilè ſemper fuit veritatis vim ſolidam inuenire. Gale. autem ponit totum oppoſitum in libro de vſu partiũ, & alibi, quod etiam mulier emittit verum ſemen , & fit

vnum quoddam ex ſemine viri, & mulie-ris:ſemen tamen mulieris plus pręſtat materiæ,quàm viri:minus de principio agentis viri per contrariū. in ſemine enim ſunt duo:vnum quod habet principiū materiæ, & alterum vim habet efficientis. quod eſt materiale in ſemine mulierum, vnitur ſemini viri, & quod eſt efficienter efficienti, quod ſuperat ſemen,illi aſsimilatur fœtus, aut patri,aut matri.& adducit Gal.Nónne vides ô Ariſt molas fieri in vtero mulieris, ibi fit ex collectione ſeminis in matrice quædam maſſa carnis, & ſentitur moueri, non poteſt tamen effici fœtus ſine viri ſemine.bene verum eſt, quod mulieres magis paſsiuæ, quâm actiuæ: quia ſemen mulieris magis eſt materiale, quàm viri; quia eſt vltima perfectio in ſemine viri. Vtri magis accedendum? eſt præclare dictum à Rabbi quodam Moyſe hebræo in ſuorum aphoriſmorum libro.& Ioannes Dameſcenus idem dicit, quod quando eſt lis inter Ariſt.& Galenū fruſtrà quæris concordiā, non inuenies. vterq; enim mouetur rationibus, nos etiam hæc dimittemus. noſtra tamen quæſtio fuit talis ſecundum textum an ſint aliqua mēbra ſpermatica,& an læſa poſsint recuperari? Ariſto.enim dicit iſta membra ſpermatica non dari, genita ex

ſperma

ſpermate, ſeminaria; ponítque carnem eſſe totum animal. Galenus contrà, dicit carnem nihil eſſe, vile quoddam eſſe. quærebamus vtrum membra ſpermatica, nerui, arteriæ, cartilago, cutis, oſſa, venæ, quando ſunt inciſa, & ablata, poſsint reſtaurari, & an iſta ſunt generata ex ſemine, an tantùm ex ſanguine? dico quod eadem eſt difficultas in via Ariſto. & in via Galeni: vndique enim ſunt anguſtiæ. nam ſi Galene, vt dicis tu, iſta omnia generantur ex ſemine, videretur quod in toto tempore vitæ poſſunt regenerari, quando aliquod eſt abſciſſum: quia adeſt materia, ſanguis: adeſt agẽs idoneum, calor; qui ſemper perſeuerat; videmus hoc, non tantùm in animalibus imperfectis, vt lacerta, ſerpente, ſi abſcindas caudam regenerabitur, ſed etiam in plantis, abſcindo ramum, regeneratur: ſic cauda lacertæ, quia ibi adeſt calor, vt virtus eius: licet ibi non adſit ſemen, quia iam abſceſsit, tamen eſt calor à ſemine derelictus, qui ſeruauit principium regenerãdi. In via etiam Ariſto. contingunt anguſtiæ: nam quæram ab eo, quare membrum abſciſſum, vt puta vena, vel arteria non regeneratur, neque os, ſed quoddam proportionatum, vt callus? nam ponamus quod non ex ſemine hæc omnia generentur, ſed tan-

tùm ex ſanguine menſtruo, & ſemen viri tantùm eſt tanquam coagulum, quod nil eſt lactis, tantùm dat calorē, & principium generationis iſtis omnibus, ſanguis ſemper remanet, & melior quàm mēſtruus, ac purior: calor ſemper permanet vſque ad terminum. illa quidem virtus in calore, quæ ſufficit ad explendam tantam molem hominis, non ſufficit ad regenerationem eorum, quæ non regenerantur, vt prædicta. nec ſufficit ad confirmationem. eſt neceſſarium principium Ariſt. 12. meth. aliter nihil facimus, cum quo omnia facillimè ſoluũtur: docet enim ipſe eſſe cauſam quandā primam ſupremam illam intelligentiam, non errantem primam, vltimum finē omnium aliarum naturarum particularium, quæ habet miram gubernationem, quæ nō deficit in aliquo, nec abundat in ſuperfluis, reliquit in omnibus natura cōſtātibus rectum quendam numerum, ordinem, magnitudinem, quam etiam Galenus in primo lib. de vſu partium, opificē rerum appellat, ſic regit omnia ſuauiter, vt omnibus etiam plātis, & iis imperfectis animalibus miſtis, metallicis, vt vnicuique det quantum, & quando, & quandiu, nec vnquam præterit has ſuas diuinas voluntates, nec oportet quærere à ſua determinatione cur

semen viri generat virum, & non capram, cur semen porci porcum? cur equus habet formam talem, aut asinus, & nō aliam? ipsa enim prima causa, quæ est causa omnium orbium, & naturarum particulariū, voluit sic, ita pater, sic enim fuisse placitum creatori dicimus nos Christiani. ista modo vis naturæ decreta ab ipso primo agente seruans tantum, quantum habuit ab eo, hoc facit; nec præterit plus, vel minus. data est in semine triplex vis, quæ relinquitur in calore post generationē, generatiua, augmentatiua, nutritiua. istorum omnium sicut omnium natura constantiū, ordinatus est modus, terminus, magnitudo, figura, quando est terminus generatiuæ, cessat, & non amplius progreditur augmentatiua in termino suo, cum ad iustam molem deducat corpus, cessat; nutritiua cessat, sic nutritiua habet quendam suum terminum, quo aduenienté incipit fieri deterior, & incipit causare casum quendam, senectutem nos appellamus. cum autem iam omnino peruenit ad suum terminum, fit mors. generatiua igitur, quando adest, tantū adest, quantum oportet. sic aliæ vsque ad terminos, quos natura illis constituit. Sed contingit redire, an membra spermatica læsa vel abscissa posint regenerari? generatiua desinit, nec

quicquam poteſt, generabitur bene ſimile quoddam proportionatum, quia callus duriſsimus ex calore agente, & materia, ſanguine. ſed illa non eſt vera generatio. in pueris mẽbra ſpermatica laſa poſſunt corrigi, ſicut dictum eſt. dicis virtutem generatiuã deſiiſſe, quid de dẽtib. nos videmus dentes ante ſeptẽ annos pueris nõ creſcere; poſt ſeptem annos creſcere. & ſi cadant regenerari. imò in triginta annis, quibuſdam creſcunt dentes molares. Hugo Senenſis, qui fuit vir dignus fide, dicit ſe vidiſſe quendam Lauini, qui in octogeſimo anno ſuæ vitæ dentes regenerauit; vel natura in eo omnes dentes deciſos. Galenus videtur dicere ſeruari quoddam principium occultum, quandam eſſe relictam virtutem occultam in ipſa natura pro dentibus regenerandis. Alii dicunt quod ſunt materia carnis, ſed hoc non videtur verum, quia ſicut regeneratur caro ex gracili ſicco areſacto, fit pinguior: ſic regenerarentur dentes, ſi eſſent carneæ ſubſtantiæ. Dico, quod in iſtis mandibulis in tempore primi ortus ſunt quædã, veluti ſeminaria derelicta ad dentes generandos, & regenerandos, in loco proprio reducta per calorem naturalem deſtinata à natura magis, & minus, ſecundum diuerſas temperaturas, & prouidit tempore. puer enim naſci

nascitur sine dẽtibus : quia non posset commodè sugere lac ; offenderetque mamillas mulieris cum lactantis ; sed cum iam calor est confortatus in eo, vt posit solidiores cibos concoquere, tunc natura prodit, parturit in tempore opportuno : & hæc sunt etiã ab illa prima causa, & intelligentia suprema ordinata. Erat omissa quædam in bonis mentibus nata dubitatio circa dicta: dubitaret enim quispiam, quare in plantis, & animalibus inperfectis quibusdam natura prouidit, vt mẽbra seminaria regenerẽtur; videtur enim quod illa natura suprema, quam sic laudasti, habuerit maiorem curam in ipsis, quàm animalibus perfectis, vt homo est; ad quod cum peruenerit, natura quiescit. imò quantò stant perfectiora, tantum decrescunt in generatiua, & in speciebus infectioribus: alia habent virtutem generatiuam post fœtum. Dicitur quòd omnia inperfectiora diriguntur à Deo quadam benigna, & clemente promissione. in indiuiduis nostris humanis prænunciant futura, qui maximè stulti sunt, & Aristo. primo de somno, & vigilia, magis prospiciunt futura, quàm alii: quia eorum memoria, non est occupata circa præsentia; quantò quis abundat magis bono intellectu, tantò minus sensus accidere videmus in

illis, & qui tenentur aliqua forti imaginatione, vt etiam alloquentes se non sentiant, vocati non audiant, nec respondeant. totus enim homo est ibi tum, dum speculatur. sic natura miserta fuit animalium imperfectorum, deditque illis vim hanc regeneratiuam, quam non nobis. DEFICIENTES VERO PARTES. Vbi dicit propemodum est impossibile &c. dicit propemodum non absolutè, quia in libro prognosticorũ, & hic, & de semine dixit, quod possunt, quando sunt tenelli, aliter non possunt. NATVRAM IPSAM FACERE. in libro de constitutione artis, dicit etiam omnium istorum operum naturã esse operatricem; medicum tãtum esse ministrum. intelligo auté hanc rem sanè: etenim quandoque fit opposito modo; propterea quòd medicus principaliter operatur, & natura est ministra; aliquando natura principaliter operatur, & medicus est minister: aliquãdo verò medio modo se habent; dabo exẽplum. fractum est os; medicus corrigit ligamentis, lignis mollibus interpositis; & hic medicus est principalis operator: natura verò ministra est, quia per calorem continuat, alioquin autem nisi medicus adhibeat ligaturas, & alia huiusmodi necessaria, nunquam hoc membrum sanaretur. nunquam

quam enim repararetur, quod fractum est, aliquando natura principaliter agit: vt in vlceribus sordidis, quæ medicus mundificat, & exiccat, natura verò generat carnẽ principaliter: seruit autem naturæ medicus, nutriendo corpus commodis alimentis. medio modo se habent & medicus, & natura: quando ipsa natura simul cum medico operatur: exemplum, exhibeo aliquod pharmacum solutiuum, quod est instrumentum medici, euacuat subministrãte natura: nanque præparat vias natura. nunquam enim euacuaremus, nisi viæ essent apertę, hoc est opus naturæ: sic commiscentur simul opera naturæ, & medici: pharmacum tamen principaliter operatur. media autẽ ambo sunt, & medicus, & natura: ambo .n. subministrant. VBI IN NVMERO EST VITIVM. Dat documentum in quibus, & quãdo possumus auferre, & quando non: quando non possumus auferre, tunc trãsponere. & nos loquimur hic de iis, quę à primo statim ortu sunt, vt si sextus digitus in manu, aut caro quædam excrescens, & in istis sit transpositio. quæ sunt præter naturam, & à plasmate, nam si loqui volumus de transpositione eorum, quæ sunt præter naturam, & tamen non à plasmate, vt calculus in renibus transferatur in vesicam,

locum ampliorem per expulſionem. Item auferimus aquam, ſuffuſionem ſiue cataractam pelliculas ſuper pupillas obũbrãtes viſum; illum calculum tranſponimus: hãc auferimus. ſed quæ ſunt congenita, vt digitus ſextus, quomodo obſecro Galene tranſfertur? Non reſoluit etiam hanc rem Montanus, ſed relinquit ſic? SIC DE SITV &c. Eadem ratio, vt ſi laxitas iuncturæ calorem attrahit ob ligamenta humidiora, exercitiis frequentioribus, NEQVE DVBIVM ETIAM VIDETVR. ponit exemplum, ſi aliquis habeat ventriculum nimis paruum, peccat in quantitate, rotundum in forma incumbentem ſepto tranſuerſo, ſitu; frigidiorem, temperatura. hic ventriculus peccat in quatuor paruitate, & ita non poteſt comedere ad naturæ neceſsitatem; rotundus rotunditate ſphæræ aut pilæ; & ideo cõtingere, & premere diaphragma neceſſe eſt. Ideo tollit ipſe habitum ſpiritum peccãdo. FRIGIDIOREM IVSTO, IDEO NON CONCOQVENTEM Hic dicit non oportere quærere curationem: quomodo enim illam figuram deducit ad teretem figuram, & quaſi oualem, rotundam, & oblongam? notate, propria figura ventriculi eſt rotunda. quomodo dicit peccare, quia rotundus eſt? Ego ipſe ſic reſpon-

deo, quia rotunditas ventriculi debet esse rotunda, oblonga, vt ouum, vel quando rustici inflant pelles ouium, caprarum, ad conficiendos vtres, aut quiduis aliud. etsi videtur non comprimere diaphragma apud latus dextrum; sed vergere versus latus sinistrum, adhibent tamen curationem aliam, vt sæpe comedat bis, ter in die, & omnia assa, & tenuioris substantiæ; quia assatum diu tius permanet in ventriculo, vt natura habeat in quod agat, vt vtatur dięta attenuante; & hanc diætam docet Galenus in libro de attenuante diæta.

CAP. LXXXXVIII.

Dubium est, & proponitur statim, Galene nónne conseruabas? quare curas? responsio est, si tollis hoc, tollis omnia: ego loquor de illa solutione continui, quæ non tollit sanitatem, vt nō faciat actionem impeditam sensibilium: & ista est quæstio dialectica, quod Gale. primo de locis affectis docet, quæ sint istæ quæstiones dialecticæ: & dat regulam eorum, quæ docēt vos curare. quomodo sint conseruāda corpora, vtrum modo cutis incisio sit ægritudo? est quæstio dialectica, quia non docet curare, nec conseruare sanitatem corporis humani.

SALVBRES VERO CAVSAS &c.

per-

perſtat Galenus in ordine à principio ſibi propoſito, quia promiſit de omnibus cauſis ſalubribus agere, quæ afferunt ſanitatem corpori aut conſeruando, aut reparando. hactenus dixit de ſalubribus conſeruantibus, conſequenter dicit de ſalubribus, quæ afferunt ſanitatem, cum non adeſt. hactenus quæcunque docuit vtilia ſunt, ſed tamen hoc, quod ſequitur vtiliſsimum eſt: eſt enim de pane lucrando, paucique vocantur medici ad conſeruanda corpora, imò tum, cum valent homines, contẽnuntur. hæc igitur pars maximè ad artem attinet, & quæcũque Galenus diffuſiſſimè tractat per 14. libros therapeutices hic idẽ dicit in iſta parte huius libri de cauſis ſalubribus efficientibus ſanitatem. docturus autem quomodo applicentur, docet vnum, quod vbicunque debet medicus curationem aggredi, triplicem debet habere conſiderationem de ipſo morbo, vel quando futurus eſt, vel quando eſt in fieri, vel quando adeſt: in fieri autem morbum eſſe dicimus tum, cùm iam incipit, & dolet homo tum, cum fit: augetur adhuc circa intellectionem debitam. notate illud, quod ſepe dixi vobis, & non fruſtra locutus ſum, quod omnis humana actio ſecundum Ariſto. 6. ethicorum, quæ verſatur & in artibus, & in prudentia (qui ſunt duo habitus

habitus intellectus practici) rectè gubernatur potisſimũ certo fine propoſito: eo enim propoſito requirimus media debita, & idonea, quæ ad illum finem deducãt nos ipſos. Nos idipſum operabimur: proponemus finem primùm, poſteà diſtinctiſsima media inueniemus, quę nos illuc perducere poſsint vt non procedamus confuſè, ſed particulariter diſtinguamus ea, quæ particulariter ſunt agenda. in caſu noſtro proponimus curare morbos in vniuerſali: is finis eſt in hoc conceptu vniuerſali: habemus ea, quæ diſtinguunt morbum, vt morbus eſt, & ea ſunt, quæ diſtinguunt nobis fines tres: primum vt prohibeamus incumbentem, ſecundum vt curemus partim factum, partim eum, qui fluit, tertium vt factum tollamus. Et cum ſint tres fines particulares in morbo vniuerſali, tanquam ſpecies, conſiderati, tres etiam erunt diſtinctæ intentiones. Atque nos proponemus in his omnibus quædam capita in curatione ſummè neceſſaria: ſunt autem quinque conſideranda in omni ægro ſuſcipiendo, primùm oportet conſiderare tempora ortus morbi, vtrum ſit factus morbus, an futurus ſit, an partim ſit in fieri, partim iam ſit factus. nam ſi morbus eſt factus, eſt in ſtatu: alia ſunt remedia, quibus illi oportet ſuccurrere, ſi ſit:

alia; si etiam futurus est: alia & alia; & alias causas salubres reparantes, & curatiuas addere. secundum considerandum est, quod genus morbi sit: triplex enim est genus morbi in temperatura, compositione, & solutione continui. si in temperatura dupliciter, aut intemperies est essentialiter in toto corpore sine affluxu materię, vt sit febris hectica, quæ intemperies est tantum calida sine affluxu materiæ; aut in aliquo membro cum affluxu materiæ: si sic ista materia potest esse multiplex: aut enim cum affluxu materiæ certo aliquo nomine denominatæ: erit nãque aut pituita, aut sanguis, aut bilis, aut atra bilis; vel incerto nomine determinatæ, vt aliqua putredo detestabilis; quę absolutè est neutrũ, vt etiam fit in febribus pestilentialib. & cancris: neq; bilis neq; pituita; sed humor corruptus detestabilis ob putredinem. de his Gale. in libr. de differentiis morborum. tertium, in quo membro; an in toto habitu membri, vel parte membri: si in parte, an cerebro, corde, iuncturis, an in parte nobiliori, an ignobiliori? vbi enim in nobiliori detestabilis erit, vt si in cerebro pituita excedat, generat apoplexiam, ratione loci erit detestabilis, non materiæ; si materia putrida occupauerit manum, vt etiam carbunculus, licet in membro

bro non nobili, deteſtabilis tamen eſt ratione materiæ: moritur enim in 24. horis, niſi prouideatur. ſi verò materia deteſtabilis, & in loco nobili prorſus, eſt morbus deſperatus. quartum, an corpus ſit ſenis, an iuuenis bonæ, an malæ temperaturæ, validus homo naturaliter, an non? ſi ſit fortè imbecillis, ſi in ſene debili, non facilè curabitis. in iuuene, & forti facilius aliqua etiam quaſi correlariè conſideranda hic, an ſit diuitis, an auari: nam ob auaritiam quid fiet? quæ prorſus à vobis longè abeſſe debet: ſed quia difficilè medemur pauperi ob neceſsitates: mores etiam ægri perquirendi ſunt: aliquando enim ſunt effœminati, vt non audeant aſſumere medicinas, & nolint parere medico. Galenus in octauo therapeutices cap. 11. proponit duos eadem ægritudine laborantes, & in eodem tempore laborare incipientes: & tamē pauperem iam ſanum eſſe, dum adhuc morbus diuitis eſſet in fieri ob inobedientiam huius, quia non patiuntur diuiti dari omnia pharmaca. & ideo melius quandoque eſt, vt vos remoueatis à talibus viris, ad remouēdum etiam vos ab infamia. Quintum & vltimū quod conſiderandum eſſe ducimus, eſt tempus morbi, an ſit in principio, an augmento: an in ſtatu, an in fieri, an in declinatió-

ne?aliter enim occurretis morbo non concocto, qui est in fieri, aliter concocto, qui est in statu. primò igitur considerabitis de tempore, vt redeamus vnde digressi sumus, & vt res per exemplum sit clarior: incipiamus à pleuritide erunt nonnulli, & sunt, qui omni anno infestantur hoc malo certo, & statuto quasi tempore vel podagram timent, vel aliquem alium determinatũ morbum, ponamus exemplum in pleuritide, venit & quærit consilium ante morbũ quispiam à vobis, & dicit se timere omni anno: vult præseruari: quid facies? primò vides quòd tu habes morbum futurum tantum: oportet igitur te primùm considerare naturam morbi, quid est pleuritis? nihil enim aliud, quàm inflammatio, vel apostema, quod est in ipsa membrana tegente costas. cùm sit ibi, ergo ab influxu materiæ humoris ad locum: humor si non adhuc est fluxus prouidebis, ne fluat: remoueamus humorem, non fluet: item confortare membrum, ne fluat humor in eum locum, morbo igitur futuro sic obuenies euacuando humorem, qui subtilis est: quia membrana est membrum solidum non laxum. crassi humores non possunt illuc penetrare: & tales humores euacuabuntur per sanguinis missionem: iste timet pleuritidem futuram,

ram,quam venam minues,vel ex qua?sup ponatur pleuritis in latere dextro, præceptum Galeni,& Hippocratis est in secũdo de morbis acutis,quod fiat ab eodem latere minutio: nũquid in hoc casu morbi futuri seruãda est hæc lex? firmiter caueatis ab hac lege in hoc casu:quia si hoc feceritis,si non est adhuc pleuritis,fiet statim: non indigemus alio hic, nisi vt auertamus : quia morbus non est,nulla est hic pars morbi, nullum exordium apostematis, nulla pars adhuc facta.hic tantum oportet simpliciter facere euacuationẽ;quæ fit à parte longinqua per diametrum in longitudine val de remotam:vt si timet in latere dextro minuas in pede dextro saphenam eiusdem lateris:propterea quod nullam habet partẽ sui factam morbus.hæc est etiam doctrina Auicennæ,& aliorum Arabum etiam. sed quando fit pleuritis,iam est in parte, dolet in latere,& febris eum arripuit,est pars facta, pars augetur, fluit, continuatur morbus.duo hic videt medicus:duas igitur habebit intentiones operãdi.Nam videt iam esse pleuritidem,& fieri pleuritidem:curabit factam,& auertet eam,quæ fit.curet autem citò:non enim dat inducias iste morbus:non est hic dicere faciam:sed facere est necesse,prouidere ne fluat,& quod factum

est,vt citò remoueatur. Remedium igitur exhibendum est ad duo simul, missio sanguinis secundum etiam Hippocratem in secundo de ratione victus ab eodem latere secando venam communẽ:propterea quòd si per saphenam, vel latere opposito dicit Galenus vel nullum, vel tardum esset remedium. quia hic duobus indigemus auertere materiam,quæ est in fluxu, & factam euacuare:si per saphenam, non auertes:citius enim erit inflammatio, quàm remedium:si lateris oppositi,itidem tibi continget. oportet igitur locum proximum medium eligere,non cephalicam, sed mediã: & quod sit hæc mens Galeni,& Hippocratis,vt in morbo pleuresi,qui est in fieri,minuamus per mediam eiusdem lateris, docet quod debemus tantum minuere sanguinis vsque ad mutationem eius in colore: quia in apostemate est,putrefactus sanguis, qui primum fluit, est sanus:sed tantùm remittere,vt videas subnigrum, & crassum, vt appareat adustio. si autem iam sit facta pleuritis,factum est apostema, trãsiuit dies septimus, vel quartusdecimus:is enim est terminus in morbis acutis. non indigeamus aliis medicinis, nec sanguinis alia missione,nisi applicandis,quæ leniant,resoluant, concoquant,vt emplastrũ de cumino,cha-

mæmelo,anetho, & huiusmodi. & tamen hæc in principio fuissent venena, fuissent certè tanquam pestis:quia caliditate rarefecissent corpus, & reddidissent corpus aptum,& capax maiorum humorum, qui affluebant. vinum hic ratione pleuritidis conueniret:non est enim iam fluxus, sed dum in fieri erat,prohibe:nam vinum attrahit ad materiam fluxam alteram materiam sua penetrandi facultate:& sic moriuntur homines in exhibitione vini:quia est febris cum pleuritide, sæpe cauendum est à vino.vinum enim cum in aliis intrinsecis apostematibus perniciosum,tum maximè in pleuritide, dum est in fieri:idem podagricis:idem febrientibus nocet : dicit istos tres gradus morborum non aduertisse medicos priores.Hippocrates enim iecit semina veræ methodi:solus tamē Galenus posuit vltimam methodum, post quem nullus aliquid addidit neque Græci,neque Arabes quotquot sunt : fuit etenim homo in hac re diuini ingenii.

CAP. LXXXIX.

DEclarat nunc singula quædam ex illis quinque,& dicit vnum præcipuū vniuersale, à quo nascuntur omnia,contraria curari contrariis,& probat hoc à posteriori

per inductionem in quolibet genere morborum, in temperatura, compositione, & solutione continui: per rationem verò sic: omne, quod est temperatum, est contrarium intemperato: corpus sanum est temperatū, ægrum intemperatum: ergo corpus sanum ægro est contrarium. sed si nos volumus reducere ægrum ad temperatum, non possumus, nisi per mutationem; & motus omnis fit de vno contrario ad aliud contrarium. ergo &c. exēplum in aqua frigida, quæ per suum contrarium ad temperatū reducitur. postquam docuit contraria contrariis esse curanda, & dicit remouēdo vnum dubium dicens: aduerte quando dico contraria curari contrariis, quod talia contraria sint essentialiter talia, per se talia, & non accidentaliter. exemplum, aqua frigida applicata corpori iuuenis calefacit: & tamen ipsa est frigida: quomodo ergo calefacit? quia primum spiritus calidi retrocedūt ad intima, & ibi facti vniti fortiores exeunt, & illam etiam calefaciunt, deinde incalesit corpus; sed quomodo? Nam non per se calefacit aqua, neq; essentialiter, sed per falsam imaginationem in libris nostris. dicit Galenus de simplicibus medicamentis: atque in libro de facultatibus naturalibus tertio, quatuor esse conditiones necessariò requisitas

ad hoc,

ad hoc, vt aliquid sit tale essentialiter, & per se: & non actualiter, siue per falsam imaginationem. prima autem est, quod siue calefaciat, siue infrigidet, semper à principio vsque in finem hoc faciat, nam signum est, quòd calefacit simpliciter: sed quando primò infrigidat, pòst calefacit, non est idem motus, sed calefaciebat, vel infrigidabat accidentaliter, vt datum est exemplum de aqua, quæ frigida, accidentaliter calefaciebat. Si autem vis facere experimentum, an per se frigida infrigidet; vide iterando per tres horas; videbis idē semper à principio vsque in finem facere. nam ille calor extinguitur: ita etiam calidum tumori applicatum refrigerat per accidēs; quia facit resoluere partes calidiores, & fit euentatio, refrigeratur locus ob exhalationem; quia partes calidiores fumi retenti in tumore exhalātur. sed si perseuerabis, incalefaciet, & inflammabit soliditatem membrorū. piper in corpore humano calefaciet, & semper aliud, & aliud piper calefaciet. ergo essentialiter tale est, quia essentialiter calefacit. Secunda est, quando applicamus medicamentū, quod sit simpliciter tale, quale applicamus; vt coriandrum scrophulis applicatum resoluit; quomodo resoluit? coriandrum frigidū, scrophulæ frigidæ, debet in-

durare, non resoluere: quia coriandrũ habet mistas virtutes, & bene frigidũ: sed habet tamen partes calidas, & repellendo euacuat locum: item quod nõ sit alteratum, vt aqua alterata calefaciet; sed non sua qualitate, nõ per se, sed aliena qualitate, tali modo curamus. Tertia est conditio videre, an habeat rationem cibi, an medicinæ: quædã enim agunt secundum substantiam; quædam secundum qualitates tantum. quodcunque immutat tantum qualitates, medicina est: quod substantiam cibus: quia conuertitur in sanguinem, & carnem &c. vt lactuca primùm refrigerat, post calefacit: (victum enim frigus suum suffocatur à naturali calore) omne: quod calefacit, immutat substantiam: quæcunque autem immutant secundum qualitatem, aliquando refrigerant, aliquando calefaciunt. sic vinum refrigerat primo occursu, deinde calefacit, cũ vinum cibus est: sic maluaticum maximè siccum & calidum: & sic verum est dicere vinum est calidum & siccum: vinum est frigidum, & humidũ, & ea maximè, quæ sunt substãtia, colore, sapore aquea: & sic omnia vina possunt habere diuersam temperaturam, & diuersam temperaturam faciunt. ideo Plato, & Aristoteles prohibent pueris vinum, propterea quòd redundant sangui-

ne, &

ne,& ſunt humidi: ideo deb ſed vti potius aqua. Quartum an ſit tenuis ſubſtantia, an craſſa maco ipſo: ſæpe aliquis accipiet calamentum, quæ ſunt calida, accip troſelinum, quod non aduret, nec eſt calidum: tamen à petroſelino totus ſang calefit, igneſcit. item accipiet piper, qu eſt calidum verſus quartum gradum: calamentum accipiet, quod non eſt adeò calidum: & tamen à calamento ſentiet maximam caliditatem in mẽbris, à pipere non. item accipiet vitriolum, auripigmentum, quod vẽtriculum erodet, putrefaciet. piper in eodem loco nihil faciet: quia caliditas, licet ſit minor in vitriolo ſiue auripigmento, tamen eſt ſubſtantiæ craſsioris; piper tenuis, excaleſcit. Quãdo etiam volo in profundo refrigerare ſic procedo. Exẽplum, volo refrigerare pulmonẽ, ſi exhibebo vnã acerbam agreſtam, non refrigerabit: ſi oxymel, vbi acetum eſt, refrigerabit: tamen eſt vna acerba, ſiue omphacion, ſiue agreſta frigidior aceto. quod acetũ refrigeret, eſt propter penetrationem, propterea quòd ſtatim penetrat, & penetrando refrigerat.

Poſito axiomate vniuerſali, contraria curari contrariis; probato hoc ſuppoſito Gale. accedit ad id, quod intendebat. præſup-

de morbo,qui aut eſt factus,
ut eſt in fieri:quia ſi factus ſit,
dependeat ab aliqua cauſa,pro-
n erat in fieri, & iam eſt omnino
x ideſt nõ dependens à materia fluẽ
plius:& quoniam omnis mutatio di-
tur ad morbũ, morbus in facto, ſtatu
o eſt ſimplex:& intẽtio erit ſimplex:er-
go in morbo facto nullam aliam habebo
intentionem,niſi vt cõtraria applicem. eſt
vt video,morbus præter naturam:ego volo
reducere ad ſtatum naturæ, ipſam læſam
tẽperiem:& hæc applicatio tantum debet
vnum habere,quòd illa contraria ſint con-
traria per ſe,& nõ per accidens:neque ſecũ-
dum imaginationem,quemadmodum per
regulas paulò ante eſt declaratum. QVAE-
CVNQVE IGITVR &c. Ad morbũ,qui
fit,tranſit:non eſt ſimplex,ſed compoſitus,
quia ſi reſpicio adhuc materiam,quæ fluit,
adhuc dependet,partim factus eſt, partim
fit.hic ſunt duo morbi:ergo duæ intẽtiones
erũt,& duo media ad illos duos fines mor-
borũ duorũ,qui eſt in fieri,& in facto eſſe.
ad illud,quod factũ eſt?alteretur illud per
cõtraria,quæ ſunt per ſe:quia eſt in modo
facto ſimplici:ad illud,quod fit alia metho
dus:quæ eſt?videre cauſas morbi,qui fit:ha
bet enim cauſam faciẽtẽ,ſi fit enim,eſt cau

ſa.

ſa, quare fit: humores qui faciunt morbum auertimus. auertendo igitur cauſas, quæ ſi erunt externæ, ex illis neceſſariò alterantibus corpus noſtrum, facilis erit curatio. ſi autem internæ fuerint, erit cura difficilior, vt in humoribus, qui peccant in humano corpore, & illas cauſas vel externas vel internas potiſsimũ oportet methodo inquirere. docet porrò hoc diffusè Gal. in ſex libris de locis affectis; ſed præcipuè in ſecundo: atque in ſecũdo, & tertio, de cauſis ſymptomatum, & morborum. in Therapeutices octauo, nonóque & vndecimo, primum ab operationibus has cauſas inuenies, quæ vario modo læduntur ab iis cauſis, nõ tantùm redundantium humorum menſuram cognoſces, ſed etiam quinám ſunt. exemplum; incipiatis in operationibus animalibus, id eſt, ipſius animæ, ſi dominabuntur humores pituitoſi, ſi dominabũtur, immutabuntur: mutabũtur in eo imaginationes vegetæ, mutabitur in peius memoria, dormiet plus, quàm oportet, ſentiet grauitatẽ totius corporis, tamen ſine dolore. in ſenſibus exterioribus non erit ita acutus, motiones corporis tardę, ſenſus obtuſi, exiſtentia, vrinę albiores, craſsiores, magis ſpumoſæ, color corporis, habitus ſemiplenus, quidã tumor cum calore albicante. ſi bilis, primò

anima

animales virtutes in totum habebit contrarias illi pituitoſo: quia bilis calida eſt & ſicca, ſubtilis: pituita frigida & humida, craſſa. animales ergo actiones interiores redduntur acutiores ſeipſis, erit inquietus, indignabitur in omnibus, memorabitur magis; quia magis erit exiccata ſubſtantia cerebri, ſomnia habebit terribilia, videbit ignem, bella, volabit, litigabit, motiones celeres; ſed percipiet mordicationes cutis, color illi citrinus, egeſtiones putreſcũt, vrinæ ſubtiles lucidæ. ſi atra bilis, triſtabitur ſine cauſa, ſomnia turbulẽta timebit, ſomniabit eſſe in luto: ex quo ſe non poterit explicare facilè, inueniet oſtia clauſa, & feneſtras: item in quodam timore, color ad nigrum tendens, vrinæ vel liuidæ, vel ſubnigræ, egeſtiones nigriores. ſi ſanguis, corpus refectum, rubẽs, plenum, pulſus maximus, lætabitur præter rationem, ſine cauſa hilaris, ſentiet laſsitudinem lentoſam, grauitatem motus in muſculis, & iũcturis. iſtæ ſunt viæ ad cognoſcendã plenitudinem humorum, & etiam quoruncunque humorum in corpore humano redundantium; ſiue peccantium. ESTO ENIM &c. Do exemplum de febre, quæ partim eſt in fieri, partim facta: ſit febris, quę pendeat ab humoribus (quia eſt in fieri) putreſcentibus, ſi diceret

ceret ſic Galenus quatenus ad factum, opus eſt alteratione, id eſt, applicatione contrariorum per ſe; quatenus ad febrem, quæ eſt in fieri, opus eſt euacuatione: hæc non dicunt verba Gal. ſi dicerent, videretur perſtare Gale. in propoſito: quia dum dixit de morbo, qui eſt in fieri, docuit factum alterare contrariis: quod fit vacuando materiã, ne fluat: ſed non dicit ſic. ratio ſtatim eſt in promptu: quia derelinquit hoc, quod iam dixit bis, cum doceat, quid debeatur morbo facto, repetam ea dicta, & maximè hic in compendio. Quomodo igitur dicit? docet illum morbum, qui fit: quia propoſuit de febre exemplum, & in eo perſtat, dicit illi morbo, qui fit, debemus adhibere alterationem, id eſt, concoctionem: ſic eum hic oportet intelligere, ſicut ex verbis Gal. videbitur, deinde euacuatione. hic enim per alterationem intelligit illam alteratioñe, quæ alterat ipſum humorẽ. ex incõcocto facilè coctũ manẽte ſubſtãtia humoris fit. exemplum putreſcit humor pituitoſus, debentur ei duo, alteratio manente humoris ſubſtãtia, quę putredinẽ prohibeat; morbo debetur; atq; eidem morbo, qui eſt in fieri, eſt debita euacuatio. per alterationẽ intelligo hic cõcoctionem, per quam prohibeo putredinem humorum. ſenſus eſt pro iuniorib

nioribus,quod vbi morbus est, est intentio vna tantùm ad morbum : oportet etiam vt humor pituitosus putridus alteretur,id est, concoquatur , & fiat concoctio , per quam tollatur putredo, & aliud euacuatio causæ. Quomodo fiat autē ista euacuatio,& quomodo concoctio , quam iste hic alterationem vocat, & quæ viæ sint talis euacuationis, & quod in tali casu suo? iuniores medici confundunt seipsos in hoc nomine alteratio,& concoctio: parum nec vix rem apprehendentes. in humoribus putrescētibus tria notāt medici boni: vnum,alterant concoquēdo, vident humorum materiā nimis subtilē,timent multa pericula: quia ex illa tali subtilitate sæpe fit furiositas, vt grossentur per venas,fiunt apostemata.item per se ascendant ad caput, faciāt phrenesim.item mordicatione eorū causant sçuissima accidentia , & ideo volunt illos crassos facere, quando vident materiam humorum crassam esse viscosam,vel incidere abstergendo materiam humorum viscosam , diuellendo à membris : si enim humores erunt impacti membris , non possunt concoqui. primò igitur alterant humores cōcoquendo,subtiles crassos faciendo,deinde crassos subtiliando, tū viscosos incidendo, abstergendo , & istæ dicuntur præparationes ad

concoctionem ratione materię humorum. alia est præparatio ratione locorũ, in quibus est materia, & est aperire meatus cutis carnis: ex hac enim præparatur materia ad eductionem. concoctio modo distincta à pręparationibus illis, quomodo fit? eo modo, quo docuit vos Arist. in quarto meteororum. eo modo quo fit, etiam concoctio materialis: hęc enim fit quotiescunq; calor naturalis superat materiam subiectam, ita vt dirigat singula ad debitum finem separando excrementa ab alimentis, deducẽdo alimenta ad propria membra. ipsa putrefactio sequitur, quæ est contraria huic bonæ naturali operationi: ex qua cõcoctio fit, quando calor igneus supernaturalis nõ agit ad finẽ, vt distribuat, secernat, deducat: sed trahit humidum cum calore materiæ, & causat putredinem, humores putrescũt. hic igitur humores volumus alterare. i. concoquere dicit Gal. cum quibus? non cum illis tribus, subtilia crassa faciendo, crassa subtiliando, & viscosa abstergendo: sed extinguendo calorem ignem, & corroborando naturalem seu innatum calorem, non subtiliando crassos, ne furor subsequatur, & peior esset cõcoctio: quę, vt diximus, fit per quietem etiam: tamen si opus est adiunctis illis tribus, vtendum certè est. deinde materia

teria præparata ac concocta euacuanda. euacuatio quomodo fiet? Concocta medicari oportet,& mouere:nõ cruda dicit Hippocrates. sępe natura tollit vobis istud munus. nam quando humores sunt concocti, bene tunc fient crises. ideo tempore nostro rarissimas videmus crises, quia nunquam medici expectant concoctionem humorũ: sed post tres tantũ syrupos euacuant omissis illis tribus, & eorum consideratione, à quibus cauendum est. nam in his maius est periculum, quàm in morbo. ex tali enim subita euacuatione incõcocta faciunt morbos mutari in diuersas ægritudines. Absoluto autem tempore, quia post concoctionem dicit euacuandum humorem, vel humores peccãtes, quomodo, quibus viis? docet, clysteriis, narium fluxu, minutione sanguinis, per vrinæ prouocationem. si peccat sanguis, per sanguinis missionem: si ea vel aliquod eorum, quod nõ multũ distat à natura sanguinis per minutionem: si bilis per medicamẽta euacuãtia bilem: si pituita, pituitam: si intra concauũ hepatis per secessum: si materia in membro particulari, vt in pectore, per tussim, in capite per masticatoria &c. Aduertatis, hic Galenus notat ferè omnes euacuationes, quæ fiunt: illius autem, quæ fit per os, non meminit: non

pute

putetis eum esse oblitum contra omnem vsum recentiũ, quia præsupposuit febrem, & in omnibus febribus maximè debetis cauere à pharmacis solutiuis. docet Galen. in secũdo de ratione victus acutorum, potius ad missionem sanguinis, & clysteria quæ educunt sine molestia recurrẽdum priores nostri in febribus dabãt electuaria soluentia, nos verò sumus medici, non damus solutiua, sed lenitiua sic, cassiam, mãnam, tamarindos, ad maximum rheubarbarum. Auic. quandóq; seruat hoc, quandóq; non. in prima quarti dicit, curatio febrium est lenitio alui, & prouocatio vrinæ, non euacuatio: & satis esset, qui nesciunt aliud, quod sciãt hoc: quia cũ soluentib. aut interficiũt, aut inducũt ęgritudines detestabiles.

ATQVE EAM, QVAE FIT PER CVTEM TRANSPIRATIONEM &c. Transpiratio duplex est, sensibilis est per sudorem, sudor ipse vapor est, qui non percipitur, sed tamen euacuatur multus insensibiliter. AC PRETEREA PER EAM, QVAE FIT AD PARTES OPPOSITAS ATTRACTIONEM: ATQVE AD ALIAS PROPINQVAS DERIVATIONEM &c. Euacuatio enim dicitur tunc, cum à proprio loco affecto euacuamus, & ei apponamus scarificationes, fo-

menta resoluentia: deriuatio à loco propinquo, vt si esset in oculo aliqua inflammatio per applicationem hirudinum post aures, vel circiter eas deriuaremus: Diuersio ad partem maximè longinquam, auersio est: vt si manus inflatur sinistra, & fit inflatio, diuertimus, non deriuamus. neque euacuamus tãtùm: est enim iam, & est adhuc in fieri. NAM ET AD HOC IDEM GENVS PERTINET CITARE MENSTRVA, ATQVE VENARVM ORA APERIRE &c. Nunc ponit particularia instrumenta vacuãdi, vt puta hæmorrhoidas, menstrua, vt si sit in capite morbus, prouocantur hæmorrhoides in vtroque sexu, & fit auersio. sed si in vesica laboraret, vel in renibus, & applicarentur hirudines, vel fieret per hæmorrhoides deriuatio &c. Heri dictum est non licere per os dari pharmacum in casu, exempli gratia, præpositio, vt in febre. aduertendum est hoc non in qualibet febre esse obseruandum: nam si fuerit latica, quæ assimilatur hecticæ, offeratur in iis curatio per pharmaca: quia materia non est ita valida, vt non possit curari per pharmaca, sed tantũ hoc est aduertendum in acutis, & continuis febribus: quia illis etiam Galenus sic medebatur: non per pharmaca soluentia, sed lenien

lenientia tãtùm, aut sanguinis missionem. quare febres non soluimus? omnia namq; soluentia calida sunt, & sicca; febris autem est calida & sicca: exasperabis citius morbum, quàm medeberis illi, si soluentibus vtaris: iterum quia soluentia non possunt dari debito modo, quis scit dosim iustam, cum hæc pendeat ex graduum cognitione per excessum à temperie. eum autem gradum, cum etiã à Galeno ignoraretur, quis sciet? vel enim solués erit debilius, vel fortius: si debilius, non euacuabit totum, commouebit humores, aut præcipitabunt illi ad aliquod certum membrum infirmum, causabunt inflammationem interiorẽ, aliquod apostema: & tunc est mors: aut fortior erit: tunc virtus est iam debilitata, & non tantùm euacuabis malum, sed etiam bonum. post enim bilem flauam ipsam euacuabis pituitã, deinde atram bilem, postremò sanguinẽ, in quo vita consistit: quia calor est in ipso: sunt etiã fortes soluẽtes medicinæ, debilitãtq; venas meseraicas: hinc sunt dysenterię fluxus vẽtris, & patiẽtes incidunt in mortẽ. Euacuãtur materiæ, dum inuenimus qualitatem euacuãdi, quantitatem, & modum vsus. quomodo qualitatẽ? docet hoc in libris therapeutices, sed sparsim. qualitas igitur euacuationẽ quomodo

inuenietur? qualitatem hoc loco intelligit quale quid .i. essentiam, & formam operandi, quæ est forma hæc, si debeat fieri per missionem sanguinis erit missio sanguinis qualitas, & forma euacuandi. hæc autẽ euacuatio aut est in genere, aut in specie: in genere aut per sanguinis emissionem, aut per pharmaciam: si per emissionem sanguinis vide in qua specie emissionis, aut per venã, aut hæmorrhoidas, aut cucurbitulas, aut hirudines. si per pharmaciã vide per quam speciem pharmacię curãdum est hoc. nam si peccat pituita per excessum dentur pharmaca educentia pituitam: si bilis flaua, si atra tunc educantur, sin autem sanguis, redibis statim ad primum euacuandi genus, ad ipsam inquam, phlebotomiam: ex qua vena? si per venam, an per hæmorrhoidas, an cucurbitulas? hæc enim omnia sumuntur ab operatione: quia essentia morbi indicat nobis essentiam operandi, quale quid debeamus operari. in casu nostro habemus febrem ex putredine, quomodo medebor huic malo? humor est, qui putrescit vnus ex quatuor: ponatur sanguis, vel aliquis humor proximus naturæ sanguinis, vt flaua bilis, quæ supernatat, tunc per emissionem sanguinis est euacuatio futura: est humor qui non est sanguis, nec accedit etiam ad

naturam

naturam ipsius sanguinis pituita, quæ est frigida & humida: sanguis calidus & humidus: flaua bilis calida & sicca euacuandus humor pituitosus per pharmaciam: distinguo materiam morbi. postquam non est humor peccans, neque sanguis, neq; aliquis proximus ipsi sanguini vt pituita, & bilis atra; adhuc quære naturam morbi, & humoris peccantis causantis ipsum. si est pituita educenda est propriis pharmacis: si melancholia propriis etiam pharmacis. si autem sanguis: educendúsne per venas, an per cucurbitulas? hoc non nobis amplius essentia morbi indicat, sed natura ipsius corporis: nam si in puero, non per sanguinis missionem per venam: si debilis natura, mollis nō per sanguinis missionem, sed per cucurbitulas: nimis enim naturam debilitaretis. de quātitate modo euacuationis quid dicendum: multum enim refert parúmne, an multum euacuemus, quale quid facilè est ex essentia morbi, vt si morbus calidus, contrario: si frigidus, contrario. quantum autem euacues, difficilius. quantitas enim remediorum non iam amplius sumitur ab essentia morbi, quod est quale quid. i. febris quid quale calida & sicca: sed iam quantitas exhibēdi pharmacias mensuratur ab ipsa temperatura patiente, non

iam à natura moꝛbi,ſed à numero graduū; quos quis ſcit?non habemus gradus tempe raturarum, in quo gradu hoc corpus fuerit calidum & humidum, dum habuiſſet bonas, & perfectas operationes. quomodo cognoſcemus exceſſum ab illis, quantum habeat frigidi & ſicci? ſi per duo exceſsit,ſi per vnum, quantum frigidi, vel calidi: in his enim verſatur tota ars medica. eſt potius hoc donum dei,benedictio dei,donum Aeſculapii.aliter niſi iſta dona adſunt, nos ſumus medici,ſicuti baiuli,& fœminæ:ſcimus multa comparando noſtrum ad nihil ſcire:ad ſcire autem nihil ſcimus:falluntur enim curæ omnes in euentu,in iudicio.ſcio calidam & ſiccam temperaturam incidiſſe in febrem etiam calidam & ſiccam: metimur quot gradibus potuit is excedere per calidum, & ſiccum à ſua qualitate calida & ſicca; quot gradibus, aut in quo debet eſſe bilis,eſt pituita; bilis calida & ſicca; pituita frigida & humida magis eſt exceſſus in hoc. eo igitur modo menſuramus quantitatem remedii ab ipſa quantitate lapſus; hanc ſi quando non cognoſcas ſtatim opor tet ad quærendam eam, & inueſtigandam remediorum quantitatem ad ipſam naturam illius,in quo eſt exceſſus, recurrere, vt exceſſus eſt per quatuor gradus, volo euacuare

cuare per quatuor gradus: peto à virtute regina, si negat, dimitto tantum. alterū enim semper debes habere oculum ad morbum, alterum ad naturam, in qua est. fuit iam dictum de quali quid: quia semper curamus contrariis per quale in aliud quid: quia per frigidantia in non febrem. secundum de quanto, quod non amplius accipimus à natura morbi, sed ab ipsa temperie vt ferat. restat tertium, quod in euacuatione considerandum est, modus euacuandi. qui modus vtendi euacuatione complectitur tempus, vsque maximam occasionem; vnde sumemus occasiones eligendi tempora? in vniuersali hęc occasio sumitur à quatuor temporibus morbi. in principio morbi non euacuamus, sed concoquimus, augmento difficile, nisi partem concoctam, & dico de pharmacia: quia sanguinis misione non idem, est periculum, nisi sit bilis plurimum dominium, & humorum crassorum permistio cum sanguine à statu, & declinatione. item etiam debemus respicere naturam humorum peccantium in modo, id est tempore euacuationis. nam si sanguis in principio; si bilis etiam per sanguinis misionem: quia non ita spectat multam concoctionem si peccat tēperatura per pituitam, hic indiges multa præparatione, & maximè

triplici,incidere crassa,abstergere impacta intra panniculos ventriculi, conquere.i. separare, quod natura ipsa sola operatur, sicut in alimento dum discernit excrementa vtilia ab inutilibus, & etiam alimentum, quod facit tantum sola adiuta arte per instrumenta medicinalia; si bilis humor exuperans ad hanc concoquendã non tot indigemus præparationibus, nisi quòd eam faciamus,nõ ita crassam; Imò multi sunt,qui bilem arbitrati sunt non indigere præparatione medica,nisi tantum coctione.i.separatione naturæ tantũ.igitur à duobus sumitur tempus euacuandi, alterum à temporibus morborum quatuor; alterum ab ipsa natura humorũ.modus autem accidentalis exhibitionis pharmaci vnde est.i. an bolo, an potione, pillulísne? hoc sumendum est ab ipsa natura, & cõsuetudine ægri:abhorrent enim multi à pillulis: alii à potione, alii à bolo.item etiam hæc occasio sumitur à duobus situ,& formatione membri.

Habuistis superius quomodo morbi curandi sunt in temperaturis singulis,quando peccant, secundum diuersos excessus tam in temperatura,compositione, & solutione vnitatis,& quomodo curãtur, & quibus indicationibus, nunc tradit hoc in vniuersali, vt puta de temperatura calida, & adduxit exem

exemplum de febre, non quod voluerit hic curare febrem: tantum enim exemplũ dat. hoc autem docent alibi practicorum libri: neque enim nũc descendimus ad ea tractãda sed tamẽ radices damus, videlicet in vniuersali; qua habita semper facilè potius ad curanda particularia, procedetis: & docet ipse Gal. nunc aliud vltra id, quod de temperatura docuit, in temperatura verum esse perpetuò contraria curari contrariis, & iis per se, & simpliciter; non autẽ per accidens, & secundum imaginationem: tum quia triplex est sanitas temperaturæ, compositionis, & nõ solutionis vnitatis; sic erit triplex ægritudo, dictum est de tẽperatura aut totius fabricæ humani corporis, aut membri; docuit quomodo tota complexio alterata per alterationẽ reducatur; nunc docet, quod si sit in aliquo membro intemperies aut longinquo, aut propinquo quomodo curari debeat, & posit. multum enim refert, an membrum distemperaturm longinquum sit, an propinquum, an si paratum manibus attractari, an nõ: longinquum autem dicit, quod neque manibus tractatur, neque applicanda sic suscipit, vt eorum virtute non corroboretur sine aliquibus mediantibus membris, per quos transeat virtus curatiua, vt si fuerit in vesica morbus calidus, vel fri

gidus; & hoc docet attendi debere penes duo, situm membri, & formationem membri; situm penes longinquum, & remotum, aut propinquum: quod membrum non indigebit aliis mediantibus membris ad hoc, vt pharmacia operetur. hoc igitur situs erit, formatio autem membri, vt laxum, vel densum sit, vt caro laxa, membrana, neruus, an habeat foramina nécne, an sint nerui maiores, chordæ, quę sunt solidioris substātiæ. Incipit postea docere, quomodo medicamenta variantur ratione situs; & hic oportet aduertere, an sit membrū longinquum, an proximum eo modo, quo declaratum est; vt proximum non indigeat aliis intermediis, quorum beneficio pharmaca operentur. Et aliud, an medicinæ sint calidæ, frigidæ, humidæ, vel siccę. nam si calidæ tantum sunt medicinæ, & membrum propinquum oportet tantū augere caliditatem medicamenti; quantum cognoscis mēbrum esse remotū à sua naturali temperatura. si verò longinquum & remotum, aduerte hic medicina amittit virtutem suam in transitu. & ideo oportet coniectare, quātum amittit virtutis in transeundo ad membrū longinquum, tantum addere pharmaci, vt illud, quod itinere consumptum est, sarciatur, & sequatur operatio. nam si penitus

eius

eiusdem gradus des pharmacum ad membrum longinquum, nihil facies:& hoc tantum vnum respicimus in medicina calida: in frigida autem,humida,ſicca, & hoc etiã respicimus,& aliud,vt medicina ſit ſubſtantiæ ſubtilis.

SI ENIM CRASSA SIT, NON POTERIT AD PROFVNDA PENETRARE: AT POTIVS PRAESTABIT &c. Calidæ verò non indigent hac conſideratione,ſintné ſubſtantiæ tenuis,an craſſæ; ſed tantum illæ, vt ſint plures gradus,quàm morbi ad partes longinquas. Notetis,Galenus duo ſuppoſuit,quod quęcunque medicina,dum actuatur à calore innato per alterationem actuatur; & hæc eſt in contrariis, in quali alteratione neceſſe eſt fieri alterationem, & reactionem. idem probat, & docet in tertio de temperamentis. his ſuppoſitis neceſſe eſt, ex iſta pugna aliquid reſolui viriũ in ipſo pharmaco, vt tantum addatur de viribus, quantum potes coniecturare poſſe perire in itinere. ſecũdo ſupponit,quod calor habeat vires aperiendi, nec indigeat ſubſtantia tenui, qua penetret: quoniam calida medicina omnis non indiget penetrantibus;quia ipſa ſua virtute aperit, facit ſibi tranſitum. ſed de illis tribus pharmaco frigido, humido, & ſicco vult,

vult, quod ſint in ſubſtantia tenui nõ craſſa; aliter non erit penetratio: quia non habent calorem aperiendi. Hic erunt duæ difficultates in verbis Galeni, heus Galene dicis, quod in medicina calida non indigemus hoc reſpectu; ſitné craſſa, an tenuis materia? cõtra te dicis; dicis de abſinthio, aloe, & reliquis addens, cauendum eſſe ab exhibitione pharmacorũ calidorũ, quæ ſunt ſubſtantiæ craſſæ terreæ: quia tarde penetrant; imò dicis de abſinthio dato ſuperius, quod nõ penetrat, ſed potius cõſtringit applicatũ exterius, aloe ſtringit, aloe cõſolidat vlcera, quia non penetrat, ſed conſtipat. propter ſubtilitatem ſubſtantiæ piper, cinnamomum, eiuſmodi aperiunt. A SITV QVIDEM LOCI &c. Notate, hic Galenus dicit à ſitu membri ſumpta relatione medicinam calidam non expedire, an ſit craſſæ an tenuis ſubſtantiæ? hic non capit medicinam calidam à formatione. ratio autem in promptu eſt, quare à ſitu ſumpta relatione non expedit, an ſit ſubſtantiæ tenuis vel craſſæ; nam aperire eſt remouere aliquid, quod claudit; ſi nos volumus aperire oppilationem ob humores claudentes, facimus hoc calidis. quibus? in ſubſtantia craſſa. ratio, quia ſi in ſubtili, perforabunt tanquam acus. nec aperient. ſi autem calidum

sit in substantia crassa, est calidum obtusum, non acutũ, penetrat, sed non tam citò, maturè, attenuat, subtiliat, habet permanentiam diuturniorem, habet firmã actionem, fortemque. ideo ad maiorem apertionem interius sumptam indigemus pharmacis potius in substantia crassà, quàm subtiliori; quia hæc perforabunt tantum, non aperient, non intrabunt cum toto exercitu, nõ repugnant, quicquid adoriũtur. nam caliditas, quæ fundatur in substantia tenui, vt piperis est sicut ignis paleæ. bene igitur dicit Galenus ad instantiam de absinthio, aloe, quòd stringit exterius, interius aperit. ratio, quia absinthium est calidum in potentia, idem etiam aloe, & omnes medicinæ calidæ requirũt calorem naturalem actuantem eas: quando exterius applicatur inuenit meatus cutis strictos, quos non potest penetrare; sed exhibitũ interius, primò inuenit calorem naturalẽ actuãtem ipsam: item vias latas, venas, arterias, vbi causat vtrunque, & ratione viarum latarum penetrat etiam cum substantia crassa: exterius verò meatus cutis strictos, calorem non ita potentem: ideo sic soluitur instantia. Secunda difficultas Galene de te, tu dicis medicinas calidas ad longinquum interius exhibendas, exhiberi debere in maiori gradu, quàm

quàm sit excessus ob vim, quæ amittitur in itinere ex illa perpetua actione, & reactione, in qua semper in illa pugna deperditur aliquid, & dicis hoc in longinquis, vt vesica, pulmone, quæ sunt remota à ventriculo; vt si per duos vesica excessit per frigidum, accipit gradus tres calidi: vides verò, antequam aliquid adiumenti conferamus vesicę, prorsus interficiamus virum, iecur excalfaciendo, excoquemus renes, miserũ illic illius hominis hepar: addis ignẽ igni; sequetur inflammatio, sequetur mors. Notetis, quod fuerũt inuentæ cõpositiones medicamentorum, vt membris in tali transitu, & talibus casibus succurramus, & earũ artificium in remedia est bonum, & recta compositio. vt autem res sit exemplo clarior, est casus hic vt multa etiam occurrunt est vesica frigida, vt duo, vis eam calfacere, vt tria: ob virtutem, quæ amittitur in itinere ideo, vt ne comburas alia membra, per quæ fit transitus, addis duo frigida, deinde addis ea, quæ sunt substantiæ crassioris frigida; calor naturalis superabit illud, quod confert ab eo, quod non; frigida infrigidabunt, id est temperabũt à calore nimio illa membra, renes, iecur &c. crassioris substantiæ, quia non citò penetrabunt, sed permanebunt, quodam modo refrigerabunt

bunt.segregabit autem natura, & deferet, distribuet caloré pharmaci, sicut facit in alimento, vbi eo opus est in vesica infrigidata. si à situ solo membri sumatur indicatio, sic tantum aduertendo operabimini, an longinquo, an proximo? sumpta autem indicatione à formatione mébri, alias operationes habebimus. nam ea noceret, vbi iuuare volueritis: si enim hoc ipsum feceris, peius facies, vbi voluisti iuuare. Galenus hîc dicit pauca, vbi debebat declarare omnia; quia si sumpta indicatione à situ .i. longinquitate membri oportet esse calidũ crassæ substantiæ: aliter enim nõ impetrabit. à formatione verò sumpta medicina calida crassa substantiæ nocebit. exemplum à formatione ventriculi: is est substantiæ membranosæ ex duabus membranis solidis compactus sine foraminib⁹ solidus satis. supponatis in eo taliter formato esse intra duas tunicas plurimam materiam pituitosam, ratione cuius non bene concoquit, nec bene contineat, sumpta indicatione à formatione, & situ simul non longinqua est, intra duas tunicas, in profundo ventriculi; nec habet illud membrum alios meatus, per quos possit transire pharmacũ: propè est enim: tũcque exhibemus calida subtilis substantiæ; quia si admoueatis crassæ, nocebitis: con-

stipabit

ſtipabit enim meatus paruos, faciet magis rebellem materiam ad excernendum. Galenus docuit vbicunq; eſt intra tunicas ventriculi materia craſſa pituitoſa, vt caueatis ab aloë, & abſinthio, quia nocebunt. ratio eſt, quia cum calor eorum fundatur in ſubſtantia craſſa, non penetrabit, aſtringet: ſed hiera dãda; ſunt enim in ea compoſita, quæ faciunt penetrare. habet quidem aloe, ſed additum cinnamomum, quod eſt ſubtiliſſimum, vt idẽ Galenus docuit in cap. de cinnamomo. habet aſarum, crocum. hiera non fuit inuenta à Gale. ſed ab Andromacho. & illæ Arabum conſectiones, vt Amech, diuinæ ferè. Noſtri autem temporis medici multa imponunt innumera, & qui ſunt magis indocti, ii magis falluntur in componẽdis pharmacis: ſobriè iis prouidendum eſt.

Dicet aliquis veſtrum, docéſne quomodo accipiamus indicationem à ſitu, & formatione: hæc duo vos oportet reſpicere intenſionem gradus, & ſubtilitatem ſubſtantiæ. quid faciemus in frigidis? quæ etiamſi habent ſubtilem ſubſtantiam, tamen non habent caliditatem, qua penetrent, quomodo penetrabunt? duo notanda ſunt, vt penetrẽt & ipſa actiuitate ſua, & ſubtilitate: frigiditas enim eſt de genere etiam actiuorum. igitur penetrabit actiuitate, & ſubtilitate. ſecundũ

obiici

obiicitur ad primum dictum,& quæsitum, quomodo penetrabunt?patresnostri in istis stupefacientibus,dum ea faciunt, quæ debent penetrare vsque ad cor & cerebrum; primum sensorium,vel sit neruus, vel aliquid proportionatum neruo, arte facta indicatione à situ,& formatione;& quia indigebat longo itinere,vti penetraret loca etiã angusta,addiderunt calida,vt est philoniũ, quod in se habet plura calida, & intensione,& extensione:quàm frigida:quia calida faciunt penetrationem:illa verò stupefaciunt,& auferunt sensum.oritur difficultas: dicis in philonio plures esse medicinas calidas & extẽsiuè,& intensiuè, quàm frigidas: actio victoriæ cum proueniat ab inæqualitate graduum,quomodo philonium stupefaciet?stupefacere enim est diminuere sensus,& auferre, quando inuadit cor:vt vincat,inducit aut syncopen,aut mortem,si ibi illum calorem vincit.itaque cauendum est in somniferis, & naturæ temperaturarum metiendæ sunt.si inuadit cerebrum, inducit somnum,& inuadit vtrunque. quomodo igitur ab inæquali sit actio victoriæ?dicendum est ratione diuersitatis substantiæ subtilis,& crassæ,quæ citò exhalat,& dimittit vim.calida quippe resoluũtur,remanétque tãtum frigiditas,quæ stupefacit. Idcir-

co si detis alicui vnum tantum granū opij, & centum grana piperis, adhuc opium operabitur tantum, quantum est in sua forma vsque ad totam virtutis consumationem: nec etiam vllo pacto piper, vel caliditas impediet frigiditatem ipsius opij: ídque ratione substantiæ crassæ terreæ, & virtutis fundatæ in ea, & piperis subtilitate. Gale. dedit nobis, & multis maximam occasionem dubitandi, & errandi, vt qui rectè non senserit: sed homines aliquādo ob difficultatem rei, aliquando etiam ob debilitatem intellectus sunt prorsus defraudati. Galenus duo dicit, vt rectè assequamur, quòd futurum est: primū quod est perpetuò verum, aliud quod non est ita consonū rationi, & in hoc illi Auerroes contrariatur: & adducuntur in contrarium experientiæ, & rationes. primùm igitur dicit omnes siue medicinas, siue cibos esse tales in potentia, non actu: prout scilicet actuātur à calore innato: neque enim piper actu calefacit, dum extra corpus est: neque alimentum actu nutrit, dum extra corpus est: & hoc negari nō potest: verum est enim aliud dicere, quod siue sit cibus, siue medicina: quando applicantur, deducuntur ad actum maiorem, vel minorem secundum similitudinem, vel dissimilitudinem temperaturam eius, qui recipit

pit alimentum, vel medicinam: & alimenti, vel medicinæ. & docet quomodo cibi optimè conuertuntur in ſubſtantiam noſtram: quando habent ſimilitudinem inter ſe ſuarum temperaturarum, & fit immutatio cibi à tota ſubſtantia id eſt, omnẽ cibi ſubſtantiam natura tranſmutat in alimentum. & ideo cum ſint diuerſæ temperaturæ ſpecierum inter ſe, qui cibus eſt ſimilis magis alieni animãtis, eo veſcitur, & nutritur. ſi diſsimilis aut medicina, aut venenũ: medicina ſi applicatur opium corpori humano iuueni forti incalefacto, erit ſi dabitur in debita doſi medicina: ſin ſeni imbecillium virium venenum, mors: quandoquidem idem numero poteſt eſſe medicina, & venenum ſecundum debitam doſin. & ſuppoſita in temperaturis ætate, viribus diuerſificata, & addit probare Galen. idem, quod aliquod fit nutrimentum alicui ſecundum magis, & minus: prout ſunt maiores, vel minores ſimilitudine temperaturæ inter ſe, & quia ſunt diuerſæ temperaturæ diuerſorum animalium, diuerſa vtuntur diuerſis cibis: quæ aliqua nutriũt, aliquibus ſunt venena. helleborus turdis cibus, homini ſano venenum: cicuta nobis, & anſerculis, & animantibus quibuſdam venenum: cibus coturnicibus, ferrum cibus ſtruthiis, quemad-

modum Patauii visum est apud præfectum ciuitatis:& sic Gale. probat rem suam. Pro veritate indaganda supponẽdum est, quod Galen. docet ex verbis suis excerpendum: ex eo maximè libro, quem inscribit: quòd animi mores corporis temperaturam consequantur, dari complexiones siue temperaturas duas: vnam, quæ est forma substantialis tota illa quiditas, & natura rei resultans ex mistione, à qua proueniunt operationes: quarum formarum substantialium vltimas differentias ignoramus: differentiæ enim earum sunt nobis ignotæ: aliam complexionem eam dicit, quæ nõ erit iam substantialis: sed complexio denominata ab aliquo prædominante, vt à calido calida, à frigido frigida, ab humido humida, à sicco sicca, pro qualitate aliqua resultante: sic in earum complicatione, & tales qualitates vincunt in corpore nostro: vt si calor naturalis vincit cicutam in corpore febricitante facit medicinam cicutam: si qualitas illa nostra caliditas non vincit, facit cicutam venenum: hoc Gale. vult. Ex hac sententia Gale. similitudo temperaturarũ inter se est causa nutrimenti. Auerroes sic instat. ergo ægro homini tantum esset exhibẽda humana caro, quæ caro humana tantum esset cibus humano corpori: est tamen

durissimæ concoctionis, quod probatũ est experientia: vt sunt carnes suillæ, cum qua habent maximam conuenientiam, indiget calore multo ad concoquendum, multo labore ad digerendum ad loca debita &c. Itẽ quot sunt animantia, quæ maximè distant à temperatura hominis, qui est mediũ temperie in omni animantium genere: & tamen maximè nutriunt: vt gallina, quam conuenientiam habet cum homine sicco, & calido? & tamen est illi maximum nutrimentum, atque etiã calido & humido quid conuenientiæ habent perdices, phasiani calidi & siccissimi: tamen homini calido & humido: frigido item & humido sunt magno nutriméto. sunt etiam plantæ, quæ nutriunt, vt lactuca. est aliud igitur Galene, & profundius inquirédum, quàm similitudo temperaturæ inter se, quæ faciat ad nutrimentum. & sic ego Galene, de cibis tibi non assentiens contradico. quòd autem dixisti in vtroque tam cibo, quàm medicina esse similitudiné téperaturarum causa maioris, & minoris nutrimenti, iam tibi de cibis manifestè, vt arbitror, monstratum est, aliter se habere: transeamus nunc ad medicinas, dicis medicinam calidam Galene actuari à calore innato, quoniam agat in eam, quia tunc cum habet in se naturam

propriam:medicina calida calidam,ille ca lor cum sit etiam maior calore innato excitatur,& inflammatur ab innato,& ita intensius operatur.excitatur enim calor ille, qui sequitur temperaturam pharmaci, qui erat maior humani corporis calore.hic tua res agitur?est hæc res tuæ doctrinæ consona:quia hæc talis medicina agit excitata à calore innato,cum & ipsa calida sit, secundum similitudinem temperaturæ, secundo modo acceptæ pro qualitate excedente, vt puta calida.tu euadis hinc?quid medicina frigida?tu videbis durum esse. Accipe,& persta in his principiis Galene, qui medicina quæuis(nam iam cibos absoluimus)agit secundum magis,& minus,quantum est similitudinis,vel dissimilitudinis inter temperaturas recipientes eam medicinam, & medicinas ipsas.sit corpus calidum per excessum,cui exhibeo medicinam frigidam, quæ est hic similitudo temperaturæ secũdo modo acceptæ,& prædominantis qualitatis?nulla sanè:corpus enim excalefactum, medicina est frigida.Ergo medicina quæuis non aget secundum magis,& minus in aliqua temperatura ob similitudinem temperaturæ:sed secundum quidpiam aliud. Nam si tantum secundum similitudinem, tu hic per exemplum propositum exhibes

corpori calido,& supercalefacto medicinã frigidam,hic fiet actio & reactio,si propter maiorem actionem calidi in frigidam fiat victoria,ergo nõ erit frigida.hoc fuit exẽplum vniuersale in doctrina:descendas ad particularia.oleum rosatum,& zuccharum rosatum frigidum est in primo gradu:sta in tuis principiis Galene:medicina magis, vel minus operatur in aliquo secundum maiorem,vel minorem similitudinem inter temperaturam recipiẽtem,& ipsam receptam:oleum rosatum,& zuccharum rosatum frigidum,si applicatur corpori frigido,nõ tantùm finaliter illud nõ refrigerat, sed si incalefacto, & calidissimo corpori exhibeatur, maximè refrigerat. verum est Gal.vides hic non esse similitudinem temperaturarũ, vt temperaturam accipio pro qualitate excedente aliqua, quia oleum est frigidum,corpus datum est calidum.si medicina ageret secundũ similitudinem temperaturarum,oleum rosatum frigidum corpus infrigidaret:cum tamen totum sit oppositum ; quia maximè calefacit ; hoc est exemplum secundum.tertium de lactuca, quæ est frigida in primo gradu,tantum applicata corpori calefacit plus,licet prius videbatur refrigerare; tamen secundum tua principia Gal.debebat infrigidare. nã la-

ctuca frigida est,& corpus temperatum etiam temperatè frigidum debebat sequi cōplexiones suas à prædominio. Aueroes, qui vellet contra Gal.procedere, assumpsit ea,quæ possunt,& quæ non possunt demonstrari;& per Gale.confutat Gale.doces tu Gal.duabus potissimum rebus veritatem reperiri experientia.& ratione;& bene doces:nam quæ possunt ratione ostendi,ostenduntur:quæ auté sola experientia,hac contenti sumus. quædam enim sunt, quæ non patiūtur rationem,vt quare scammonium solam bilem educat?magnes attrahat ferrum?sic,vt ad institutum reuertamur,actio nutrimenti,vnde magis proueniat in alio maior, & minor in alio? Vis videre?ita; sit circulus quidam in speciebus, sicut datur principium,& finis in ignotis nobis speciebus, quæ sunt tanquam numeri, tamen omnium specierum sunt quædā formæ substantiales, vltimæque earum differentiæ, quarum quædam inter se conueniunt,quędam differunt,quædam cōtrariantur,scorpio homini vt sputum huius sit venenum illi,& contrà : lupus odit ouem, & contra: non est ratione similitudinis,aut temperaturæ,sed quia formæ substantiales sunt sibi inuicem infensæ, & illæ formæ sunt non qualitates primæ,neq; secundæ, sed formæ
subſtan

ſubſtantiales, quæ conſequuntur miſtionem. omnes porrò operationes proueniũt ab ipſa forma, non tantùm hominis, ſed omnibus miſtis, quæ quandiu eſt in eo, tandiu operatur præut habet vim, & proprietatem operãdi: & ſic ſpecies ob formas ſubſtantiales cernunt ſe, & alliciunt pellem lupi, & ouiũ, quæ ouis depilatur, quaſi quod adhuc habet quendam timorem; quandiu erit aliquid de ea reſtat bellũ, eius belli non dico eſſe cauſam, Galene, calidum humidum, frigidum, ſiccum, ſicut neque in medicina, neque cibis, ſed propter formam ſubſtantialem, & vltimam eius differentiam, quia eſt aliquid tale. quid eſt illud tale? id à nobis quærendum non eſt: nam non eſt ob ſimilitudinẽ, quòd cibus ſit homini calido humido phaſianus calidus & ſiccus, tamen maximum nutrimentum eſt. ſus autem calida & humida, homini calido & ſicco eſt nutrimentum, licet duræ digeſtionis, & det nutrimentum pituitoſum, atque indigeamus plurimo calore ad diſtribuendũ, & concoquendum talẽ cibum.

CAP. XC.

IN SIMILARIBVS VERO NON SEMPER, Docuit Galenus, ſi excedit corpus in tẽperatura, quomodo curari de-

beat.& à quo ſumantur indicationes: aliter enim à morbo, qui fit, aliter ab eo qui futurus eſt, & aliter ab eo, qui factus eſt, vt ſuprà dictum eſt per exemplum de pleuritide, reſtat modò dicere de morbis tam in temperatura, & ſolutione continui, quàm de morbo in compoſitione: nam iſta duo prima morbus in temperatura, & ſolutione continui ſunt ſimplices morbi in propria natura, quatenus tales ſunt: ſed in compoſitione nunquam talis eſt ſimplex, niſi illi admiſceantur illa duo priora. morbus autem ſimplex prior eſt compoſito. porrò ſi ſumus locuturi de ſolutione continui; incipiemus ab illa, quæ facilius curatur; & eſt ſolutio continui in carne, eſt ſimpliciſsimũ vulnus, facillimúmque curatu, niſi ſit vlcus cõpoſitum, vt puta cum ſorditie, inflãmatione, eroſione, & id genus impedientibus; tunc iam ſolutio hoc modo non eſſet ſimplex: iam enim illi eſſet annexa mala temperatura. curamus igitur nunc vulnera in carne ſimplicia: aliter enim in oſſe curabimus hanc ſolutionem continui, neruis, arteriis, chordis, & mẽbranis. Gal. acturus de illis præſupponit quædam eſſe opera naturæ, quædã medici: naturæ duo; vnũ, quòd vbicunq; eſt facta ſolutio continui in carne, & natura cõglutinat

nat partes ſeparatas; alterum opus naturæ præter vnionẽ facere cicatricẽ, glutinare, & vnire, quæ differunt tanquã perfectũ ab imperfecto. glutinare enim perfectius eſt. quàm vnire. cũ quibus autẽ hoc fiat, & quomodo videbitis. medici autẽ quid faciunt, vel vnus quid facit in vulnere carnis. quãdo eſt factũ vulnus latũ, labia ſunt diuulſa, maxima eſt rerũ inter ſe diſtantia? ex hac ſolutione naſcuntur quatuor intẽtiones neceſſariæ in tali curatione; primum eſt hoc, labia diuulſa approximare, eò ꝙ maximè ſimilis eſt naturæ id eſt, inęqualiter ſumpta ſimilitudine à natura rei in tali mẽbro; ſitus enim partiũ diuulſus debitè debet vniri. ſecundum, quod permaneant vnita: parum eſt enim vnire, niſi permaneant:

Nec minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri.

Tertium, prouidere, ne inter coniuncta intercidat aliquod medium impediens illam veram vnionem extrinſecus, vt pilus, ſordes: nunquam enim natura faciet perfectam conſolidationem partium. quartum, vt conſeruetis ſubſtantiam mẽbri id eſt, tẽperaturam: ſic enim ille nominat, aliter vulnus fieret maius, non tantũ non conſolidaretur. Quantum ad primum, labia ſunt diuulſa, Gal. ſpernit modũ docẽdi; eſt enim

faci

facilis, vt vniantur cum manus facilitate, sed docuit secundum, conseruare; quod fit per tria, ligaturam, suturā, & fibulam: qui enim bene ligat, habet dimidium totius in tota curatione: ex ea etenim mala fiūt dolores, inflammationes, prohibitio puris, malæque figuræ. Quomodo debet fieri? secundum diuersitatem membrorū diuersè: hæc etiam notare debēt medici, qui debēt præesse chirurgis, si ipsi volunt operari; Hip. & Gal. tali parti medicinę operam dederunt, quod patet ex eorum anatome scripta. fibula dicitur quoties procedimus agglutinantibus, vt charta Pergamena bitumine illita, quæ tenet cōglutinatas partes: & ideo talia apposita vocamus fibulas, quia tenent partes diuulsas, vt fibulæ, emplastris apponendis debitis cauere decet; ne apponantur humida vnguenta; quia Galenus non vult aliquid humidi. hinc videmus, qui medentur cum pannis siccis, & mūdatis citius sanant: quia tenent vulnus mundissimū, emplastrantia igitur debent esse ita cocta vnguenta, vt nihil prorsus sentiatur humidi, & quodāmodo induruerint; olea nō sentiatur, nec manus inquinent; quod non diffluant: molliáque alia ad sanandū non sunt bona. sanamus enim hic vulnus simplicissimum, quod nō sit repletum sordibus: alia

etenim esset curandi indicatio sumpta à sordibus: nam abstersiuis cum melle rosato. dixit autem quod vnire partem parti, est opus naturæ, quod ex natura rei desumitur. vnitur enim membrum membro cum eo humore, qui dicebatur gluten, in prima primi & prima quarti Auicēna posuit quatuor humores, rorem, nomen non habens, candium, gluten. gluten igitur is humor vltimus, qui demandatur à natura ad nutriendum illud membrum, factum ex alimento quidē, sed peruenit ad tantam concoctionem, vt actu efficiatur pars membri: postquam deuenit ad perfectissimam concoctionem. In eo, quod sequitur tempore, vidistis, quatuor intensiones, quæ attinebant ad medicum in sanando vulnere simplici, vidistis in tertia intētione de medio, ne aliquod intercidat in illud prohibens veram vnionem: quod potest fieri dupliciter vel ab eo, quod extrinsecus, vt sordes, sanies: vel ab eo quod intercidit intrinsecus, vt humor aliquis. per deriuationem, suffluxionē, defluxúmq; auertētes: aut incisione prope & erit deriuatio ipsius membri, aut remouemus ea, quæ fluxū materiæ remorantur: vt si quando paruū vulnus dilatamus, vt effluat materia. cōseruat etiam similia similibus, vt dictum est, vt caro est

soluta

ſoluta, caro humana in latitudine tota ſua, reſpectu' aliorum membrorũ eſt calida & humida: immediatè enim fit ex ſanguine, qui eſt calidus & humidus. ſi autem vulnus fuerit cõpoſitum cũ his, vt inflãmatio, ſordes, dolor, erunt plures intẽtiones curandi. ſed de morbis cõplicatis agemus inferius. notate, non eſt idẽ dicere vulnus, & vlcus: vulnus enim eſt ſola inciſio carnis: vlcus eſt etiam in carne, ſed cũ aliqua mala cõpoſitione, ſorditie, corroſione, vel inflãmatione. differunt igitur tanquã ſimplex, & compoſitum. diuerſæ aũt fracturæ habebũt diuerſa nomina: carnis ſolutio vulnus, & vlcus, vt dictum eſt, ſi per malã temperaturã, ſi in neruis dicitur ſpaſma Græcis, Latinis vulſio. Et notetis etiã non eſt idem dicere ſpaſmus, & ſpaſma, ſpaſmus enim eſt accidens, & eſt motus inuoluntarius muſculorum propter vel humiditatẽ, vel ſiccitatem nerui, & eſt nomen accidẽtis, vel ſymptomatis, ſpaſma eſt nomen ægritudinis, ſolutionis continui in neruo: vtrunque eſt in neruo, ſed diuerſa ratione. In ligamento & chorda dicitur apoſpaſma, diuulſio, ſolutio continui ſimplicis. in venis, vel arteriis ῥηγμα Latinis ruptio: & eſt alia ſolutio continui, contuſio, cum caſus eſt ex alto, vel percuſsio venæ vehemens, vt baculi

percu

percussione venæ paruæ aliquando franguntur: & sanguis sub cute permanet: vnde fit liuor, aggregatio sanguinis liuida sub cute: quod potest fieri dupliciter, vel quia aperiantur venæ, non tamen frangantur: & est apertio venarum: vel quia resudat sanguis, & dicitur resudatio: sic etiam vocat Auicenna in secũda primi doc. prima cap. 4. sed tam confusè omnia, vt pœniteat legere. mortuus est, qui nunquam correxerat suos libros. hinc aliquando repetit idẽ bis sine proposito. docet modo curationẽ ossis: alia quippe est intentio circa carnẽ: alia hic: quia vnio in carne fit hic est ruptio prorsus impossibile est continuare, & rectè vnire: sed contiguare, cum alia est natura ossis, alia carnis: os est membrum spermaticum, quod in nobis non potest regenerari: caro est membrũ similare, quod continuè generatur ex sanguine, nõ spermate. natura verò nõn deficit, sed vbi non potest facere idem, facit ferè simile, facítque callum, duritiem quandam, quæ est quoddam medium inter os, & carnem durius carne, mollius osse. vnde? accipit natura ex illo nutrimento, quo ossa nutriuntur, & format quoddam proportionatum, Arabes dicunt orisboth, πόρος Græcis dicitur Latinis callus. & dicit Galenus non potestis sanare os

ruptum

ruptum ſecundum primam intentionem, vnire continuare idem os fractum, ſed ſecundum intentionem alterā, vt quod permaneant vnita illa, nō vera tamen vnione: ſed per tertium, callum, gluten, humorem illum, quartum qui fit ex nutrimento oſsi proportionato à natura in eum locum demandato. ſicque ſemper perpetuò medicus eſt fœlix, & philoſophatur cum voluptate, ac vtilitate & amicorum, & ſua. Inceperamus heri dicere de ſolutione cōtinui oſsis, quæ fractura dicitur: & antequam Galenus tradit, quomodo ſit curanda, & qua methodo proponebat, an poſsit curari, docuit quomodo ſecundum intētionem primam à medicis non poteſt curari: & dico ſecundum intētionem primam, quæ fit circa curationem vulneris: ſecundum verò intentionem ſecundam, facere colligationem cum quodam tertio, nimirum glutine, & quod eſt aduertendum, quare non poſsit vniri os? dat rationem, quæ eſt propter duritiē oſsis: humiditas enim eſt cauſa vnionis: & hæc eſt tamē potius concauſa, quàm ſit vera cauſa: & vt res ſit clarior, exemplo contradictionis, eam faciemus clariorem ſic. ſi durities eſt cauſa, quare os non poſsit vniri, tunc eſt contra te Galene in libro primo de ſemine cap. x. vbi aſsignas duas cau-

ſas

ſas vnionis continuitatis, vnitatis:primum vim cauſæ efficientis, id eſt,caloris naturalis innati, deinde materiam idoneam, quæ poſsit excoqui, & deduci,fieriq́; illius mẽbri,quod eſt ſolutũ,ſic debitum alimẽtum ad illud idem generandũ. nam natura ordinauit hoc, vt vnumquodq; in ſui alimentum attrahat debitam materiam.os frigidum ſiccum alimentum, ſanguis calidum humidum, cerebrũ frigidum humidũ, flaua bilis calidũ ſiccum.in quocunque igitur mẽbro derelicta ſunt talia ſemina non ſecundum voluntarium agens membrorum, ſed ſecundum inſtinctum naturæ, vt attrahat,conuertat,vniat, idq́; attrahendo,concoquendo,& vertendo in propriã ſubſtantiam.os habet proprias illas virtutes, vt attrahat, quod eſt alimentum craſsius, viſcoſsius,terreſtrius,quódque eſt ſibi ſimile.hoc eſt primum contra te,quia cum ſit materia oſsis ſperma, quod quotidie generatur in corpore ad nutrienda mẽbra ſingula ſpermatica.quare os nõ generatur? Notetis,dat bene occaſionem dubitandi Gale.ſed bene dicit: & pro hac re intelligenda recurratis ad quæſtionem illam, quare cum quotidie generatur ſemen in corpore humano, quo quotidie vtuntur membra ſpermatica, ex quo, quia ex ſemine ſunt genita, non rege-

nerantur abſciſa, cum nutriantur quotidie tanquam à ſimili,& ſperma generetur toto tempore: ſuperfluũ vadit ad vaſa ſeminaria,& tunc actu fit ſemen, & excrementum optimi,& vltimi alimenti: & tunc ſi generatur quotidie ſperma in corpore, nõ deeſt materia ipſorũ membrorum, quæ non regenerantur. Gal. reſpondet quędam membra ſpermatica regenerari, etiamſi fuerint abſciſa: & hoc in venis maximè, quia materia non deeſt. ratio? quia tunica circũdans venam ſubtiliſsima eſt, quæ indiget pauciſsima materia, & debiliſsimo agente calore. ſi enim diminuimus materiã concoquendam, non indigemus tanto calore ad eam informandam, quia panniculus ſubtilis eſt, indiget pauca materia, per cõſequẽs pauco calore. item etiã alia ratione, ipſum corpus venæ eſt molle, & fortaſſe eſt mollior pars excepta carne, quã ſit in toto corpore. eſt vnibilis vena, continuabilis propter mollitiem, & humiditatẽ: ſed tamen hoc non eſt ſemper in vena, vt vniatur vena vera vnione. ratio? quia nos in tali caſu indigemus, vt ſit plurima caro circum venam diſcontinuatam, vt conſeruetur calor agens & materia ſpermatica. ſed arteriæ nunquam vnientur vera vnione, nunquam hoc viſum eſt; ſi arteriæ non vniantur, minus

nus neruus: si non neruus, minus os. cur non arteriæ? quia dicit Galenus arteriam habere proportionem sexcuplam ad mēbranam venæ, id est, sexties esse crassiorem mēbranam arteriæ, quàm sit tunica venæ. & ideo indiget multa materia spermatica, & fortiore calore actuante illā. deest primò meteria ad arteriam restaurandam. nam natura prouidit quotidie de materia spermatica ad singulorum membrorum spermaticorum nutritionē: sed non ad restaurationem. præter enim naturæ intentionem factum est vulnus: sed deest etiam calor: minor est enim quàm tunc, cum os generabatur. cum autem os generaretur, erat quidem materia tanta, ex qua os generatum est, nunc non est. vena potest quidem regenerari: quia minori indiget materia, & calore: os autem vtroque maiore: ita vt vult inferre quatuor esse causas, quare os non possit vniri vera vnione. primū est in causa defectus materiæ: sufficit enim natura extenuata ad nutritionem, & ad generationem venæ discontinuatæ, non autem ossis. secunda, defectus caloris: semper enim deficiet: tertia substantia membri dura est, & terrea: quia ossis. ideo indiget & materia, & calore plurimo. quarta causa mirabilis idea est, siue virtus formatrix. quod si

omnia hæc essent debitè præparata, esset materia sufficiens, esset calor sufficiens, esset substantia membri paulò minus dura, quàm os: sed vtique os adhuc hoc nō potest efficere natura: propterea quòd natura indiget tempore diuturno, & diuturniore ad formandum ipsum os, quàm carnem: quia indiget pluribus ad os, quàm ad carnē formādam; cibis crassioribus terrestrioribus, quàm ad carnem; cibis frigidis & siccis, & antè quàm natura formet os, caro vel callus potius loco ossis præoccupat ossis locū, & non potest amplius generari os. impossibile est enim duo corpora esse in eodem loco: quia generatio carnis præuenit generationem ossis. videmus etiā palàm semper, antè, quàm debita reducantur generanda, carnes excremētitias generari, exuri, teri, incidi. & nota virtutem generatiuam desiisse. scimus in pueris os quidem esse sanabile; quia semper fit in natura: vt hyemis principium sapit naturam autumni; sic in puero virtus agmentatiua sapit naturam generatiuæ. ideo fit facilior vnio ossis in pueris, quàm aliis; & est in illis validissimus calor, materia multa spermatica relicta ex semine, si dicas virtus generatiua est, vt vena generetur, & non os, vbi tunc est? reliquiæ quædam sunt paucæ, quæ sufficiunt

ficiunt ad venam non ad os propter dictas rationes. durities igitur est concausa; sed causæ sunt illæ aliæ quatuor dictæ, defectus materiæ, caloris, substantiæ debitæ, & formatricis. Galenus postquã docuit, quod generatio ossis discontinuata non potest esse secundum primam intentionem, sed secundum secundam tantùm, qui est callus, docet vnde callus generetur ex natura rei: & dicit callum in osse esse opus naturæ tantùm: sicut vnio in carne est tantùm naturæ solius. quæritur, quare fit iste callus in osse, & non ita in aliis partibus corporis? in carne enim non fit: ratio est, quia omne membrum trahit alimentum simile suæ naturæ; os trahit alimentum crassum, terreum; sanguis subtilius, calidum humidúmque. in osse porrò est relicta virtus attractiua ab instinctu naturæ, & segregatiua illius, quod nõ est simile sibi, suæque temperaturæ; dum attrahit natura ex illo alimento terrestri crasso: & hoc natura non edocta ab aliquo facit: attrahit namque ex illo alimento crasso cum propter defectus materiei, caloris, temporis, non posit efficere veram vnionem, efficit quoddam simile, callum; materia alimenti est dura, & crassa, sicca & frigida; si excoquatur à calore elixante & humido fit adhuc durior, &

fit callus. rarò videbitur os fractum esse solutio simplex; quia statim sequitur inflammatio musculorum neruorum, qui compatiuntur circumuadi. Numquam curabitis discontinuitatem osis simplicem, ideo oportet habere plures intentiones curandi, quomodo autem id fiat, vlterius docebitur. Hactenus non docuit quomodo esset consolidandum: propterea quod oportebat primò scire quid callus? ex quo? ex natura rei. & quare similis substantiæ osis? his enim ignoratis, non inuenietis modum medendi, & curandi eius discontinuitatem, dando instrumenta ipsi naturæ duplicia, primò alimenta viscosa, crassa, viscida, terrestria. propterea quòd ad generandum callum indiget natura tali alimento simili temperaturæ, & calli. deinde alimenta multa. i. plura, quàm sano exhibebitis, secundũ capacitatẽ ventriculi, vt inde non sequatur vomitus, ita vt curetis quale. i. dando alimenta, (& cibi, & potus) crassa, & viscosa &c. aliquantulum plus solito, indiget enim nunc ad citò consolidandum plurima materia spermatica, & multa, & crassa. Hinc videtis errorem communiter medẽtium fracturam osis: quia hic de iis loquimur, qui tandiu, quandiu æger est in curatione ipsa, exhibent vinum subtile, paruum, cibos subtiles, pul

los

los, phasianos. errant ex natura rei, nisi duret inflammatio, sed hac semota: dum vos curabitis factam discontinuationẽ ossis detis vina crassa, fortia: rubea, substantiosáque & carnes bubulas, ceruinas, caseum, legumina, pasticea, ita vt possit fieri nutrimẽtum crassum; non pullos, quia subtilis erit sanguis, non os, sicut enim physici in pleuritide ipsa, dum est morbus, in principio, debemur vti tenuissima diæta, ita natura iam sputum expellente, debetis recedere à diæta & dare illi cibos substantificos, vt habeamus naturam fortiorem ad expellendũ aliter morietur æger. dat deinde documentum qualibus cibis debemus vti, dum iam callus obducitur: & dicit hoc iudicabis ex sanguine circa fracturam congregato: si erit subtilis, talis non indiget; nam indiget crasso: præbeto crassiores cibos; si crassa plus æquo, præbeto subtiliores cibos: & bene videto quid agat natura.

Omnes ferè recentes, qui de spasmo locuti sunt, vacillarunt, & rem in se claram meris nugis obscurarunt, spasmus enim est conuulsio in neruo: aut ratione humidi fit nerui dilatatio, aut sicci fit restrictio: sicut fit in fidibus: sic enim exemplo docet Galenus, addiderunt illi causam tertiam spasmi accipientes aphorismum Hip

pocratis,& ſuper eum verba Galeni:rationéſque adducunt, quibus dicunt aliam habere rationem ſpaſmum, nam inquiunt, ſingultum mordicationem in neruo habere: ſingultus enim fit ex aliqua cauſa mordicante: retrahitur in ſe ventriculus, dum ſentit mordicantia, vt ſi piper quis comederit, quod eſt mordicans, & bibat ſtatim vinũ, quod facit penetrare etiam intra tunicas ventriculi, ſtatim fit ſingultus: retractio, contractióque ventriculi ad expellendum per vomitum ſi poſſet. ſi hoc eſt ſicci ſicut doces Galene, ſpaſmus etiam erit ex hac cauſa tertia, mordicatione in neruo: quia eſt membrum ſenſatiſsimum. differũt autem: quia ſpaſmus ab humido, vel ſicco fit: ſingultus à mordicatione, ſpaſmus etiam contrahit non vt expellat: ſed ipſe ſingultus vt natura expellat per vomitum, ſi poteſt illud mordicans extrudere. alia multa fuerant dicta, ſed is fermè ſuccus eſt dictorum omnium.

Poſteaquàm Galenus docuit nos ſanare vulnera ſimplicia: inſtitutum erat illi docere nos vulnera compoſita, & hoc in carne, oſſe, neruo. compoſita autem vocamus vulnera, quoties cum ipſo vulnere alius quidã morbus complicatur, vt cauitas, ſordities &c. cauitas eſt defectus ſubſtantiæ carnis in ipſo vulnere. vt remoueret Galen. opinionem

nem antiquorũ, quod cauitas nullo modo erat differentia vulneris; id eſt, ſolutionis continui, quid fecit? hic ſunt duo, cauitas, & ſolutio continui, duæ ergo erunt indicationes operandi. incipiendũ eſt igitur ab ipſa cauitate. quomodo enim medeberis ſolutioni, niſi prius applanetur caro? & quoniã duplex eſt vnio, vno modo dicitur, quando labia ſunt ſimul, quãdo eſt approximatio, appoſitio labiorũ inuicem: alio modo quãdo non applicamus tantũ, ſed facimus eſſe vnũ, vna illa, & perfecta vnione duarũ, vt fiant vnũ: quæ vnitio aduerſatur ipſi ſeparationi. deinde facere, vt cutis ſecata fiat vnũ. in cauo cutis deficit ſubſtãtia, quomodo eſt faciendũ? cutis non poteſt regenerari: quia eſt mẽbrum ſpermaticũ, & ſolidum: quod audiuiſtis à nobis diffuſius. quare generari non poteſt? eſt autem cutis membrũ ſolidũ durúmque reſpectu carnis. Ideo ſi volumus generare aliquid proportionatum ipſi cuti oportet applicare exiccãtia plus, quàm in carnẽ, vt ipſa carne æquali facta ſuperficies cutis aſsimiletur ipſi cuti quãtũ poſsibile eſt ita tamen exiccantibus vtendum: vt non ſit mordicatio, quia efficeret vulnus cõcauum vt exempli gratia Balauſtiorum. i. granatorum flores: qui ſunt frigidi ſicci (calidum autem propriè mordicat, valde frigidum

per accidens.) Gallæ vstum plumbum, calx lota: lota quia magis exiccat, & haberet mordicationem non lota: vt calx lota non mordicat, & efficitur ex calce lota vnguētum ad adusta ignea delicatissimum, & dicitur vnguentum de calce lota; quia maxime exiccat adustionem humidam per se. Dubium contra rationem est, vt caro generetur, & augeatur: quia in homine triginta annorum deficit virtus generatiua, & augmentatiua? dicendum est hic esse fallaciam secundum quid ad simpliciter: virtus enim deficit, quantum ad membra spermatica, non tantùm in annis triginta, sed etiam statim ab ipso ortu, quàm primùm fœtus prodit in lucem. caro autem, quia non est membrum spermaticum, tota etiam regeneratur. sed verum dubium hic dicitur à Galeno, quod quando volumus vulneris concaui sanationem, debemus supplere quodam proportionato ad ipsam cutem cum exiccātibus. & exiccatio est alia & alia: alia enim exiccant corpus cholericum, alia sanguineum, alia phlegmaticum. item refrigefaciunt, calefaciunt; vniuntur enim gradus, sed metiuntur eos ab ipso hominum temperamento medici. & hoc non tantùm in diuersis hominibus, sed etiam in ipso

ipſo eodem homine. nam labia, præputiũ, caro aliter generantur, aliter exiccantur, aliter caleſiunt, quã aures, vel nerui &c. Itaque niſi ſciamus, quomodo aliquid deducatur ad actum, & à quo, & ad quantum gradum, nihil rectè operabimur: niſi ſciamus quomodo medicinæ reducantur ad actum in corpore, & partibus ipſius corporis, nunquam rectè medebimur. & ideo erunt duo articuli hîc: primus quomodo medicinæ deducantur ad actum in humano corpore, & animalis cuiuſuis applicatæ: alter quomodo medicinæ deducantur ad actum mutuum, quando componuntur, quomodo ad actum quendam tertium deducantur: vt ex frigidis, & calidis, quomodo ſit actus quidã tertius. tantũ nos conſiderabimus ſubiectũ & prædicatum quæſtionis, & conſiderabimus, an ſit aliqua æquiuocatio, an aliquis malus intellectus lateat. & ea ſi qua ſunt, ambigua diſtinguam explicando: & erunt omnia clara, ſicut docet Galenus in libro, an ars tuendæ ſanitatis pertineat ad medicum. quæritur? cùm medicinæ deducantur ad actum, videre neceſſe eſt, quid ſit medicina? quid ſit actus? medicinæ diſtinguuntur à cibis, & venenis ſecundũ modũ operãdi in humano corpore. hîc duæ ſunt opiniones, altera Gal. & medicorũ, altera philoſophorum

phorum, quam sibi Aerres vsurpauit. consi derabimus prius sententiã medicorũ, dein de philosophorum vtra sit melior. Galeni hæc sunt fundamenta. omnia mista habent vnam tantum, & simplicem formam ipsã temperaturam & animalis, & hominis, quæ resultat ex mutua actione, & pasione qualitatum primarum; ex illa harmonia, & cõcentu; ex quadam illa musica, quæ fit ex contrariis, & similibus simul cõflatur: sicut ex acuto, & graui in musica: & in illa quandoque partim conueniunt, partim non: aliquando à toto contrariantur, quia nulla est alia forma præter complexionem. & dicebat stante hoc fundamento Galenus quod quando aliquod mistum plãta, succus, metalum, aut aliud cuiuscunque generis è terra nascens, & animal mortuũ: quando applicatur humano croporí, quodcunque ex istis habet actum omnem suę cõplexionis in potentia tantùm, non in actu: solum enim animal viuens habet actũ perfectũ in actu propter ipsam animam, vt scorpius actu infrigidet, & potentia si postea applicetur mortuus. hoc supposito dicit mistum quando applicatur, aut conuenit cum temperatura hominis forma illa substantialis misti secundum totum, asimilatúrque humano corpori, nõ secundum qualitates cali dum

dum, frigidum humidum, ſiccum: ſed tota illa harmonia miſti cum harmonia hominis ſic conciliatur, vt calor humanus, vbi ſemel egerit in illud, immutet illud miſtum: & quicquid erat diſsimile: non potuit enim prorſus eſſe ſimile (fuiſſet quidem humana caro) ita effecit ſimile, vt reiectis & remotis quibuſdam paucis excremētis vertit ad propriam ſuam rationem totum quod reſtat: ſuccus ille totus miſti vertitur in ſubſtantiā veram hominis, & efficitur pars hominis. illud idem dicitur à Galeno cibus, & meritò. quando verò applicatum eſt, non poteſt propter maiorem diſconueniētiam aſsimilare ſecundum totum, neque totum conuerti, & effici pars hominis: agit tum calor, & cùm agat, inſurgit illa pars tēperaturæ miſti diſsimilis, & ponitur in actu in aliqua qualitate, vt calida, & plus eſt caloris actualis iam in miſto, quàm humani agentis, miſtum recedit, excalefacit corpus plus, quàm erat. eadem ratione ſiccitas, humiditas. quādo verò aliquod miſtum dominatur per frigidum (hinc eſt omnis lis inter nos) calor agit, miſti, temperatura excedit per frigidum, refrigerat corpus. & licet non expulerit frigiditatem miſti, calor naturalis, rarefecit tamen redegit in partes ſubtiliores, penetrabiliores, aperuit vias: vndequaque

eſt

eſt frigus illud attenuatum & huius ſignũ quando applicamus aliquod miſtum frigidum non ſemper refrigerat, ſed tantùm in pugna, vt lactuca habet bene quandam cõtrarietatem ad corpus, quia frigiditatem habet tamen non ita, vt tota ratio ſit contraria: qua actuata frigiditas primi gradus, & vita efficitur calor, deinde conuertitur in corpus. quod ſi alicuius miſti frigiditas excedat in totum, ita vt vincat prorſus: tunc autem interficit, & dicitur venenum non ſimplex; ſed quia vincit frigus, vt opii, cicutæ: argenti viui. ſi vincitur à calore, tũc dicitur medicina nõ ſimplex; ſed quia vicit calor. ſi verò alicuius miſti temperatura ita ſit diſsimilis, vt nullo prorſus modo conueniat, ſtatim natura decũbit; non quia caleſcat aut frigeſcat: ſed quia ſunt à toto genere pugnãtia, ſicut proportio ſeptima in muſica: & non poteſt ratio aſsignari, cur ſuccus ſcorpionis, ſaliua viperæ applicata etiã exterius humano corpori prorſus interficit? & contrà, illud eſt, & dicitur verum venenum; inde eſt, quod ſi vos applicatis piper homini ſeni 60. annorũ, aut 70. calefaciet mirũ in modũ: exhibeatis iuueni bilioſo calefaciet æqualiter in tertio gradu. ſi ſeni rem frigidam detis, vel applicetis aut refrigerabit, aut extinguet? iuuenem ſanabit, refrigera-

bit,

bit.ratio,quia alter indigebat, alter non.pi per faciet iuuẽem furere: ſenem adiuuabit, frigus, iuuenem refrigerat cũ delectatione tanquam ros deſcendens de cælo : miſerille ſenex congelatur & moritur.

Circa reductionem medicinarum ad actum duæ erant opiniones altera Galeni, altera Auerrois: iam Galeni propoſuimus modo proſequamur Auerrois opinionem. Summa erat ſententia Galeni, vt poneret temperaturam eſſe formam miſtorum : corpora enim miſcentur : miſtum applicatum, & humanum : cui applicatum eſt miſtum, & qualitates agunt, volebat actiones prouenire à temperatura. vidiſtis quod quando tota forma miſti conuenit cum tota forma humani corporis, fit cibus illud miſtum quodcunque ſit; fitque cibus abſolutè paucis excrementis facilè eiectis: aut erant ambo à tota ſubſtantia contraria, ſicut proportio ſeptima muſicorum, cuius ratio non redditur: & dicebatur venenum abſolutè : quandoque medio modo ſe habet tota ſubſtantia miſti cum tota ſubſtãtia humani corporis, neque omnino eſt ſimilis, eſſet enim caro humana: neque penitus toti contraria, eſſet enim abſolutè venenũ, vt ſaliua ſcorpionis, ſed tantũmodo diuerſificatur ſecundum aliquam

qua-

qualitatem resultantem, aut vnam prædominãtem, aut duas coniugatas, tunc dicitur aut cibus medicinalis: aut medicina cibalis vel medicina absolutè: quando à tota substantia non interimit, sed habet quasdã qualitates naturæ contrarias, quas postea natura vincit, & in sui salutem vtitur. remanet secũdum istam partem Auerroes confusus in 5. colligeth, dicit vbi contra Galenum: si mel sumatur à cholerico, vel ab eo, qui febricitat febre ardenti, erit remissius calidũ, quàm corpus: sed remissum comparatum ad intensum habet rationem contrarii; corpus erat calefactum vt 4. mel est calidũ vt 2. ergo cùm mel habeat rationem remissi, & corpus incalefactum, vel potius calor intensus intensi, corpus illud non tantùm non incalefiet melle, sed etiam refrigerabitur. & quod sit verũ, doceo inquit, Auerroes experiẽtia: Accipe aquã feruidã & aquam tepidam: misce. aqua feruida non tantùm nõ est incalefacta, sed etiam referbuit. ergo sic etiam erit in corpore incalefacto vt 4. & accepto melle calido vt 2. quasi respectu calidi 4 tepido vt non tantùm non incalefiat, sed etiam refrigeretur. Respondet huic furiæ Auerrois, Galenus, quod semper corpus incalefactum vt 4. accepto melle calido vt 2. incalefiet plus: quia semper mel operatur

ſecundum ſuam intrinſecam formalem rationem, quam ſemper retinet. quando doces exemplo aquæ feruentis, & tepidæ, malè doces: nam neque valet conſequentia, aqua tepida complicata aquæ feruenti refrigerat; ergo mel exhibitum corpori incalefacto vt 4. refrigerat. ratio malæ conſequẽtiæ eſt iſta: quia aquarum ambarum ratio ſubſtantiæ, & actus erat in actu, & operabatur actu. ratio autem calidi actus in corpore operatur actu; quia eſt in actu corporis animati. ratio autem actus mellis in corpore eſt in potentia, qui quando ad actum per vim nimiam reducitur vt 4. ſuperatus calor mellis, & inflammatus, plus corpus incalefacit, non tantùm non refrigerat. ratio autem contrarietatis; quando dicebas intenſum & remiſſum, habent rationem contrarietatis; ſic quando ambo ſunt in actu. ſed tu hic argumentaris ab vno in actu, calore nimio, vt à 4. ad aliud in potẽtia, quod eſt mel vt 2. quodcunque erit calidum, niſi reducatur ad actum ſuæ intrinſecæ qualitatis nil operabitur. Nam applicatum corpori mortuo nũquam calefaceret, propterea quòd non poſſet reduci ad actum ſuum idеſt, ad illud, quod vi ſua poteſt agere. opinio Auerrois, & philoſophorum cum eo omnino hæc eſt; temperatura eſt actus ſe-

quens mistionem, quatenus mistio est:tamen complexio non est adhuc vltimus actus, vltimus finis; sed forma substantialis, quæ est educta de potentia temperaturæ, quam formam substantialem vocat Galenus eodem nomine & temperaturam, & formam substantialem eductam de qualitatibus resultantem, quæ perficit, frænat, & domat actionem temperaturæ, & tamen agit illud mistum, quantum dirigitur ab illo vltimo fine, & vltima forma, nec plus, nec minus. illa enim vltima forma est principium omnium actionum, & illa forma vltima differt à temperatura formaliter, & realiter. consequenter de actione dicit Auerroes secundum sua fundamenta, mistũ applicatum corpori humano agit necessariò secundum formam ipsam, principiũ agendi, quod est distinctum formaliter ab ipsa temperatura. Et quoniã omnia mista sunt talia in potentia respectu corporis humani, non reducuntur ad actum, nisi à calore, qui semper in actu est: sed quid sit ista, forma vltima diuersificatur secundum diuersitatem temperaturæ. ideo mista applicata tandiu agunt calefaciendo, infrigidando, &c. quandiu actus eorum potest tandiu autem sunt actus, quandiu temperatura: tandiu temperatura, quandiu forma substan

ſtantialis.actus vltimus ille, vltimus ille finis id eſt, vltimum illud propter quid, & cuius virtute qualitas vel vna, vel duæ ob temperaturam operantur. & ſi (iam etiam hic cõuenient ambo) miſtum applicatum corpori habeat ſimilitudinem totam (ſuo modo totam, quia non poteſt eſſe omnino ſimilis ei, eſſet enim humana caro) fit cibus; differentia eorum tantum eſt de frigido. Galenus dicit, medicinas frigidas exhibitas reduci ad actum per calorem naturalem, à quo opium excitatur in ſua naturali operatione, & excitatum reſiſtit, & tunc eſt bellum: ſic de oleo roſato. exemplum dat Galenus de lignis viridibus igni appoſitis, quæ ſi tãtùm ſunt viridia, vt reprimatur calor ignis, etiam aliquando extinguũt eum: ſi præualet idem ignis, dilatatur & calor, & lumen. nam ſicut calor ipſius ignis agit in lignum humidum, & frigidum, alterum exprimendo, alterũ expellendo, calor quidem agit actu, cùm ipſe in igni ſit in actu: ita fit in medicina frigida, quæ exhibita huic corpori calido, calor illius agit ſecundum ſuam potentiam, & medicinam frigidam reducit ad actum calore ſuo: erat certè tanquam mortua, reducta in ſuum robur frigida medicina operatur ſecundum latitudinem ſuæ potentiæ naturalis. calor au-

tem agit actu;quoniam est in actu;medicinámque reducit in actum suæ potentiæ naturalis;si vicerit calor frigus in gradibus; facit etiam frigus furere. hoc nomen offendebat Auerroem:nam dixit,non potest frigus calorem efficere; Galenus autem dicit vincendo & paulatim inducendo suã qualitatem posse. nam à proportione maioris inæqualitatis fit actio. Auerrois fundamentum est hoc,quod calor agens in frigidum siue sit in misto,quod est cibus, siue sit medicina,nihil aliud calor agit in illud frigidum,nisi quod illud subtiliat,attenuat, diuidit per minima:hoc tantùm facit calor in frigidum præparat tantùm,quod actuat. dic Galene rationem,quomodo deducitur ad actum?Galenus dicit,hoc est quod dicis ad actum deducere,vincere calorem,frigus illud sua maiori proportione in gradibus. illud autem,quod tu dicis calorem, cùm agit in frigus, subtiliare frigus, attenuare, redigere ad minima, neque hoc nego, sed sunt præparationes istæ ad introducẽdum calorem vincentem in frigus iam propè victum,sicut dedi exemplum de ligno viridi, & calore agente in ipsum, tunc agit, cum exprimit;tunc reducit ad actum calidi illud lignum,aut humidum exprimit,prorsus fugat frigidum, & inducit in lignum

nouam actionem culidi; quam ad sensum cognoscimus in ligno olim humido frigido. bene alibi Auerroes, nũc oblitus sui affirmauit potentiam, quæ est in medicina, esse mediam inter potentiam, & actum: si nunc recordatus fuisset, sensisset idem cum Galeno; sed modo oblitus sui dicit medicinam frigidam applicatam corpori statim, siue sit incalefacta à calore naturali humano, siue non, semper refrigerare, & semper facere operationes suas, vt propria forma dirigit eam. ad hoc exemplum Auerrois est de aqua frigida, quæ etiamsi fuerit incalefacta ad efferuentiam, tum exposita non ventis, sed aeri temperatissimo, statim saltem suo tempore redit ad formam suam substantialem frigidam, & agit secundum suam naturam, quam semper retinet. item detur alicui aqua endiuiæ refrigerat etiam incalefactum. vnde habet hoc Gale. quod refrigerat? Nam per te corpus incalefactum debebat efficere, vt incalefaceret plus aqua endiuiæ, & ita credebat magnum aliquid dixisse contra Galenum ipse Auerroes. Galenus dicit perstans in sua opinione, quod si aliquis sumat opium, tẽdit opium ipsum ad cor; & si in accessu incalefit, & vincatur sua frigiditas, non inducit soporem. & addit si detur opium cholerico homini, & bi-

lioſo,citius operabitur in eo, ſoporémque per ſtupefactionem,quàm in frigido citius inducet:videtur tamen debere fieri oppoſitum.quare Galene opium citius operatur in bilioſo?quia venas habet amplas, & arterias,& attrahendi aërem maiorem vim; per quas venas ſic patefactas frigiditas attrahitur opii ad cor,rarefaciente & vias aperiente calore naturali.exhibitum autem corpori frigidiori opium non ita citò ſtupefacit:propterea quòd habet venas ſtrictiores,aërem propellentem, minus attrahit:calor naturalis inibi agere propter ſtricta itinera minus poteſt.ideo noſtri medici docti experientia ,& arte miſcent calida ſomniferis,vt ſint tãquam vehiculum, vias aperiant venarum,admiſcent crocum, gariophylla;crocum enim maximè confortat cor.natura nanque ad ipſum ducem dirigitur; illud obſeruat, deducit ad membrum ſibi familiare,& facit impreſsionem in membro. ſic perſtat Galenus.tamen ſi quis ſanè aduertat & in cibis, & medicina calidis frigidis & humidis, ſiccis, poſſunt ambo ſecundum eorũ principia conciliari. ſit enim Galene per te temperatura, forma ſubſtantialis,& præter hanc nulla alia, ac qualitates agant inuicem; ſit per te Auerroes vltra temperaturam reſultantem ex

qua

qualitatibus formæ ſubſtantialis, vltimus actus, primum agendi principium, eductū de potentia temperaturæ, tamen ambo confitemini qualitates agere tantum, & hucuſque, quantum duret temperatura. cùm autem tantum, & hucuſque duret forma, quam tu Galene negas dari vltra temperaturam aliam, ſed ipſi temperaturæ tuæ hoc tribuis & tantum, quantum ille formæ tertiæ illi rei reſultanti à temperatura; ſicut tu dicis temperaturam à qualitatibus reſultare: tamen vos ambo gradus non negabitis, ambo confitemini miſtorum operationes omnino eſſe in potentia, & non in actu, verba ſunt inter vos tuę ambitionis Auerroes: tu enim negas frigidum poſſe effici à calido; & ideo negas frigidum poſſe actuari à calido. ſed tantum calidum extenuare frigidum, diuidere in minima, facere penetrabilius, Ad tua obiecta Auerroes reſpondebo? dixiſti de aqua frigida calefacta etiam vſque ad efferuentiam, quæ poſtea expoſita etiam tẽperato aeri redit ad ſuam propriam naturam; ſcis quare redit? quia non habet calorem perſtantem in opere ſuo: ſemotam enim ponis ab igne. ſic ſoluam aliud de endiuiæ aqua applicata corpori calefacto, tantum refrigerabit ſic primū; ſed deinde calefaciet; hoc eſt contra te, quia nō

seruat suam naturam frigidam. quare est Auerroes? si autem dices etiam post incalefactionem postquam aqua erat calefacta à calore naturali, iterum rediisse ad infrigidationem; quia iterum refrigerauit; dicam quod calor fortè naturalis deficiebat iam, & ita illo deficiente redibat aqua endiuiæ ad suam naturam, quia non haberet contrarium agens instrumẽtarium, sicut tu dicis de aqua frigida calefacta, quæ exposita aeri temperato redit ad suũ frigus. ideo experientia docemus, si accipiamus aquam frigidissimam, quæ calefiat, & fiat balneũ; ingrediatur aliquis stomacho crudo, nimium adiuuat concoctionem; ergo Auerroes aqua frigida tunc, non agit secundum suam propriam naturam: non enim adiuuaret frigida aqua crudum ventriculum; sed hoc est simplex: dicamus de mistis intrinsecis, & extrinsecis. sit apostema in manu Cæsaris calefactũ, applica medicinas frigidas potentia, vt succũ solatri, semperuiui, dimittatur per duas horas, per quas si incaluerit, tum posteà maximè nocet: addit enim malum malo, & facit furere materiam; venenũ est. verum est succum illũ esse in sua natura frigidũ: & tantum Auerroes, quare non agit secundum naturã post duas horas? stomacho ardenti docet Auicé.

iam non Gal. debere dari frigidos cibos & actu, & potentia: insiti sic etiam ardenti actu frigida: ptysicis frigidam & parum, & sæpe sicut cibi ratio postulat: quia si parum das, sæpe refrigerat, & si illud parum à calore ardenti actuatur, & vincitur, nõ fit adhuc maxima auctio caloris, quæ fieret si in maxima copia exhiberetur. ergo Auerroes nõ semper retinet, & agit secundum suam naturam frigidam: quam ob rem medici docti ab experientia docent aquam frigidam exhiberi in parua quantitate, aliquando plus, aliquando minus: semper memores actionis, & reactionis, ac victoriæ in omnibus qualitatibus secundum maiorem proportionẽ inæqualitatis &c. est vna quæstio, sine qua neque ego credo me vobis satisfacturum, neque ego mihi ipsi satisfieri: vtrum medicina calida in secundo, respectu corporis temperati exhibita bilioso in eodem gradu calefaciat?

Visis controuersiis philosophorum, & medicorũ an ipsa temperatura sola sit forma substãtialis, an detur etiam aliquid tertium, moueramus vnum maximũ dubiũ, quod fortè in scholis publicis nunquã plenè edoctum fuit, an cibus vel medicina calida in secundo gradu applicata corpori temperato, quod est mediũ inter vtrunque

contrarium,& applicata corpori bilioſo ca lefacto in eodẽ gradu calefaciet tam hoc, quàm illud? ex quo ponuntur gradus tam cibis,quàm medicinis,& venenis.vis medicinæ relatiõe dicitur calida,vt duo, vel tres gradus ad humanum corpus:& ſignũ huius rei eſt,quia nõnullæ miſtæ ſunt cibi vni ſpeciei:alteri venenũ.quod ſi ita eſt, vt medicinæ dicantur calidæ, frigidæ, humidæ, ſiccæ in relatione ad corpus, ad temperatũ ſemper,vt vult Gale.& non ad alia referri debent,corpora.cùm verò præter illud corpus tẽperatum ſint multa alia,imò omnia intemperata,& ſint ferè corpora in infinita differentia calida,humida,frigida,& ſicca: item calida & humida,calida & ſicca,frigida & humida frigida & ſicca ſecũdũ etiam varios gradus.dantur enim in temperaturis gradus calidi,humidi,ſicci & frigidi:ſicut in medicinis.quot erunt gradus varietatis in temperaturis calidi, aut frigidi : tot erunt in medicina calida,aut frigida reſpectu corporis determinati:& ſic lactuca data Petro etiam calido in tot gradibus refrigerabit:Martino in tot,vel pluribus,minoribúſve refrigerabit, non tamen ſecundum certum numerum graduum.quis ſciet igitur menſurare iſtos gradus?quia medicinæ variabunt ſuos gradus reſpectu diuerſitatis

com

cõplexionum,& graduum in corpore determinati: sic erunt infiniti, quia indiuidua sunt infinita:& species æternæ. de illis ergo quænam erit scientia? nugatores ergo erunt omnes medici præscribentes vobis graduum, numerum medicinarum calidarum, frigidarum, cum non seruent suum robur perpetuò: sed immutentur secũdum diuersitatem complexionum,& gradus earum. vel est inuenienda aliqua ratio, quomodo illi gradus possint sciri ab ipso medico, aut deprehẽdi saltem. ideo Auerroes noluit mederi ob ipsos gradus. videtur primò, quod medicamenta secundum gradus diuersos corporis diuersos effectus efficiũt. nam Galenus primò docet qualitates primas vt extrinsecas, sic intrinsecas agere: quarum actio est occulta:& docet si aquam frigidam ponat quis in sole, fit calida tepidè, vel lento igni fit calida tepidè: si ad maiorem ignem, calefiet vsque ad efferuentiam: peruenit enim ad gradus intensiores, tanquam ad actum. ponatur aliquid inflammabile, ligna sicca, aut lana ad ignem: si lentus est ignis, fumus fit tantum: si intensus, fumus fit & lumen. ergo medicinæ gradus agunt,& diuersificantur, secundum diuersitatem temperaturarum caloris, in quas apponuntur, & non seruant perpetuò suos

ſuos gradus, vt lactucæ vt 2. piper vt 3. cinnamomum vt 3. ſed in aliquo plus, in aliquo minus prout à calore potentiore, vel imbecilliore ad actum intenſiorem reducuntur. Et ne aliquis dicat ſic probantem ſubterfugere, qui diceret medicinas referri ad corpus humanum, per conſequens ad calorem humanum, à quo debent actuari: & tu modo transfers ſimplicis aquam ad calorem ſolis, & ignis: à quibus nos non dicimus actuari medicinas per eos ad determinatos gradus in earum latitudine, ſed in aliquo reperta. ne hoc poſsit dici refugiũ, probemus etiã de calore naturali noſtro, non tantùm ſolis, & ignis medicinas, vel cibos reduci, & variari eorum gradus ſecundum gradus æqualitatũ in corpore humano determinato ſicut Hippocrates de ratione victus in tertio de aqua. aqua frigida ſi ſumitur à febricitante bileſcit in ventriculo, calefaciet corpus plus: quia conuertitur in bilem calidam & ſiccam. ergo ſi ſumatur intus ab incalefacto calefacit: quia corpus magis feruet: ſi ſumatur à corpore frigido, infrigidabit illud: etiam ſi ſæpe ad congelationem. ideo medici in febre ardenti iubent dari aquam frigidam: quod in octauo therapeutices docet Gal. ſed in tanta quantitate, vt etiam prouocatus bibat.

Auicenna autem dicit ꝙ ſquequo corpus efficiatur viride, id eſt, virens propter defectum caloris intrinſecus decumbentis. nos damus bene gradus in medicinis,& in temperaturis: damus etiam temperaturam mediam, id eſt, temperatam: damus calidam in primo, ſecundo gradu: Galen. in octauo therapeutices, vbi docet curare temperaturas ſecundum intenſionem graduum corporis æqualiter applicare gradus medicamentorum. exemplum, corpus exceſsit per duo per calidum à temperie, applicare frigida vt duo æquale in receſſu per ęquale in receſſu à cõtrario: ex duobus enim contrariis permiſtis fit vna contéperantia. ſtat ergo veritas pro prima parte quòd medicamentum applicatum corpori determinato huic, vel illi non æqualiter ſemper,& ſecundum eoſdẽ gradus operatur, vt lactuca applicata corpori tẽperato in ſecundo gradu frigida infrigidabit: applicata calidiori non dicetur in ſecundo gradu frigida, quot igitur erunt corpora, tot erunt varietates medicamentorum: & ſic vobis fruſtrà determinauerunt gradus medici certorũ medicamentorum. In alteram autem partem negatiuam, quod medicamenta omnia, & cibi non mutant, neq; variant gradus ſuarum qualitatum ob variationem graduum

in ipſis temperaturis, aut ſimplicibus, aut coniugatis: ſed ſeruant perpetuò tenorem ſuum, oſtēditur id fieri non poſſe & per autoritates, & per adducta incōuenientia incommoda, quæ ex hac re ſequentur inconuenientia? primò ſi eſſet ſic, tunc cibus, aut medicina vni eſſet medicina, aut cibus: alteri venenum. probo per exemplum: Accipio cinnamomū in tertio gradu calidum reſpectu corporis temperati, certum eſt id, quod agit vltra quartū gradum venenum eſſe: quia vltimus gradus, qui à natura tolerari poteſt, quartus eſt: quid operabitur cinnamomum in corpore illo medio temperato? calefaciet vt tres gradus: detur illud idem cinnamomum corpori bilioſo, quod receſsit per tres gradus à ſua temperie per calidum quid operabitur? incalefaciet per 3. gradus. ergo erit incalefactus per quinq; gradus venenum peſsimum, & peſtiferum homini: moreretur ergo, ſi verū eſſet, quod medicina, vel cibus mutaretur, variarétq; ſuos gradus ſecundum gradus qualitatum in temperaturis: & tamen videmus ſæpe corporibus incalefactis vt 3. dari cinnamomum, & viuere. ergo falſum. item lactuca frigida reſpectu corporis temperati vt 2. illud temperamentum, calor ille temperatus non poteſt reducere calore ſuo cibum

bum illum medicinalem in suam naturam, imò reducta ad actum lactuca vincit illum calorem temperatum, & infrigidat per duos gradus: detur frigido per duos gradus per recessum, lactuca refrigerabit. ergo per quatuor gradus: sic succedit mors. erítque lactuca illa illi in termino veneni: & tamen videmus ad sensum, quod senes frigidi, & miseri illi frigidissimi hydropici manducant lactucã, & viuunt. ꝙ si cibus is medicinalis mutaret suos gradus secũdum gradus tẽperaturarũ, & extẽderet suos actus actionis suæ secundum materias dispositas magis, vel minus, iam in hydropico faceret infrigidationẽ, vt 6. vel 8. & esset mors: cuius rei videmus oppositum. item Hippocrates in secundo de ratione victus acutorum de aceto dicit: Acetũ exhibitum corpori bilioso facere desciscere bilem in pituitam: & refrigerare. ergo cibus non agit secundum gradus temperaturæ, sed suos determinatos. si enim temperaturæ acetum est in primo gradu frigidum &c. idem opium dicit citius interficere calidum corpus ob venas latas, quàm frigidum. & Galenum in secundo de simpli. medicam. facultatibus: Acetum exhibitum in oxymelite, etiam in quarto de simplicib. medicamẽt. plus refrigerare febricitantem, quàm mel,

mel, quod est in secundo gradu calidum incalefaciat. ergo non est verũ, quod secundũ diuersos gradus corporis mutent gradus operandi: seruat ergo medicina primò virtutem semper: corpus potest alterari diuersis modis secundum dispositionem passi. Pro veritate autem rei sit hæc cõclusio prima, vnumquodque mistum tantùm agere, quantum habet à propria forma, vt agat: est enim ea principium omnium actionum: siue vis dicere hãc formam temperaturam ipsam, siue quoddam tertium ab ea distinctum, vt audisti: tunc quando debet reduci ad vltimã endelechiam tantum agit, quantum est in virtute ipsius formæ, & nihil potest amplius ne transuersum quidem vnguem, aut pilum: nec potest aliter dici, & si qui aliter opinantur, verè somniant. limitãtur enim actiones misti à forma: qua stante stant semper actus determinati vniuscuiusque misti. secunda connclusio, licet omnia mista tantũ agant, quantum possunt determinatè ratione suæ formæ: tamen actiones illæ variantur secundum relationem ad varias alias formas non est enim eadem proportió formarum inter se: sed quædam formæ cum quibusdam aliis à se distinctis aliquando à toto dissident, aliquando sunt sibi familiares, & hoc

hoc eſt propter varietatem formarum, vt ſæpe iam dictum eſt. cicuta quidem turdis eſt cibus conueniens : homini verò venenum, ratio non poteſt reddi, ſicut diſſonantiæ ſeptimæ proportionis: hoc tantùm poſſumus dicere : ſunt etenim ſecreta formarum, quarum cùm neſciamus differentias vltimas, neſcimus cauſas eorũ effectuum, qui immediatè ab illis proueniunt. ſic helleborus coturnicibus cibus, homini ſano medicina etiam venenoſa. ſed quãdo comparatis totam formam alicuius ſpeciei partibus, vel indiuiduis alicuius ſpeciei, quamuis illa indiuidua varientur inter ſe ſecundum gradus qualitatum: gradus tamen illi faciunt differentiam accidentalem, non eſſentialem. gradus autem nõ variant ſpeciem : omnes enim couenimus in ipſa forma hominis, ſpecie : licet gradus quidam ſint aut qualitatum, aut perfectionis potentiarum inter ſe. exemplum, ſpecies lactucæ comparata ſpeciei humanæ tantùm habet calidi, frigidi, humidi, & ſicci: quantum eſt in ſua latitudine ei datum: tamen reſpectu hominis, & ſuę latitudinis in qualitatibus ſemper eſt frigida in ſecũdo gradu, & non tantùm reſpectu corporis temperati, ſed huius excedentis vt tres gradus per frigidum, vel calidum : ſemper retinet

actum suum secundum formam suam, & operatur semper eatenus, quatenus nō impeditur, id est, quatenus durat sua forma: si applicatur homini, imprimit suos gradus: si applicetur aliis speciebus? nā nunc oportet videre, quæ sit illa species, an sit in illa plus de frigido, quàm lactuca nécne: sed respectu hominis semper est humana specie frigidior. siquis diceret, hoc est contra Galenum: quia ipse comparat omnia medicaméta ad corpus temperatum tantùm: non tantùm ad speciem humanā. Respondeo quando consideramus naturam pomi, in pomo perfecto non putrido: Galenus facit illam comparationem corporis temperati in specie perfectissima, hominis tantùm qui quidem homo est mensura omniū aliarum specierum: ad quem cùm peruenerit natura quiescit. & ille etiam Galenus in libris de temperaturis dicit mediū temperie in omni animantium genere homo est, & sic solutum est. ad dādum autem exempla in particularibus veritatis huius dictæ, sic docebimus, Piper est calidū in tertio gradu semper respectu corporis temperati, quod calefaciet temperatum, vsque ad tertium gradū. detur cholerico etiam vsq; ad tertium gradum, frigido etiam vsq; ad tertium calidum: nam calefacit, choleri-

cus ignescit, frigido prodest, temperatus incalescit? sed non sic atque cholericus biliosus, cur is inflammatur? quia habet superabundantem caliditatem 3. gradus calidi tribus addidisti. sic igitur vides quomodo semper piper æqualiter secundum caliditatem incalefacit omnes, sed factæ sunt variæ impresſiones: quia alter indigebat, alter non: duobus nocuit secūdum quidem magis, & minus. illi verò non tantùm non nocuit frigido, sed etiam profuit. idem erit de frigido: accipe lactucam, da temperato: nocet: quia non indigebat frigido, in secundo gradu, infrigidabit etiã in secundo nocebit plus, quàm temperato. ille enim refrixit per 2. is iam habet 4. cholerico prodest, quia indigebat refrigeratione. est ergo diuersitas impresſionũ, quia in variis subiectis, & dispositionibus subiectorũ fit impresſio variis modis. semper enim lactuca in seipsa considerata in secundo gradu refrigerat cõparata ad subiecta diuersis modis operatur, alij obest, alij prodest. iam videtis modo, quàm omnia, sint clara, quàm sint omnia exposita. Restat modo illis apparentibus eorũ exẽplis, & autoritati Hip. respondere, ac satisfacere: aqua frigida exposita lento igni fit tepida, ardenti seu magno igni efferuescit. respõdeo quando ali-

quid offertur corpori, aut illud est simplex, aut mistum: simplicia autem voco quatuor elementa: & ista simplicia omnia habent suas qualitates in actu, siue modo illæ sint formæ substantiales, siue aliquid formis substãtialibus priximum. aqua frigida infrigidat in eo gradu, quo potest sęcundum suam formam frigidisimã: est enim præcipuum frigidorũ, aut frigidisimum: exposita soli calefit, & non iam calefacit. dico aquam, quandiu infrigidat, esse aquam: secundum enim suam propriã formam infrigidat, quæ infrigidatio, quia est actus suus, sua endelechia: & eatenus aqua tãtùm durat, quatenns sua forma. cum autem calefit, quantum acquirit de caliditate, tãtùm amittit de frigiditate vsque ad vltimi illius actus remisse deperditionem: quem cùm primùm amiserit, amittit formam suam substantialẽ: qua erat aqua, quæ infrigidabat. nam aquæ est hoc agere: & sic amissa frigiditate non est amplius verè aqua, sed æquiuocè: & mediũ quoddã est inter actum & potentiã, inter actum, aquã, s. vniuocam veram, & aerẽ: cùm enim acquirit qualitatem eris. s. caliditatẽ tunc corrũpitur: estq; in proxima dispositione, vt ex ea generetur aer calidus, & siccus. Hoc autem tam magnum philosophiæ secretum, ne soli nos

somnia-

somniasse videamur, Alexander ille magnus Aphrodiseus in primo libro, quęstione sexta, sic docuit. Ad Hippocratis autoritatem, aqua citrulorum, vel alia quæuis frigidissima data bilioso calfacto vertitur in bilem, verũ est: sed non aqua: desinit enim esse aqua, cum amisit formã suam: qua infrigidabat, & erat proxima corruptioni medium quoddam inter veram aquam, & bilem calidam & siccam: & sic non est contra nos. Ita dicimus de omnibus aquis infrigidãtibus. aqua endiuiæ etiam incalefacta semper refrigerabit, quatenus durabit forma sua: si autẽ erit calefacta in ventriculo, impedita est forma sua, & tunc iam calefacta calefacit, non per propriam formam suam, quam amisit: qua amissa statim cum ea amisit actum suum infrigidandi occultatum, sed calefacit per actum inductũ ab alio, vt puta à calore naturali supercalefacto. Ad illud etiam, mel facit feruorem in cholerico: ratio est: quia indigebat refrigeratione: fuit enim hoc adductũ ab Auerroe contra Gale. vel etiam potest assignari alia ratio: mel est cibus, qui vertitur in bilem: quia est alterabile mistum, & inflãmabile: atque tunc cum debebat generare sanguinem, generat choleram siue bilem.

Proposita fuit quæstio: an remaneant

ſemper iidem gradus in medicinis reſpectu cuiuſcunq; temperaturæ: & concluſum eſt ſic. Quare autem diuerſos effectus perducant in diuerſis temperaturis, & quomodo ſatis eſt etiam iam vobis demonſtratum. Reſtabant aliquot difficultates: prima vera eſt propoſitio apud omnes philoſophos, & medicos, vnumquodque agens naturale neceſſariò agere, quantum poteſt; ſicut voluntarium, quantum vult: quo ſtante videtur ſequi oppoſitum tuæ concluſioni: nam ſi per te maior caliditas eſt in bilioſo, quàm temperato, & medicina in actũ reducatur à calore hominis, calor hominis eſt agens naturale; neceſſarióque agit, quãtum poteſt, ſcilicet deducet medicinam ad maiorem gradum in bilioſo, quàm in tẽperato? reſponſio fundatur ſuper principiis iam dictis, vbi medicamenta approximãtur corpori humano, calor naturalis agit ratione formæ; & medicamenta agunt ratione ſuæ formæ, à qua actus eorum determinantur tunc: dico vbi ſeruatur illa forma, & quandiu illius medicamenti forma, non fuerit impedita, nec corrupta, tandiu neceſſariò, agat, quantũ poteſt nec plus, nec minus. nã quãdo medicina deducitur ad actũ, vel ſeruatur eius forma, vel nõ: ſi ſeruatur, non aget, niſi quantũ poteſt. manebit enim ibi à

forma posita limitatio, restrictio actionis; si non seruatur forma, sed vincitur, corrumpitur, & sic impeditur: tuncque color naturalis vertet illam materiam mellis in se, quantum erit in se mutabilis, inflammabilis: non autem deducet illam manus ad 2. 3. 4. & 5. gradus, si darentur. nam non est contra nos, iam enim non mel est deductum ad tot gradus; sed materia tãtum illa & forma mellis iam est corrupta: sic aqua endiuiæ, si forma eius destruatur à calore naturali, inflammat plus, refrigerat minus; faciat quicquid vult. iam non est contra vos. Ad rationem; vnumquodque agens naturale necessariò agit, quantum potest: sed calor biliosi est agens naturale. ergo deducet biliosum ad maiores gradus quàm temperatum? Nego consequentiam: ratio est dicta satis, quia oportet ad introductionem plurimum graduum calidi in aliquod mistum, vt non tantùm calor sit potentior; sed etiam vt mistum sit capax. secũda; omnes certè hæ difficultates oriuntur ex præcedẽtis quæstionis determinatione. Est Galeni dictũ, & omniũ medicorũ gradus medicinarũ correspõdere gradibus tẽperaturarũ: sit medicina calida vt 2. & corpus biliosum vt 2. detur huic illa, quid efficit in isto corpore, erit ne ibi altera

tio? quomodo enim, cum ſimile non alteretur à ſimili. ergo gradus medicinarum non ſemper iidem, reſpectu corporis humani cuiuſcunque temperaturæ. reſpondeo, primò illa propoſitio Galeni, & medicorum intelligitur de qualitatibus contrariis, vt ſi temperatura excedat per. 2. gradus calidi, & in membro propinquo, tũc debet reduci per 2, frgidi ſecundò illud calidum additum calido (vtrinque enim erant 2,) inflammauit, ex me quæris, erit ne ibi alteratio? dico, quod erit ibi illa alteratio tantùm, qua calor naturalis exiſtens in actu alterat medicinæ potentiam, illámque reducit in actum: ſed non erit alteratio vera illa qualitatum, quæ fit inter contraria: ad hanc enim alterationem potentialiter ad actum non impedit ſimilitudo qualitatum, quando vna eſt in actu, alia verò eſt in potentia. ego ſic reſpondeo ad illam propoſitionem cùm quæritur, erit ne ibi alteratio inter iſta calida vt 2? vtrinque, quia ibi eſt ſimilitudo dico ibi non eſſe verè ſimilitudinem, imò diuerſitatem: nam gradus medicinarum variant ſpeciem in medicina: gradus autẽ intemperaturarum non variant ſpeciem temperaturæ; tamen ego nonvideo, quorſum hæc? nam cetrũ eſt eſſe hicſimilia iſta, ſed illę alię priores reſpõſiones ſunt veriſſi

mę,& sensatæ. Tertia difficultas est, aquam endiuiæ calefactam non refrigeraturam. Hoc est contra Galenum dicentem sæpe, quod si exibeamus opium decoctum opii etiam incalefactum si deducatur ad actum suæ formæ, refrigerabit. quomodo verum, si calefiat non refrigerabit ? redit enim ad suam formam. Respondeo, sic semper sanè intelligimus, si incalefactum opium, cuius frigiditas est in potentia respectu corporis humani: superetur à gradibus caliditatis inductæ in ipsum ab igne incalefactum; quàm primum erit victoria in illis gradibus, si forma opii per gradus maiores calidi extranei inducti corrumpatur, iam opiũ non refrigerabit, quia iam non est amplius opium : sic aqua vel decoctum endiuiæ si tantum incalefiat, vt superetur eius actus in frigidans : non infrigidabit ; non est enim amplius endiuia; sed si opium igni applicatum tantum incalefiat, nec destruatur forma opii vt puta ad 2. gradus, vel plus vt nõ superetur eius forma à gradibus, quæ est vt 4. dico opium non tantùm refrigerare, sed etiam citius refrigeraturum; deducit enim illa caliditas talis potentialitatem opii ad actum: sed si superetur opium, incalefacit, sicut & sinapi poterit refrigerare, vbi fuerit cõgelatum: spiritus enim opii frigidi exha

labunt per concoctionem, & corrumpentur à forma ignis, ficut argenti viui fuper aureo igni appofito. Ideo boni medici iubent, & diftinctè præcipiunt iftis rudibus aftantibus apud infirmos: quando propinant fyrupos refrigerantes dicunt, vt calefaciãt ad gradus tepidi calidi remifsi, quod ftat cum forma endiuiæ, in primo tantùm gradu frigidæ, nec dant frigidos, ne ventriculus offendatur, nec calidos nimis, ne forma medicinæ euanefcat. & hæc eft rei vera deductio. Secundus articulus quæftionis eft, quando componuntur medicinæ vel contrariæ, vel fimiles, quid refultat ex hac miftione? an refultat aliquid tertium miftum, ficut ex quatuor primis corporibus complexio, quæ non eft, neque aqua, neque ignis, neque aer, neque terra. deinde nũquid poft illam fermentationem, fi componantur medicinæ calidæ vt 2. 3. aliæ frigidæ, vt 3. 2. aliæ vt 4. illa forma refultans vel frigidi, vel calidi in quó gradu fit, vt theriaca, mithridatũ, & hoc non tentabimus. tentauerunt enim quidam, quos derridebat Auerroes: quæ res eft in fe difficilis. tertium eft, cur & quomodo fiat compofitio medicamentorum? fit enim vt refrãgantur virtutes quorundam excedentes. primum autẽ hoc tractabimus, fecundum dimittemus,

Circa compositionem medicinarum vnum proposuimus declarandum; primum hoc vtrum quando duo contraria medicamenta componuntur; an ita immutentur in arte, vt ex illis resultet quoddam mistum distinctum ab illis, quod nullum illorum sit, an idem fiat in medicamento, an retundantur ad vnam tertiam temperaturam? & si sic, ad qualem, quam? multùm enim interest, quam habet qualitatem: posteaquã cõtrariis curamus. hic duæ sunt opiniones, Auerrois altera: altera Galeni. Auerrois est hæc, in mistione artificiali contrariorum immutari virtutem singulorum; sicut in naturali mistione, vt docet Auerroes colliget, vt capite vltimo. Galeni sententia est in totum contraria in primo κατὰ γένη cap. pri. sanè hocquoque intelligendum est, quod retinent proprias virtutes in mistione composita medicamenta contraria, & virtutes singulorum remanent in actu: quod videtur velle Galenus. nos videbimus vtrum Auerroes probat in mistione tali quoddam tertium resultare, & non remanere virtutes eorum in actu: & sicut est mos suus disputandi, deducit Galenum, vúltque deducere ad id, quod fieri haud potest: est enim hoc genus augumentandi sibi familiare. Nam si ita Galene, tunc duo

con

contraria essent in eodem simul actu, consequens est falsum: ergo & illud, ex quo sequitur. probat consequens esse impossibile: quia quando duo contraria simul commiscentur, vel simul vincunt, & vincuntur: si vnum vincit alterum, tunc non erit, nisi vna qualitas vincens, & sic non erit actus alterius, quia victa est illa qualitas altera, & forma eius periit. forma ergo & actus: est enim actionum forma ipsum principium, si vincunt mutuo, & vincuntur. & idem docet Aristot. in primo de generatione animalium cap. vltimo, tunc resultat vnum tertium, quod neque est hoc, neque illud rectè sicut fit in mistione naturali. neque verò cõplexio, nec forma est ignis: quia non calefacit, nec aqua, quia non infrigidat, &c. sic ibi in arte non remanent actus illorum singulorum. ergo non possunt contraria actu esse simul; sed quia posset dari instantia negando duo contraria actu non posse esse simul, nam visus percipit album, & nigrum in oculo. Item in qualibet parte corporis, tactus percipit calorem, & frigus simul. Respondet Auerroes non esse similitudinem: nam in illis duobus sensibus tantùm percipiuntur species, non aliquid reale, spiritualiter bene possunt concipi, id est, imaginari sed corporaliter percipi non. differunt autem

tem hæc duo, percipere eſt ſenſu realiter, concipere eſt ſpiritualiter in animo in tali: vel tali ſenſu. Addit concludens contra Galenum, nec nominans eum, ſed aſtutè dicẽs concedamus etiam illis hoc, ad videndum quid ſequeretur poſt contrariorum miſtionem. qui dicunt ſingulorum virtutes remanere in actu in compoſitione medicamentorum, vel volunt vnumquodque membrũ trahere, quo indigebat, vt membrũ calidũ, medicinã calidam, frigidũ frigidam: quos deridet ſcommaticè dicens, quomodo trahit illud quod non eſt, ex quo nec aliquid eſt actu frigidum: nec aliquid actu calidũ: fortè ſomniauerũt. Ridet Galenum, quod ipſe ſomniis multùm rribuit, ſæpe de ſomniis meminerit, & dimittit Galenum ridendum. Galenus tenet contrarium, & ſecundum rarionem, & experiẽtiam: qui primo κατὰ γένη expreſsè dicit remanere virtutem ſingulorum actu. nunc videbitis quomodo hoc ſit intelligendum: deinde experientia theriacam nouam nemo dubitat non eſſe ſomniferam, & tamen ibi plura ſunt calida, quàm frigida; nihilominus opium ibi cùm ſit, virtuſque eius remaneat actu ſtupefacit. ergo virtutes contrariorum remanent actu in eadem compoſitione: quod dico de theriaca, idẽ etiã de omnibus

medi

medicinis nouis. Galenus quando volebat sistere sanguinem, habuit in eodem gradu theriacam nouam. pro responsione ad illa Auerrois fulmina supponendum est Arist. dogma in prædicamentis substantiæ, & formæ substantiali, vt forma est, nihil esse contrarium quando duæ substantiæ ponuntur, pugnant: si pugnant propter suas qualitates in actu positas, vt ignis cum aqua tantùm: semper enim istorum quatuor corporum simplicium qualitates simul in actu sibi repugnant: sed quoniam qualitates sunt in potentia non possunt agere, nisi deducantur ad actum per aliquod tertium; sicut sunt omnia medicamēta. quādo sunt mista, illud tertium est calor in mistione quòd agit & patitur: nam substantiæ nihil est contrarium, qualitates non sunt in actu, sed tantum in potentia, etiam per te Auerroes; imò si exhibeantur corpori, cum sunt in actu, vnum quodque membrum trahit sibi proprium & familiare; crocum cor, vnam petit cor, aliam hepar medicinam: sicut sunt destinatæ à natura œconomica, quæ iusta vtitur distributione. remanent ergo qualitates singulorū in actu in misto. ad suam positionem, quid dicendum? natura rei determinat omnes quæstiones, sicut omnes dubitationes nascuntur ex malo conceptu,

quæ

quæ eſt natura huius miſtionis? Ariſt. in primo de generatione, & corruptione in cap. de miſtione docet, quando aliqua miſcentur ſimul contraria, in tali miſtione vel eſſe factam fermẽtationem, vel adhuc non eſſe factam, vt per exemplum ponantur ſantala, roſæ, cinnamomum, piper: iſta ſunt opposita: duo frigida, duo calida: & in diuerſis gradibus: ſi iſta ſunt fermentata, reſultat vnum tertium, diſtinctum ab iis, quod non eſt aliquod ex ſingulis ingredientibus: ſi nõ ſunt fermẽtata, vnumquodlibet eſt in actu. Quid eſt fermẽtare? Aduertatis, vbi fit compoſitio miſtorum, alchymiſtæ quærunt tertium reſultans, vt puta aurum, argentum, & illam cõpoſitionem alchymiſtæ vocãt putrefactionem, philoſophi miſtionem dixerunt, miſtio eſt ſecundum Ariſt. actio, & reactio primarum qualitatum, quæ deducitur ad aliquod tertium: medici dicunt fermentationem: vt non confundamini: iſta talis miſtio, & fermentatio, & putrefactio fit, vel propter humidum tantùm, vel calidum tantùm, vel ob ambo ſimul: ſi propter humidum fit vera miſtio: Auicenna in prima primi de complexione vt minimum vnius ſit cum minimo alterius, & plurimũ vnius ſit cum plurimo alterius, quod fit melius ab humido: & penetrent ſe inuicem

licet

licet hoc offendat aures; sed nostro more iuxtapositio sit talis, vt non possimus discernere minimum vnius à minimo alterius. fit igitur propter humidũ vera mistio semper enim serpit. Nam aquæ cũ vino fit subitò commistio perfecta, & fit quoddam tertium, quod neque est hoc, neque illud. vel fermentatio fit à solo calido, vt alchymistæ operantur, quando duo sicca, vel plura componunt, & in quibus ratione eorum tantum non potest fieri mistio ob carentiam humidi; ponũt in loco arenoso calido vt calor quidem igneus possit penetrare extrinsecus adueniẽs, & deducere ad actum ex qua actione, & fermentatione fit fermentatio, & fit quoddam tertium. vel ab vtroque simul; & hoc quando plura sicca in aliquo humido ebulliunt, elixantur: & fit per calidum & humidum illa elixatio. sic quando medicamenta simul componũtur, vtrũ actus eorum singulorum remaneãt nec ne? dico veram esse Auerrois positionem, si sunt bene fermentata, non remanẽt. nota & bene imaginare contra hanc amborum positionem; quod bene fermentata mista dum sunt virtutes eorum non remanent in actu; sed resultat quoddam tertium; quemadmodum in nostro composito facta est vera, & non artis, sed naturæ mistio: & tamen

rema

remanent actu post illam virtutes singulorum corporum in actu frigidum & humidum cerebrum est:calidum & siccum cor calidum & humidum hepar &c. quid dicent?quomodo fiet illud,quoniam veritatem non cognosco? & hoc Galenus sæpe confitetur,dum inuehitur contra Empiricos,dicens eos nescire contraria ad vnum tertium reducere,& docet de vnguento ex ærugine,quod corrodit,& oleo, quod facit putrescere:sunt in hoc vnguento hæc ingredientia contraria,& tamen neutrum sequetur nec erosio,nec putrefactio;sed ex illorum fermentato applicato illo tertio fit consolidatio vlceris,& generatur caro:quia sunt duo contraria mista, & fermentata ad ignem iustè:& dum pugnant istę qualitates duæ,fit vnus actus tertius,qui neque potest putrefacere; quia impeditur:neque corrodere,quia impeditur à forma propria illa quadam tertia acquisita resultante ex compositione. Attamen accipe oleum,& æruginem incocta;vides corrodere,& putrefacere:facta bona fermentatione non corrodent, nec putrefacient. Ideo boni medici multum laborant circa bonam concoctionem medicinarum : & dat signum Galenus,quando impinguant manum, quando non:est enim videre necesse,ne etiam in il-

la coctione per fumos spiritus exhalent, & euaporentur: & sic frigida nō erunt frigida, nec calida calida: quia formæ eorū non remanebunt. si non sunt fermentata, apparet actus singulorum, apparet ratio contrariorum, vt theriaca noua vnius anni in ea fermentatio non est facta debita illi iuxtapositio minimi vnius ad minimum alterius, & virtutum eorum ingredientium: sed paulatim fit ob aere ambiente extrinsecus: qui omnia commutat, alterat virtute etiam stellarum per annos quatuor, quinque fit debita fermentatio, & tum demum habet quasdam virtutes admirandas, quas non habent simplicia, non ab aliquo simplici, sed à forma sua propria, & verum certè est: nam theriaca habet vim contra morsus venenosos, quam nullum habuit simplicium ingredientium. ergo non habet illa forma tertia actiones suas ab ingredientibus simplicibus: sed à tertio quodam resultante, quod est aliud ab ipsis simplicibus, & naturaliter distinctum: & sic quando quæritur: vtrū in mistione medica multorum contrariorum remaneant virtutes singulorum in actu, an non? dico paucis, si sunt fermentata, non permanent: alioqui permanent. ad argumenta accedamus: contraria non possunt esse simul, concedo; sed tu deciperis:
quia

quia in ista mistione est contrariorũ iuxta posito: nam grauida piperis corpuscula etiam minima sunt, adhuc diuisibilia, ante fermentum non sunt simul. neque sic Montanus dixit, sed Abratius. nam sunt tantum mista quo ad nos, quia nos non possumus discernere minimam partem piperis à minima parte gariophyllorum, vel cuiuscunque misti: atque quo ad naturam non sunt simul: quia non penetrat minimum vnius minimum alterius: hoc enim est tantum in corporibus cœlestibus, & simplicibus primis quatuor. Quare est, quod aqua non potest misceri cum oleo, neque resina, oleum tamen miscetur cum resina, & contrà? solutio est hæc: quia aqua cedit ipsi oleo, & ipsi resinæ: ideo nõ potest misceri nec cum hac: nec cum illo: hæc est prima ratio mea. secunda: quia pix & oleum non habent in aqua radices, vbi figant viscositatem, & lentitiem suam: & hæc est secunda. contra primum: quia res angebat, non erat enim ratio adæquata. nam ratio non quieuit, quia est corpus cedens: omnia corpora sunt cedentia, aliter daretur penetratio corporum, duo excipiendo, corpora cœlestia, in quibus datur penetratio corporum: & ideo orbes cœlestes non habent, nisi vnam superficiem conuexam, sicut pila ferrea solida,

& tamen sunt plures orbes, & mouentur suis motibus penetrantes corpus in corpore, quod ibi ob subtilitatem corporum nõ est etiam secundum rationem. deinde in primis quatuor corporibus datur vera penetratio, & non est hoc inconueniens: citra duo hæc non datur penetratio: quia duo corpora essent in eodem loco vt probat Aristote. in quarto physi. de loco: & secundo de anima: vbi etiam & alibi non vult lumen esse corpus: quia essent duo corpora, dum penetrat diaphanes corpus. omnia igitur corpora sunt cedentia, & tamen in illis fit perfecta quo ad nos mistio. ergo hac ratione nihil facit contra secundum, non habet pix, vel oleum radices, vbi figat lentitiem suam: acetum vtique figit, & fortius: aquæ miscetur acetum, & tamen non est viscosum: sed ratione incisionis: aliqui volũt esse ob subtilitatem, & crassitudinem substantiæ: ideo corpora cœlestia habẽt vnam tantum superficiem conuexam: sunt enim omnia corpus solidum, & ibi datur penetratio corporum, sicut & in primis quatuor corporibus: & ita licet in istis non possit dari penetrario: tamen fit mistio nostro modo id est, iuxtapositio melior, vel prior secundum magis, & minus: prout sunt materiæ subtiles & crassæ secundum magis, & mi

& minus. Quomodo miſcebimus piper cum zingibere, quorum alterum eſt in materia craſſa, cuius durat caliditas: piperis autem non durat, ſed exhalat in ventriculo: quia eſt in materia ſubtili, & reperit illic pituitam frigidam natura, quæ ſibi etiam contrariatur.

Secundum diuerſitatem complexionũ, vulnerum, naturarum, debent eſſe multiplices curandi indicationes, ſicut clarè diximus, tamen quia aliter medemur in ſolutione continui partis carnoſæ: aliter in oſſe, ſunt in curatione in parte carnoſa duæ communes intentiones, & præcipuè vbi eſt vulnus complicatum applicare mollientia: & poſtea quæ reſoluere faciunt: ſi ſit inflammatio ſicca, dura: ſi mollis, humida aperire, abſtergere, mundificare, euacuare. & quando hæc ſunt in multiplici differentia, vt clarè docet Galenus in quinto de ſimplicibus de aperientibus meatus, quæ aperiunt meatus debent eſſe ſubtilis ſubſtantiæ cum aliqua mundificatione: ſed habent multos gradus nam tantum quædã abſtergunt, & penetrant tantum primos illos poros: ſed nõ profundant, dum apponuntur. emplaſtica verò quæ etiam dicuntur maturantia, ſunt humida viſcoſa: emplaſtica id eſt obſtruentia ſua viſcoſitate calorẽ in ali-

quo membro, vt concoquatur humor. ideo caueant medici adhibere abstersiua, vbi quærunt maturationẽ. In secundo gradu quæ abstergunt est oleum amigdalarũ dulcium. mordicant, quia penetrare non possunt, salnitrum, vel in tertio gradu sabina, arsenicum, alumen vstum: in quarto ærugo æris, cantharides, euphorbiũ: fit enim manifesta corrosio. emplastrum de iside, emplastrum ægyptium, apostolorũ; tamen aduertat medicus, cui det, si est corpus militare, nauticum potest dare etiam ea, quæ sunt ad quartũ gradũ talia: si verò debile, vt fœminæ, pueri, molles viri, nõ: melius est enim diutius bene, quàm excitare spasmum. hæc fuit summa tot verborũ. fortificãtia membrum, ne materia fluat, & abstergentia sine mordicatione sunt decoctum rosarum, santalorum, myrti, balaustiorum in vino.

CAP. XCIII.

NVNC VERO TRANSEVNDVM EST AD FORMATIONIS GENVS, QVOD IN PLVRES SECATVR DIFFERENTIAS. AT AB EO &c. Si membrum est rectum, quod debet esse obliquum: exemplũ vt si etiam fractura osis remanserit vitium, vt figura aliqua mala, qua

qua impediatur actio, dicendum, quod si puer est natus cum aliqua tali forma recenter, possumus curare, reducendo ad figuram debitam. si autem est in adulto propter malam curationem, vel post illam reductam, debemus iterum frãgere os, si fuerit prima fractura recens, vt non sit adhuc callus obductus: tamen videre debemus quale corpus est, forte, an imbecille? nam incitare nouum dolorem & apostema, & multos alios casus, aliquando mortem malum est.

DE OBSTRNCTIONE.
CAP. XCIIII.

EST AVTEM ET OBSTRVCTIO EX EODEM GENERE AEGRITVDINVM, QVAE QVIDEM EX LENTIS, ET CRASSIS HVMORIBVS FIT, VNAM ET IPSA HABENS INTENTIONEM MORBO CONTRARIAM, DICO EAM APERTIONEM. CAVSAE &c. Quis sit morbus in obstructione, Galenus docet secundo de causis morborum; obstructio potest esse triplex: prima constrictiua, coarctans: secunda attenuans: tertia oppilatiua. prima quando vena stringitur exterius, vt ab aliquo apostemate, aut digitus teneatur super ea: & sic impediatur meatus sanguinis, quia tantùm

coarctatur locus ab extrinsecus occurrente, non est quod materia aliqua sit intus causata: secunda est attenuans, quando vena est attenuata ob inanitionem, vt phlebotomiam, aut inediam ita vt non habeat calorem spiritum, sanguinem, & consedeant parietes venarum intra se, éstque oppilatio interior. ideo quando aliqui desuescũt à coitu, constringuntur vasa seminaria eorum; sed qui frequenter vtuntur venere, vasa eorum semper sunt plena calore spiritu, tanto plus volunt, quanto plus coëunt: non sunt enim infrigefacta. tertia oppilatio propria, quando in corpore venæ aliqua materia figitur, quæ prohibet meatum: & hic Galenus dicit de hac tantum, nihil de duabus aliis: ista propria oppilatio, si rectè debet curari, duo sunt videnda, quid sit obstructio in se, & quis sit locus, in quo sit facta. Primò igitur notandum, quòd materia, quæ obstruit, vel est res naturalis, vel præter naturam: naturalis vt caro, vel pinguedo additur loco, & obstruit: & sæpe in meatu vrinæ generatur caro, callus, porus, res naturalis. istud curatur ablatione quidem, sed exiccando, corrodendo, per fortia quidem satis. ideo medici in talibus casibus immittunt syringas ad locum carnis habentes foramina nõ in fine, sed oco-

 loconi

loconica & dimittunt etiã sic per quadraginta dies, ita vt etiam vrina per syringam exeat, & sufflant aliquando etiam arsenicum, quæ sunt etiam venena: & deducunt homines ad multa mala: sufficit vitriolũ, alumen vstum, ærugo æris. Vel est res præter naturam, quæ obstruit, vt lapis generatus: tunc videndum est, an illud obstruens præter naturam sit durum, an non; an liquidum: si durum, debetis considerare, an sit colliquabile, vel non: si sic, procedẽdum vno modo: si non, alio; vt fæces duræ si inhæreant intestinis, quid faciendum? nostri medici statim ad hieram, & scammonium recurrunt. hoc morbo obiit Cornaria matrona insignis Venetiis, quæ octodecim diebus non potuit eiicere; medici semper validiora dabant nihil iuuantia, oportebat autem mollificare, colliquare, fluidáque facere. nonne idipsum docet Aphorismus per clysteres, per os facere clysteres ex iure pingui, decoctione maluarum. & vbi satis visum fuerit colliquari tunc ad acria. hac re tantum excellentissimus quidam Veronensis medicus Geraldus Boldellius lucratus est vna hora duo millia ducatorum auri vocatus à Principe Mantuæ, qui hoc malo laborabat, & erat in maximo periculo, statim illum posuit in vase aquæ frigidæ

cum herbis humectãtibus inungẽdo etiam loca, lubricando quantum poterat. postquã illi visum fuit satis esse humefactum, statim clysteria dedit, & habuit statim beneficium, & conualuit: res certa dicta publicè. Si verò non potest colliquari, vt si sit calculus in vesica, & obstruat meatum vrinæ, alio modo procedendũ. quæratis transpositionem primum ob vrinæ exitum, ne moriatur: deinde ablationem per chirurgicum opus: primum fit vt per syringam, aut eleuationem, vt eleuetur puer sursum pedibus, vt docet Gal. & fecit in libro de locis affectis. mirum est de iis medicis, qui quærunt resoluere lapidem, cum tamen nullus vnquam est ab eis resolutus: quia est illud, quod non est hic colliquabile. ideo hic Gale. iubet tolli, & non docet quærere resolutionem. De illa, quæ actu est liquida.

Diuisimus obstructionem propriam per materiam obstruentem: vel enim est à materia dura, vel fluente: si dura, vel est illa dura materia ex toto naturalis, vel ex toto pręter naturam, vel partim naturalis, partim non. si ex toto genere est præter naturam, vt lapis in vesica, vel aqua in pupilla, quæ impedit spiritus recipi: nõ est enim in genere aliquo naturali: si res ex toto naturalis, vt caro in virga in radice, quæ impedit mea

tum

tum vrinæ, quædam ſunt media inter hæc partim naturalia, partim præter naturam: & ſunt excrementa, neque ſunt ex toto naturalia, quia non ſunt caro: neque ex toto præter naturam, quia deſtinata ſunt à natura, vt ſint excrementa præter naturam. ex toto lapis erit: nullum enim habet gradum in natura. recipiunt ergo ſingula curationes ſingulas. Reliquũ erat de materia humida fluente: & hic etiam ſic diuidemus: illud tale obſtruens, vel eſt res omnino naturalis, vel ex toto præter naturam: vel nec planè naturalis, nec planè pręter naturam: ſed medio modo ſe habens. naturalis omnino & ex toto, quando ſanguis plurimus replet venas ita, vt ſpiritus nõ poſsint penetrare, vti in plethora: & ſic fit ſubita mors. & ideo dicit Gal. habitus athletarum cùm ad ſummum peruenit periculoſus. expirat enim ſpiritus in corde, & ſuffocatur calor in tali obſtructione, præter naturam ex toto. liquidum tamen eſt, vt pus, virulentia, humores putridi, qui ſolent replere venas: non habent enim aliquem gradum in natura. media: pituita cruda, humores crudi, qui obſtruunt meatus, & hac obſtructione nulla frequentior. is humor non eſt naturalis, quia non intrat in ſenſu quatuor humorum naturalium: non eſt præter naturam

ram ex toto: quoniam recipit concoctionem, recipit formã materiæ, vt etiam vertatur in bonum nutrimentum. ſi humor fluens eſt ab aliqua materia naturali, eſt ex toto naturalis, vt fuit ſanguis: tamen curatio eius ſit deuacuatio, non euacuatio: nam hæc ſimpliciter euacuat totum: ſed euacuatio, id eſt, illius tãtùm ablatio, quod impedit meatus: tantùm enim quantitate peccat ſanguis, non ſubſtantia. Quare vacuabis: eſt aphoriſmus Hippocratis de athletis, vbi Galenus docet talem euacuationem, non ſimpliciter: ſed quomodo ſit facienda, docet: ſicut nos etiam hic dicimus. ſi ex toto genere eſt præter naturam humor corruptus, tunc debemus euacuare, quia totum docet qua arte. quando aliquid eſt obſtruẽs præter naturam, vel eſt illud admodũ craſſum, vt melancholia aduſta, aut corrupta: vel viſcoſum, vt humor pituitoſus craſſus, & viſcoſus: humor pituitoſus vitreus. Aut neque eſt craſſum, neq; viſcoſum: ſed ſubtilis ſubſtantiæ, vt bilis ęruginoſa peſsima: in iſtis ſit varia curatio. ſi craſſus: (contraria curantur contrariis) oportet duo facere incidere, quia craſſus, rebellis, & iſta inciſio eſt præparatio: poſt inciſionem non ſtatim euacuare, ſed concoquere, id eſt, ſeparare. quid eſt iſta ſeparatio? definitio à fine (quia

forma

formaliter eſt hæc, & eſt mutatio ſubſtantiæ in partem nutriti à calore elixatioris. primo meteor.) eſt ſeparatio vtilis ab inutili, vt vtile vertatur in ſubſtantiam nutriti: inutile expellatur. erit igitur ordo is: primò præparabitur materia, ſi craſſa per incisionem: ſi ſubtilis, reducendo eam ad ſubſtantiam mediocrem, ſicut facit natura in cibis, groſsiores incidit dentibus, iuſcula reducit in vẽtriculo ad ſubſtãtiã mediocrẽ cõueniẽtẽ, ita vt modò ſubtiliando, modò ingroſſando. ſecũda eſt naturę operatio, cõcoctio ingroſſando: quia ſi debet nutrire, oportet, quod faciat hoc cum ſimili in ſubſtantia ſolida. tertia ſeparatio, poſtquam concoxit ſeparat, & excludit inutile. medicus progreditur per iſtos omnes proceſſus. quibus inſtrumentis attenuabit? per ea, quæ ſunt ſubtilis ſubſtantiæ: & talia ſunt quandóque calida, quandóque frigida. frigida, acetum attenuat, ſubtiliat, incidit: & tamen eſt frigidum. cinnamomum, piper, apium: quia ſunt ſubtilis ſubſtantiæ. ſi humor ſit craſſus, & viſcoſus: melancholicos humores inciditis, per ſubtilia quidem præparabitis. non tamen calida, vt eſt oxymel ſimplex, ſyrupus acetoſus ſimplex. in concoctione omni conueniunt calida & humida moderata. fomentis etiam extrinſecus ap-
plica

plicatis moderatis, frictionibus moderatis, inunctionibus oleo chamæmelino mollioribus alicuius manibus: facta huiusmodi concoctione ad separationem accedito. separant autem omnia diuretica, id est, quę prouocant vrinam: nam eam prouocant separando aquositatem omnem existẽtem in sanguine, vt docet Galenus in 5. de simplici medicina, de prouocantibus vrinam, frigida. Recip. semina melonum, cucurbitæ, pentaphyllum, si timetis incalefactionem: si non, Recip. semẽ ameos, carui, fœniculi, petroselini, apij, radices earundem herbarum, prouocant. pituita abstergatur tantùm viscosa: viscositas enim impedit: quia calor naturalis nõ potest eã bene mutare, nec colligere, est diuulsa, & adhærens parietib. quo? frigidis: decocto hordei, aqua mulsa, syrupo acetoso: abstergit enim is, incidit, subtiliat, refrigerat: decoctũ lentiũ etiã febricitãtib. syrupus de absinthio aperit & abstergit, & omnia amara, & hoc semper cũ discretione: quia in iuuene & æstate vtimur frigidis sene & hyeme calidis: oportet enim medicum esse Protheum. si verò materia subtilis sit, hæc non indiget incisione: fit hic præparatio, & cõcoctio simul: quia tamen est feruor, qui impedit concoctionem: debet enim esse calidum & hu-
midum

midum temperatum mutare in calorem ſuauem refrigerantibus,& humectantibus. ideo in tali eſt proceſſus facilior, ſeparatio cum iiſdem diureticis: euacuare cum medicinis conuenientibus, & propriis melancholiam purgare helleboro,epithimo,folliculis ſenæ, myrobalanis:pituitam agarico, colocynthide, cnico ſeu cartamo, turbith:bilem ſcammonio,rheubarbaro.

Si ſit autem colliquabile obſtruens & materia humida fluens,eadem prorſus vtemur diuiſione.vel enim erit res omino naturalis,vel omnino pręter naturam,vt certè media res naturalis:quoniã ſanguis plurimus, ſicut in plethora, eſt ſuperabũdans ita vt ſpiritus nõ poſsint penetrare: & eam ob rem Galenus, athletarum corpus eſſe dicit periculoſum:deueniũt enim aliquando ad tantam commotionem ſanguinis,& humorum: vt ſpiritus penetrare non potentes cauſent mortem. in vniuerſum autem mors ſubitanea ſuperuenit tunc,quando liquida materia ſuperabundans ſuffocat ſpiritus, & tunc totus cadit homo. præter naturam ex toto,liquidum pus, vel virulentia: pus humorum putridorum, qui ſolent replere venas: non habent enim aliquem gradum in natura.mèdia:pituita cruda, humores crudi, qui obſtruunt: hac nulla frequen

quentior. is non est naturalis, quia non intrat in sensu 4. humorum naturalium: non est omnino pręter naturam, quoniam recipit concoctionem, formam naturæ boni humoris, à calore naturali: concoctionem, nimirum post quam factam fit humor pituitosus, qui nutrit, seruat corpus: quia defendit ab acrimonia choleræ. istorum singula recipiunt singulas curationes medici. nam si humor fluens qui impedit obstructionem, est omnino naturalis, vt si sanguis peccat in quantitate tantũ, non in substantia: curatio eius fit abuacuatio. i. partis non totius deuacuatio: simpliciter enim est euacuatio. i. totius. si ex toto genere sunt præter naturam, vt humor corruptus, debemus euacuare totum. qua arte? docet Gal. quãdo aliquid est ibi præter naturam, vel est crassum admodũ, vt melãcholia corrupta, aut adusta: vel est viscosum & crassũ, vt humor pituitosus pariter & crassus, & viscosus: vel neque est crassum, id quod est præter naturã, neq; viscosum, sed subtile, vt bilis æruginosa, pessima: in eis vario modo fit curatio. si crassus (contraria contrariis curãtur) oportet duo facere, incidere quia crassus, & rebellis est: & ista incisio est præparatio. post incisionem non statim euacuare, sed concoquere. primum quid est cõcoctio? est

mutatio ſubſtantiæ in partem nutriti à calore elixati. Ariſt. 4. meteo. & hęc eſt diffinitio formalis: alia autem datur à fine, eſt ſeparatio vtilis ab intili, vt inutile expellatur: vtile in ſubſtantiam nutriti cõuertatur. primo igitur præparabitur materia, ſi craſſa, incidatur: ſi viſcoſa abſtergatur, ſi ſubtilis, reducatur ad ſubſtantiam mediocrem, ſicut facit natura in cibis. ſi enim eſt cibus groſſus, inciditur dentibus: ſi ſubtilis, vt iuſcula, reducit ad ſubſtantiam mediocrem conuenientẽ, ita vt modo ſubtiliando, modò ingroſſando: & iſta eſt operatio medici tantùm: alia eſt naturæ, vt cõcoctio, quæ ſit à calido & humido mediocri, deducit enim vtilem materiam ad ſubtiliorem ſubſtantiam, ſi erat liquida vt ſimile nutriatur à ſimili. pars nanq; membri cum ſit ſolida, ſit à ſubſtantia ſolida, tertia eſt ſeparatio opus naturæ etiam hoc. poſtquam verò hæc con coxit, ſeparat, recludit inutile. quib. inſtrumentis attenuabit? quę ſunt ſubtilis ſubſtãtiæ, & ſunt quandóque calida, quandóque frigida. acetum eſt frigidum, incidit, attenuat, ſubtiliátque: cinnamomum calidum incidit, attenuat, & ſubtiliat: piper apiũ, de eupatorio ſyrupus: quia ſunt ſubtilis materiæ. ſi humor craſſus & viſcoſus per abſtergentia, & incidentia. In concoctione

omnium humorum conueniunt calida & humida temperatè: fit enim concoctio à calido & humido: adiuuatur etiam fomentis, extrinsecus applicatis, moderatis frictionibus, inunctionibus oleo chamæmelino cũ vino, manibus mollioribus fœminarum, facta huiusmodi cõcoctione, accedamus ad separationem. separant autem omnia diuretica: nam ea, qua prouocant, prouocant separãdo aquositatem omnem existentem in sanguine, vt docet Gal. in 5. de simplicibus medicamentis. prouocãtia vrinam aliqua sunt frigida, vt semina melonum, cucurbitæ, radix pentaphylli, si est incalefactus: si non incalefactus, vtere calidis, semine ameos, carui, fœniculi, petroselini, apij: radices accipe etiam earundem herbarum: prouocãt enim calefaciendo, & exiccãdo. inter omnia autem oportet meminisse viscosa abstergere: impedit enim viscositas, quia calor naturalis non potest eam bene vnire colligere, est diuulsa & adhęrens patiẽtib. & ea sunt incidẽtia abstergẽtia, frigida, decoctũ hordei, aqua mulsa, syrupus acetosus abstergit, incidit, refrigerat: decoctum lentiũ. etiam hoc dat Auicẽ. febricitãtibus nimis: syrupus de absinthio, & omnia amara aperiũt, & abstergunt. calidis vtere in sene, & in hyeme: frigidis in iuuene,

iuuene, & æstate: oportet enim medicum Protheum quendam esse mutantem se ad omnem formam secundum ægritudines ætatis, loca, & tempora. ideo qui artem hãc exercere incipiunt, ingrediuntur longam viam. si materia subtilis est, hic nõ indigetis incisione, fit hic præparatio & cõcoctio simul: quia tamen est, qui impedit concoctionem, danda sunt suauiter refrigerãtia, mutare furorem, ardorẽ in calorem suauẽ infrigiditantibus & humectantib. itaq; in talibus ægritudinibus longè est processus facilior cũ eisdem diureticis. sequeretur deinde post prępáratione concoctionem, separationẽ euacuatio. Scitis autẽ vos electiuè vacuãtia? melancholiã euacuamus helleboro, epithymo folliculis senę, myrobalanis: pituitã agarico, colocynthide, cartamo, turbith lactariis herbis: bilẽ scãmonio rheubarbaro secũdum humores peccãtes.

Si autẽ illa liquida sunt, quæ obstruunt, & sunt medio modo se habentia, quid cum illis agẽdum est? distinguo: illi enim aut sunt humores crudi, aut adhuc non acceperunt actionẽ caloris naturalis concoquentis, & non habent aliquam formam naturalem alicuius ex 4. humoribus, vt sunt humores crudi in subsidentia vrinæ, qui generant pestiferas pessimas febres:

ſed poſſunt recipere: aut ſunt, quæ iam receperunt actum caloris, ſed non potuerunt habere formam vtilem: atq; facta ſunt excrementa, & vtraque curantur diuerſis modis. ſi ſunt crudæ materiæ liquidæ, & ſunt aut in primis, aut ſecũdis venis: ſi ꝓcedatis per illa 4 per quę proceſsiſtis in humorib. liquidis quidem, ſed craſsis, & viſcoſis ſubtiliando, præparando, incidendo, concoquendo, ſeparãdo, deſtruetis illum virum, augebitis enim morbum. Galen. in quarto de tuẽda ſanitate, docet tales humores neque euacuandos, neque prępárandos, neque omnino mouendos: ſed docet ſic: dormi, & abſtine, vt dormiat, & non comedat, neque bibat. illi enim humores crudi, qui nõ receperunt adhuc actum caloris naturalis, ſed tamen poſſunt recipere, tantùm indigent in iis omnibus modis eſſe abſtinendum, nec lauandum, nec cibandum, nec euacuandum, quia calor noſter nõ erit occupatus circa alia munera, ſed erit in quiete, & non diuertetur ad alias partes. hinc eſt in eodem quarto cauendum eſſe à b omnibus diureticis: augebimus enim obſtructionem. putreſcunt autem in venis humores, & cauſant febres peſtilentes. ideo antiqui habebant hunc canonem ſuum, in humoribus crudis caueto à ſyrupo acetoſo, & inciſiuis:

cisiuis: quia moues humores crudos, & facis febrem: sed hoc dogma antiquorum bonum est in casu hoc, quomodo loquimur. nam hic potes dare, & debes tantũ ea, quæ non penetrant ventriculum, adiuuant calorem naturalem in actione sua, vt est dia triõn pipereõn, nõ autem diacalamenti ob crassitudinem substantiæ: quia attingeret venas primas, quæ sunt inter hepar, & ventriculũ: sed dia triõn pipereõn statim quidem quasi inflãmat, sed statim posteà euanescit, sicut ignis palearũ. videtur quidem prima facie velle multa facere: sed permitte humorẽ naturæ, donec humor ille concoquatur: si nõ possit dormire exhibe somnifera. hęc erit vobis regula generalis. quãdo verò est illa serositas sanguinis est euacũanda, non abuacuãda: quia nullum opus naturæ ingreditur, imò corrumpit bonum etiam sanguinem, & facit illum putrescere: ista talis sanguinis serositas debet præparari: si sic, quomodo est subtilis præparata ad exitum, non viscosa. non igitur abstersione: non crassa, non igitur incisione: non crassefacienda: quia magis ægrè exiret. iste rationes Rasim illum magnum coegerunt, vt diceret talem humorem pręter naturam serosum sanguinem, vel potius serositatem sanguinis non indigere

præparationibus. Auicenna autem dicit, quod Galenus & Hippocrates duobus oculis videbant: ille vno. non statim educenda: quia est vnita bono: simul enim euacua bis bonum cum malo. item natura non te adiuuabit medice: quia tu euacuas quod illa non separauit. vnum tantùm oculum habuit ad hoc, quia est humor subtilis: alterum autem non ad hoc, quia est vnitus bono. item quod natura non adiuuabit. igitur prius separare cum diureticis, attenuantibus calidis, seminibus fœniculi, ameos, carui asparagorum. si timent febrim frigidis diureticis, syrupis illis dictis suprà, & educere vel per venam, vel per ventré. sunt deinde consideranda alia. nam loci: in quo sit talis obstructio, si in pulmone, educetur vno modo; si in hepate, alio modo. si in pulmone duplici via aut prouocatione tussis, aut per viam vrinæ: tussim autem prouocant quæ extenuant: natura non fecit aliam viam expellendi à pulmone tussim: fit enim expulsio per spiritum à spiritu: pulmo ex seipso non mouetur, sed sunt musculi, qui mouent: aer est qui dilatat, & constringit: habet enim motum constrictionis, & restrictionis. si ergo non expellitur materia à pulmone, nisi per spiritum, si materia erit liquida vt aqua, transit spiritus,

&c nih

& nihil expellit: ſi etiam ea viſcoſa nimis: nihil educet. ideo videmus in nimis tuſſientibus difficultatem magnam, & vim pati ipſum ſpiritum, etiam vſque ad ſudorem, antequam expuat: quia materia eſt nimis viſcoſa. videmus poſtea illos cum maxima difficultate craſſam ſubſtãtiam eiicere. præparanda ergo eſt materia: vt nec nimis aquoſa, nec nimis ſit viſcoſa. exhibemus autem diuerſos loch lambitiuos, Græci eligmata vocãt, & ſyrupos de praſsio, ſcabioſa, abſtergunt enim ratione amaritudinis, oxymel vtrunque ſiue ſit ſimplex, ſiue compoſitum. ratione enim mellis abſtergit, aceti incidit, refrigerat: & ita ſi ægritudo ſit coniuncta aliqua calida, & materia ſit in pulmone, tunc minus mellis ob caliditatem, aceti plus: ſi verò frigidior morbus mellis plus: aceti minus. ſi verò materia eſt tenuis. vtemini ſyrupo violato compoſito, ſyrupo de farfara. nota tamen oxymel ſimplex bonũ eſt, quia abſtergit, mundificat, ſubtiliat, & incidit: tamen in duobus caſibus eſt periculoſiſsimũ: primum in principio crudarũ materiarũ: ſcis enim iam nihil debere mouere ſicut ſuperius ſcriptũ eſt: augebis nãque morbũ: ſecundũ, cùm natura ſit debilis, ſi das interficies: quia commouebit materias, etiã iam fere per mediũ

concoctas:tamen natura debilis non potest expellere, fatigata desinit, victa generat mortem. sic mortuus est Iacobus aromatopola prossonierus amicus meus; non potuit enim natura expellere. & passus est pleuritidem & facta fuit minutio à latere non opposito, vbi cũ morbus in fieri est nulla sic fit curatio, aut admodum tarda. TVSSIM prouocant omnia acria, mordicantia. Galen. in textu per extenuãtia intelligit prouocantia vrinã: diximus enim duas esse vias euacuandi à pulmone tussim, & vrinã. Nota item bene textum, quod euacuamus ea, quæ sunt intra venas, aut abstergendo aqua hordei, manna, aqua mulsa: aperiendo orificia venarum amara aloe succis absynthii: comprimendo vt sunt omnes myrobalani, subducendo vt cassia, prunis damascenis: attrahendo, aliis medicinis. hic tantũ duorum meminit attrahẽdo à venis, & aperiendo orificia venarum: facilè enim natura inuenit vias, quibus expellat: aloe exterius apposita restringit sanguinem, interius exhibita aperit orificia venarum.

DE ASPERITATE ET LAEVIT. CAP. XCV.

QVAECVNQVE VERO PARTES OB ID, QVOD EXASPERATAE

NATVRALEM AMISERINT HABITVM, IIS LAEVITAS EET RESTITVENDA: OSSA QVIDEM LAEVIGANDO. &c. Restat nunc de mala compositionis in superficie vitio dicere sumpto à natura rei artis nostræ exordio, contraria curari contrariis posito hoc perpetuo fundamento aliquid est effectum asperum, debet esse tamē læue, molle. primum quid asperum? asperum, est cuius partes sunt inæquales altum, & depressum: impediet autem hoc actionem membri, oportet considerare naturam membri, & videre nunquit possit remoueri illa asperitas, quæ fit à calido & sicco per suum contrarium. SI humectantia. Arist. in 4. meteororum, dicit ea, quæ sunt facta aspera per calidum & siccum moderata, resolui per frigidum & humidum, & quæ sunt exiccata per calidum & siccum: superauit postea frigidum & siccum congelās, vt est lateris exiccatio, quæ fit ab aere ingrossante, inspissante poros eius à calore resolutos, vt etiam ossa constipata per calidum & siccum: congelata deinde per frigidum non possunt talia humectari nec à frigido, nec ab humido. illa autem quæ tantum à calido & sicco non superueniente frigido & humido possunt adhuc humectari. Exemplum, accidit vulnus capiti, in osse

cranii,quæ debent esse læuia, si fuerit facta asperitas in osse ob nimiam siccitatem extrinsecus ob aerem exiccantem in vulnere discooperto, disquammatur os, fiunt squammulæ, est necesse mouere. quo? quibus instrumentis? frustra tum humectantibus. accesit enim ob discoopertum vulnus aeris infrigidantis & exiccantis constipatio, exiccatio, qua intercedente frustrà fit humectatio, vt in osse, & latere asso. ideo natum est prouerbium: Laterem lauas. oportet igitur remouere talem asperitatem læuigando. i. remouendo asperitatem, faciendo molle instrumēto quodam chirurgico; quæ læuigatio à leui potest fieri dupliciter, aut cum ferro, aut qui propter delicatas naturas ferrum non patiuntur, cum medicamento remouente squammas. Reci. radices peucedani; facit enim ob caliditatem suam partem à parte eleuari. & sic cum ferro facillimè exiccata demitur. si verò fuerit facta asperitas in mēbro carnoso & humido: illa potest exiccari & rursus humectari cū humectantibus viscosis vt frequenter accidit lingua fit aspera, quando catarrhus descendens a capite obstruit nares, cogitur patiēs dormire aperto ore, & tunc ab aere lingua exiccatur, & fit aspera. Atque hic nota multorum me dico

dicorum errorem ; quando reperiunt pul-
ſum mitem,& linguam aſperam , ſtatim
iudicant febrem peſtilentem cum tamen
prius debeant inquirere, an dormiat ore
apetto;quia tunc ab aere lingua eſt exicca-
ta;vel quando minera putredinis decumbit
circa interiora ventriculi.ſi igitur lingua
facta ſit aſpera quia eſt membrum carno-
ſum,molle,non os;ſtatim debes applicare
humectantia humida & frigida , ac humi-
da corpulenta,quæ non ſtatim defluāt, quæ
faciant impreſsionem;aut illud humidum
inhæreat poroſitatibus linguæ;viſcidum vt
ſunt pinguia eiuſmodi ſubſtātiæ,quę hume
ctent,& infrigident,ad hæc ſummè faciunt
ſucci,vt ſuccus portulacæ,qui eſt frigidus
& humidus in tertio;ſuccus radicis altheæ,
vel decoctum, ſeminum pſyllii,quod eſt
frigidū.neſcio vnde recētes imaginati ſunt
iſta mendacia, ſemina pſylii, eſſe quidem
frigida exterius,interius autem medullam
eius eſſe calidam in quarto, quod falſum
eſſe nos docet experiētia.ea enim quæ ſunt
in tertio gradu calida mordicant,vt piper;
medulla pſyllii nō mordicat,ergo non eſt
in tertio gradu calida. item hic conuenit
mucillago cydoniorum pomorum , radix
lactucæ,quæ dū ſuper linguā tenetur,refri-
gerat:ſi verò fuerit aliquid,quod debet eſſè

aſpe

asperum, vt trachæa sit læue, ita vt non possit aer percutere locum illum bronchos ipsos, ideo catharrosi, qui trachæam habent humectatam, qui frigidos habent catarrhos, læuigat, mollem facit trachæam, & ideo deperdunt vocem; quia quantò magis est aspera, tantò maior fit vocis repercussio. Galenus ipsos, qui siccæ sunt temperaturæ dicit reddere vocem anserum in secundo de temperamentis est facta humida ob humiditatem viscosam materiam deflu xam, remoue illam. oportet enim iterum expurare, cũ quo remouebis? cum abstergẽtibus sine mordicatione: quæ tria faciant abstergunt, non mordicent, & astringant. ista enim boni medici repererũt non sorte, nõ somniis nõ experiẽtia, sed ratione. quod abstergat ratio est: quia humori viscoso debetur abstersio: talia autem erunt subtilis substantiæ, vt penetrent, non mordicent? quia bronchi isti in trachæa sunt expositi. posset induci erosio, excoriatio, vlcus, & sic læuitas faciebat vocẽ raucã? vlcus prorsus vocẽ aufert, astringant; quia brõchus. s. eius situs subiacet capiti via communis, & lata est, vt confortet locum, ne accipiat humores, & astringat, vt non recipiat vlterius excremẽta: hæc sunt nobis reuelata mysteria artis. debent autẽ esse exiccantia, & ab-
sterg

ſtergentia in primo gradu, vt ſunt myrti, mora, diamorῶn, ex moris immaturis, con ſtringũt ratione partium terreſtrium, abſter gunt ratione acrimoniæ remiſsioris, ſine mordicatione in gutture. Ideo medici in ægritudinibus ſtatim, ſemperq́; ad diamorῶn recurrunt bene faciunt. ſed ſi quæras rationem ab eis, dicent Gal. ſummopere laudaſſe hoc pharmacum. & medicinam.

Propoſuerat Galenus obſtructionũ ſpecies tres: primam conſtrictiuam coarctantem, vbi aliquid coarctat meatum extrinſecus, citra materiam impedientem intrinſecus, vt ſi digito cõpreſſero venã, ſanguis non fluet propter obſtructionem primo modo dictam, quæ tantum extrinſecus coarctat, & remoratur, & impedit curſum à natura deſtinatum. ſecũdam obſtructionis ſpeciem poſuerat attenuatoriã, vbi propter phlebotomiam ſanguis eſt exinanitus, & conſident parietes venæ: collabuntur, quia non habent calorem, ſpiritum, ſanguinem, & tunc dicitur obſtructio attennuatoria, quia parietes attenuati ſunt ob nimiã aliquã euacuationem tertiã quæ eſt vera oppilatio, hanc declarauit, quæ ſit ab aliquo intrinſecus occupante, inſpiſſante venas & meatus arteriarũ, aut venarũ & dicitur propriè oppilatio, de qua licet iam dixerim,

tamen

tamen quia adhuc restant aliqua notatu digna, neque ea volui silentio præterire; propterea quòd quotiescunq; angustiæ venarũ seu viarũ sequuntur alias ægditudines, tunc prius remouere debemus ægritudinem, quę obstruit: vt si inflammatio, vel apostema sequens inflammationem occupauerit, obsederítque locũ aliquem: quæ curatio? prius remoue apostema, & remouisti obstructionem: deinde secundum methodum rectã curare debemus tumores omnes præter naturam, obstruentes vias: proponam exemplum, quo exemplo rem nunc faciam clariorem. defluat sanguis à toto corpore per venas maiores, minores, & rursus decũbat ad manum, certũ est, quod erit obstructio hic, quia decũbit sanguis. quid faciemus? reducemus rem ad clarissimam integritatem, processus talis est, primùm, vt resumamus illud, quod obstruit, aut est sanguis, aut est aliud à sanguine, alius humor pręter sanguinẽ: quoquomodo fit adhuc dupliciter quæres; quia ille humor fit sanguis, non adhuc exiuit venas, continetur in venis, turgẽt iam venæ, tumet vena, non tamen adhuc excessit à venis, vel exiuit iam tumor ille ardens, tumens extra venas, & effusus est in musculis si adhuc non exiuit venas sed tur-

get in venis, congregatur, ardet: dicitur tumor præter naturam simpliciter vno verbo inflammatio. quando iam exiit, discessit à venis, & effusus est per musculos, tunc iam dicitur à Latinis abscessus, ab iis qui sequuntur Arabas exitura, à Græcis dicitur ἀπόστημα. stante hac diuisione humor ille turgens fit sanguis, determinatus humor, & non exiuit vasa: est tantùm tumor inflammatio in venis, & aggregatio sanguinis calidi: ex qua est feruor tumor calidus. quomodo curabo? à natura rei duplex sumitur curandi indicatio: videre primùm naturam tumoris, & locum, in quo est inflammatio; nisi ista duo sciueritis vos nunquam rectè curabitis: semper enim claudicabit curatio. incipiemus ergo primò tractare naturam tumoris, & dabimus curationes curatiuas sumptas à morbo, deinde etiam dabimus à loco sumptas in quo est morbus. primum considera tumoris naturam: tumor est ex præsuposito à sanguine; quod est primũ: secundum quia adhuc non exiuit venas? hoc enim primum per nos in hoc casu præsupositum est; sanguis materia est bona, & vtilis; est humor ex toto naturalis, peccat non in substantia: quia substãtiæ bonæ est & vtilis; sed tantum peccat in quantitate; plus est enim de eo, quàm oporteat: suffocat

autem

autem calorem naturalem,& spiritus oportet igitur euacuare. quo genere euacuationis?an eo,quod dicimus?euacuatio enim fit hæc totius,an eo quod dicimus abuacuatio, quæ fit partis:euacuamus quidem pus,saniem,melancholiam putrefactam:ea indicatio à materia influente?iã habes quid agẽdum sit,quia abuacuandum,si lingua Latina patitur:alio enim pacto id nõ possumus exprimere. sed quia etiam hæc abuacuatio potest perfici pluribus modis,& euacuatio stãtibus nostris terminis:quia sanguis efferuescens faciet inflammationẽ, & est adhuc intra venas. vnde sumetur modus operãdi, quo modo,qua via fiet euacuatio hæc abuacuationis?sumemus hoc nõ iam à materia humoris,quia ab hac sumpsimus quid sit faciendum,an euacuandum,an abuacuandum?sumamus modo à forma morbi,quo modo sit operandum ad abuacuãdum. forma autẽ,& natura morbi, illud secundum est,an sit intra venas adhuc,an etiam extra venas:iam ne prodierit ad musculos?& hic discetis euacuationis omnes modos reduci ad duos tantum,& nõ plures aliquo modo, etiam si mille annis incũbatis medicinæ. euacuabitis enim aut à loco proprio affecto scilicet vbi est ipsa materia cõgregata,aut alio' modo per retrocessionem, quia facimus

dum subtiles, & tenues; qui nõ possunt percipi visu, & concludit facta repulsione debere resoluere. Relicta est alia pars istius eiusdẽ inflammationis, quando iam nõ est simplex illa inflãmatio intra venas, sed etiã est iam factus exitus extra venas, & dicitur à Latinis abscessus tanquã ab intra ad extra; ab iis, qui sequũtur Arabas dicitur exitura. à Græcis dicitur ἀπόστημα de nominibus sanè nulla vis est, cõceptus iidẽ sunt apud omnes. sanguis igitur exit iam venas, & tendit iam ad quandã suppurationẽ, quomodo curandũ est hoc apostema, vt nulla relinquamus apostematis mala vestigia, scirrhos nullos, cancros? nunquid tanta speculatio relinquenda est imperitis chirurgis? certũ est sanguinẽ, qui exit venas, esse crassum. nam calor præter naturam ille efferuescens, qui prius causauerat inflammationem, plurimũ illam decoxit. resolutæ quidẽ sunt partes subtiliores sanguinis, si quæ erãt partes aereæ calidæ & humidæ: grossæ verò, & terrestres remãserunt. sanguis enim est, vt docet Aristo terreæ & aereæ substantiæ: ob ídq; si effunditur, statim congelatur, & concrescit sine illius aeris spiritibus calidis & humidis. cũ igitur sit grossus, orificia venarum circa locum inflammatum illum nõ iam commodè possunt recipere:

nam non poteſt retrocedere, nec poteſt repelli extra venas; quia non poteſt ingredi venarū orificia: iſta eſt ratio adæquata. excluſa eſt igitur cū prima talis apoſtematis ob craſsitiem ſanguinis; & quia non poteſt ingredi iam orificia venarum, eſt alius modus diuertendi. eōne? nequaquā: propterea ꝙ factus craſſùs, quomodo ingreditur venarum orificia. in quarto de tuenda ſanitate de laſsitudine vlceroſa dicit, vbi fit laſsitudo vlceroſa, curatio eſt miſsio ſanguinis: vbi Gale. in laſsitudinibus vlceroſis iubet fieri phlebotomiā bis; quia, inquit, in prima trahis ſanguiné ad venas, qui exiuerat; in ſecūda extrahis à venis, quia eſt operatio læſa? indicat curationem ſui. hic autem dicit Gal. quando ſanguis eſt extra venas, non eſſe vtilem; ſed potius obeſſe miſsionem ſanguinis. Reſpōdeo eſſe diuerſum caſum hīc; in apoſtemate eſt ſanguis craſſus, qui fuit in inflammatione excalefactus, ille eſt quidam liquor ſanguinis bilioſus tendens ad naturam bilis, nō craſſefactus, nec præceſsit inflammatio, nec præceſsit febris; in caſu noſtro nō eſt amplius ſanguis, ſed congelatus quidé humor non ductilis iā, quia craſsior iam factus, quàm, vt poſsit ingredi orificia venarum: & ſic iam contradictio ſoluta eſt. ad noſtrum caſum dico, cum ſit

ſang

ſanguis factus craſſus, iam aufert auxilia ad tres illas intentiones diuertendi, deriuandi, ac repellendi: cũ enim omnia hæc fiant per venas, & ſanguis factus craſsior nõ poſſit ingredi venarum orificia, quomodo fiet iſtud? Reſtátne via à loco? ſed nota primũ medicorũ errores recentiorũ: cùm ſanguis eſt extra venas, eſt iam factum apoſtema, euacuant ij, ſi ſenſibiliter, per ſcarificationẽ augent dolorẽ, confluunt materiæ ad locũ: ſi per euaporationem, ſanguis iam eſt aduſtus per inflãmationem, dũ eſſet adhuc intra venas, tendit iam ad humorẽ melãcholicum. tu ſi euaporas, adhibes calida, euaporas ſpiritus ſubtiliores, ſi qui erãt reliqui ipſius ſanguinis: ſi euaporas illos, reſtãt humores aduſti tendẽtes ad melancholiã: & ita facis ſcirrhum: ſi hoc accidit in corpore cholerico, cancrũ; quod eſt peius. nam ſanguinis facti craſsi eſt exinanita per inflammationem tota humiditas, ille ſanguis non poteſt humectari, ergo neq; cõcoqui: quia ab humido & calido fit concoctio. idcirco docet Gal. in tertio therapeutices inflãmationem malè curatã facere ſcirrhum. quid ergo agendũ? non licuit per tres modos receſsionis, nõ licet à loco proprio neq; ſenſibiliter, neq; inſenſibiliter, & nullus reſtat alius modus curandi ipſa apoſtemata, quid

agendum? tutiſsimum eſt, vt dimittatis reſolutionem, deueniatis ad maturationem: non poteſt enim reſolui ſanguis craſſus, & ſi applicatis reſoluentia, reſoluũtur humores tenues, remanẽt craſsi: applicetis tẽperata cum viſcidis, vt eſt althæa, & caue ne aſcẽdas vſq; ad primũ gradũ calida, malua erit opportuna, propterea ꝙ tẽperata; butyrũ vt ſit emplaſtrũ. Recipe lactis humani, aut ſi nõ ſit, aſinę, aut vaccę, farinã hordei, vitellũ oui, ſæpe immuta & confice ferè per horas duas; quia dũ corrũpuntur, faciunt effectus cõtrarios, quia incaleſcunt ſaltẽ in iſtis apoſtematib. quę fiũt à ſanguine. nõ aſcendas vllo pacto calida: non tuto enim reſoluũtur, ſed tutiſsimè maturãtur. ſi ab alio humore fiat apoſtema, quã à ſanguine, eadẽ vtemini diſtinctione vniuerſali aut exit extra venas, aut nõ: ſi non exit, iiſdẽ indicationibus vtemini, quibus in ſanguine; differunt tantũ, quod in hoc, quid fuit à ſanguine, vſi eſtis miſsione ſanguinis diuertendo; in illo per medicamẽta, quę euacuãt, vt ſi fuerit bilis, educitis per pharmacum; ſi ſuprà, per ſeceſſum; ſi infrà, per vomitum, vt ſeruetur indicatio diuerſionis ad partem longinquã oppoſitam per loca diſtantia; quantum feri poteſt, ne trahatur materia ad locum. ſunt autem bilem purgantia

gantia rheubarbarum , manna, confectiones, in quibus est scammonium, confectiones scamoneatę. propriè enim scãmonium bilem efficacissimè euacuat. in canis ortu, & aduertas tempora, vt ante canẽ, post canem caue à scãmonio, sed vtere leuioribus, vt est syrupus rosatus solutiuus, & mãna. si pituita, leuiore vt cassia, medulla cartami, terebinthina stellaricina: fortiora, agaricũ, colocynthis turbith. si humor melãcholicus, leuiter euacuantia, follicula senæ, epithymũ, polypodiũ: acrius lapis lasuli, helleborus. ergo eodem modo curatur omnis tumor, dum materia est in venis; nisi quod mutamus instrumenta euacuantia. si verò materia fuerit extra venas, & fuerit apostema, quid agendũ? si sit humor alius præter sanguinẽ (hoc enim te oportet aduertere) & sit bilis, facillimè soluitur apostema, cũ sit subtilis, non adusta: quia verteretur in atram; facilè difflatur cũ temperatè resoluentibus; suapte enim natura trudit ad superficiem, & facit crustas; quæ exiccãtur, & fiunt squãmæ, ac magis desiccãtur, eleuantur, & cadũt. si est pituita: obediẽtissima est omnibus resoluẽtib. bonum est maturare, melius tamen resoluere: & fit hoc cũ calidis in secũdo gradu, nõ in primo: quia non vincerent frigidam pituitam. ideo ascende-

tur vsq; ad myrrham, ammoniacum bdellium, crocum. si materia melancholica, diximus non posse resolui ob crassitiem ea ratione, qua in calefacto sanguine, qui talia apostemata curant, cautè procedunt & timent, & dicunt tales abscessus iuniores medici, noli me tangere nō barbaris quidem, sed subrusticis vocabulis; & quidem morbi tales sunt rebelles; exacerbantur à fortioribus, & contemnunt leuiora, causant pessimos cancros. nihil enim restat melancholię, vt fiat scirrhus, nisi vt aduratur cum resoluentibus; quia sunt calida; si fiunt in corpore bilioso causant cancros. ideo imperitia chirurgorū fit, vt videamus sæpe in pectoribus muliercularū pessima stigmata; quia isti volunt maturare, aut resoluere. volunt autem resoluere ea, quæ resolui nō possunt. idque Galenus in istis semper cauit: dabat tantùm vnguentum tucciæ præparatum, oleum rosatum confectum in mortario plumbeo; & id vniuersum ponit totam curam in corpore bene purgādo toto: & sic iam habetis curationem omnium humorum pręter naturam sumpta indicatione à natura morbi. Indicationes verò à loco: nam si bene estis memores, dixeramus duas indicationes necessariò sumi á morbo, & à loco, in quo est ipsum apostema.

ma. ſumentur ergo indicationes à loco ex quinque capitibus. primò vide locũ, in quo eſt materia, ſecundò ſubſtantiam membri ex modo ſubſtantiæ, tertiò genera qualitatis. an ſit locus rarus, denſus an compactus, vt renes ſunt ſolidiſsimæ materiæ; pulmo totus ſpongioſus, rarus: quia multùm refert applicare loco raram materiam, aut denſam: quia in rara citius penetrabunt ea quæ applicabitis: habent enim meatus longiores, non anguſtos. ideo diuerſa applicabimus pulmoni & renibus. ſecundus modus conſiderandi à formatione in ſuis partibus an membrum ſit carnoſum, neruoſum, an multas venas habeat, an careat eis, an ſit in membrana, an ſit exangue, an ſanguineum? tertius modus eſt ſitus membri, an ſit in profundo, an in ſuperficie? ſi enim in profundo, amitteret medicamentum multam partem virtutis in itinere: ſi in ſuperficie, ibi occurrunt medicamenta cum ea virtute, in qua ſunt. Quartò videndus eſt locur, an ſit nobilis: operatio concoquendi, in hepate ſanguificandi. Quintum genus conſiderandi poteſt habere genus per ſe ſenſibilitas loci, an locus ſenſatus ſit magis, vel minus, vel nihil omnino; nihil enim omnino cerebrum, magis neruus, quàm cerebrum, magis neruo caro: minus neruus

carne

carne multum enim hoc intereſt. neruo e-
nim nec in punctura nerui non applicamus
mordicantia; aliâs ſi negligenter curaueris
claudicabit curatio. Galenus autem, vt rem
clarè doceat proponit exemplum: docui-
mus enim curare inflammationem, vt non
erat contracta ad aliquod membrum diſtin
ctum; nunc per exemplum coarctamus ad
hepar. conſidera modò ſecundum vniuerſa
le propoſitum quinq; ſi eſt in interiori par-
te in profundo opertum muſculis, membra
nis, venis, longa eſt via, & non lata, paruæ e-
nim illę venę ſunt ipſi hepati incertæ, tutius
dabis pharmacum per os: nā quæ applican-
tur exterius, habent tranſitum difficiliorem
ob muſculos longitudinales, tranſuerſales,
& obliquos: per os tranſit ventriculum via
quidem longa; ſed ampla eſt: non accedunt
in ea virtute, in qua exhibētur. ideo oportet
ſemper intendere virtutē, vt ſi velit refrige-
rare in ſecundo, exhibe ea, quæ refrigerant
in tertio. ſic enim oportet exiſtimare iſtos
gradus: nullus enim tot diſtinctè cognouit
vnquam; ſicut neque pulſuum differētias; &
has quidem nullus vnquam perfectè diſtin
xit ſenſu, ſed omnes exſtimabant ſecundum
traditionem pulſuum veraciter ſecundum
magis, & minus; prout quis propius acce-
dit ad rem. Itaque ſumpta indicatione à ſi-

tu

